
8.39.0.4°

DÆMONIACI CVM LOCIS INFESTIS ET TERRICVLAMENTIS NOCTVRNIS.

ID EST, LIBRI TRES, QVIBVS SPIRITVVM HOMINES OBſidentium atque infeſtantium genera, conditiones, & quas adferunt, moleſtiæ, moleſtiarumq; cauſæ atque modi explicantur: rationes quoque oſtenduntur, quibus ab eorundem moleſtijs contingit liberari.

AVCTORE PETRO THYRAEO NOVESIANO,
Societatis Ieſu, Doctore Theologo.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Ex Officina Materni Cholini, ſumptibus Goſuini Cholini.
ANNO M.D CIIII.
Cum gratia & priuileg. Ceſ. Maieſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI,

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IVLIO, EPISCOPO HERBIPOlenſi, Franciç Orientalis Duci, Studiorum Mecænati ac Patrono.

RELIGIOSISSIMIS ITEM, AC

REVERENDIS ADMODVM VIRIS,
HIERONYMO IN EBERACH,
MICHAELI IN BILDHAVSEN,
VVIGANDO IN BRVMBACH,

MONASTERIORVM EIVSDEM ORIENTALIS FRANCIÆ, inſignis Ordinis S. Bernardi Ciſtertienſis, Abbatibus & Prælatis, Dominis plurimum obſeruandis.

F. P. & O. B.

QVi ſub Veſtro auguſto nomine, de Dæmoniacis, & Locis infeſtis inſcripti, Libri primùm lucem aſpexerunt, Reuerendiſſime Princeps, Religioſiſſimi Patres, illi ipſi nunc eodem præſidio fulti in alteram, & quaſi nouam lucem aſpiciunt. Veniunt enim non, vt prius, ſeparati, ſed alia paululum forma, ambo coniuncti in vnum volumen. Feci hoc, non metu defuturi prçſidij, cuius ſatis in prima editione ab alterutrorum auctoritate ſenſeram: ſed inductus tum Argumenti ſimilitudine, tum Lectoris compendio. Argumentum vtriuſque Operis idem propemodum fuit, de Dæmonum maximè, quâ hominibus infeſti ſunt, inueterata malitia. infeſti ſunt aliquando illapſi in corpora, aliquando in ædes & domicilia noſtra ingreſſi. Vtrumque faciunt non alio fine, quàm vt miſeros mortales, quos acerbè oderunt, oppugnent & diuexent. Duplex nequitia duplicem requirebat opem: Nequitiæ, vt ita dicam, conſanguinitas aut vnam, aut coniunctam. Coniunctionem ſanè Lector in primis ſibi depopoſcit: quia ſi quid in vno opere deſiderauit, non voluit, nec verò debuit, citius commodiuſque, quàm ex ſocio, quemadmodum ex

proximo penu, depromere: maximè cùm alterum alteri ita mutuam operam præbeat; vt & ad prodendum hoſtem indicia, & ad refutandum argumenta confertis copijs vtrinq; ſubminiſtret. Quare qui huius gratia ſociati modò in publicum redeunt, vt ſociato Veſtro, & quaſi duplicato fauore commendabiles ſint, etiam atque etiam oro. Herbipoli ex Collegio Societatis Ieſu, pridie Calend. Ianuar. Anni M. DCI.

Petrus Thyræus, Societ. Ieſu.

CARMEN

IN TERTIAM HANC EDITIONEM DE DAEMONIACIS ET LOCIS INFESTIS.

Ertiùm emicat in diem Thyræus,
Tertiùm fugat obuias tenebras:
Seu quas obijcit imperitus Error,
Seu quis pectora noxialis vrget
Nutrix ſacrilegi, parensq́ue cultus
Praua Relligio, incubansúe mentem
Carnifex Metus. Eruditionis
Coruſca face territus, reſorbet,
Quas iam Tartarus euomebat Vmbras.
Ad hanc diffugiunt Lares, Erinnes
Panicæ facies, Paredri homulli,
Seminaria territationum.
Vaneſcit ſubitò quod horum vbiq; eſt,
Dum faces iterum erigis Thyræe,
Dum fugas iterum impias tenebras.

H. A. VV.

ELEN.

Digitized by Google

ELENCHVS SIVE INDEX LIBRORVM, DE DAEMONIACIS, LOCIS INFESTIS, ET TERRICVLAmentis nocturni :

Cum Summarijs breuibus.

PRIMVS LIBER DE DAEMONIACIS, partibus quatuor conſtat: quarum prima Dæmonum obſidentium conditio, operationes, in obſeſſos poteſtas, modi item, quibus homines affligunt, &c. explicantur.

Caput primum primæ partis.

Dæmones verè ingredi homines, eosque obſidere. quod docetur

Experientia ſenſuum.
Hiſtoria præteritorum temporum.
Opinione Iudæorum.
Chriſti ſententia, multipliciter.
Exemplo Apoſtolorum.

Caput ſecundum.

Ad hominum, à Dæmonibus, obſidionem duo eſſe neceſſaria; videlicet, vt

Dæmones ſint in ipſis hominibus:
& deinde in eoſdem poteſtatem habeant.

Inſunt vero:
non vt accidentia ſubiectis,
non vt partes ſuis totis.
non vt ſuis ſuppoſitis natura.
ſed, vt motores rebus motis.

Poteſtas conſiſtit
in tortura, & moleſtijs, quas afferunt.

Caput tertium.

Dæmones non ſub externa, & viſibili forma in hominibus eſſe, quamuis etiam ſub externa conſpiciantur.

eſſe tamen ſemper poſſe:
aliquando etiam eſſe docetur,
& quæ ratio muſcarum atq; araneorum, qui in Obſeſſis notantur quandoq;.

Caput quartum.

Dæmones, dum homines obſident, quid poſſint in corpora, & quid in animas.

Corpora
miris modis affligunt.
Animas

Digitized by Google

Non poſſunt in brutorum formas commutare:
non poſſunt ſuis facultatibus priuare:
non poſſunt ſpoliare habitibus:
non poſſunt renitentes ad agendum cogere.
ſed poſſunt retardare in exercitio virtutum:
poſſunt quoad voluntatem inclinare:
poſſunt commodis ſenſuum priuare:
poſſunt debilitare virtutem habituum.

Caput quintum.

Quanta Dæmonum in Obſeſſorum corpora ſit poteſtas. Reſpondetur
eſſe finitam, nec ipſos poſſe quantum vellent: &
iuſtas ob cauſas hanc finitam à Deo datam eſſe, ſcilicet
vt de Dei conſtet bonitate erga homines:
ne animum deijciant Obſeſſi;
confundantur ipſi Spiritus nequam:
intelligatur peccatum eſſe voluntarium.

Caput ſextum.

Sextuplicia mala adferri hominibus Obſeſſis à Dæmonibus. videlicet,
internos cruciatus:
Priuationem ſenſuum:
tranſformationem formæ naturalis:
corruptionem imaginationis:
ſummas animi anguſtias:
mortem corporis.

Caput ſeptimum.

Quinque propemodum modis Dæmones Obſeſſorum corporibus moleſtias afferre: videlicet
ſenſuum & phantaſiæ faſcinatione:
virium hominis infirmatione:
corruptione organorum:
membrorum diſtortione:
corporis impulſione:

Caput octauum.

Dęmones nec ſemper Obſeſſos moleſtare, nec ſemper ijs adeſſe: ſed tamen
prius frequentius accidere:
poſterius accidere rarius:
in ipſorum etiam poteſtate eſſe vtrumq;:
& prius fieri, Dei prouidentia,
hominum infirmitate.
Dæmonum nequitia.
Poſterius plerunque Dæmonum voluntate.

Caput nonum.

Per quam partem Spiritus nequam homines ingrediantur? Docetur
ingredi quandoq; per os:
ingredi per alios etiam meatus:
penetrare etiam ipſa corpora.

Caput decimum.

In qua hominis obſeſſi parte reſideant Dæmones, ſedemque habeant. docetur

poſſe

poſſe ipſos totum corpus hominis occupare:
poſſe occupare aliquod hominis membrum:
poſſe eſſe in minima aliqua parte:
Incertum ferè eſſe, quam partem occupent:
ſæpius in, vel iuxta cor reſidere:
reſidere etiam alijs locis.
Sæpe etiam loca mutare, ſed tamen non circumſcribi his locis, vt corpora.

Caput vndecimum.

Dæmones quandoque ſignis quibuſdam prodere ingreſſus ſuos in homines: qualia ſunt præcipuè,
exhibitio exhorribilis formæ:
tumultus excitati:
allata moleſtia.
mirabiles in ſomno viſiones.
Et his ſimilibusq; ſignis produnt ingreſſus,
æmulatione Dei:
imitatione Angelorum:
Dei imperio:
hominum conditione:
ſed tamen ſignis his opus non habent
ſæpe etiam nulla interueniunt.

Caput duodecimum.

Quorum Ordinum ſint Dæmones, qui homines poſſident; & vnde id cognoſcatur.
Ordinem enim intèr ipſos poſtulant,
Ipſorum natura conditio:
diuina ſapientia:
ſtudium nocendi ipſorum. ſed
Qui verè moleſti ſunt,
infimi ordinis ſunt:
veruntamen non hi ſoli.
Sunt quoq; ſupremi ordinis.
& quandoq; in ſupremo ſummus.
Difficulter tamen dixeris, quales obſident. Veriſimile deprehēdi, ſint, qui eſſe, Ordinum ſuperiorum
ex grauitate malorum, quæ afferuntur:
ex difficili ipſorum ab hominibus diſceſſu:
ex confeſſione extorta per Exorciſtas.

Caput decimum tertium.

Plures quandoque in homine Dæmones eſſe. Conſtare hoc.
exemplis Scripturæ:
ratione naturali.
plerunq; etiam eſſe plures in Obſeſſis.
Dæmones quoq; ſocietate hac gaudere.
difficulter dici an plures ſint; & quot ſint.

Caput decimum quartum.

An plures Spiritus plus torqueant: & ſinguli eadem tormenta Obſeſſis adferant: docetur
plus plures torquere:
omnes torquere qui in homine ſunt:
eadem mala quandoque à pluribus afferri:

quando-

quandoq; ſingulos propria habere, quæ dent.
veriſimile quoq; ſua ſingulis eſſe in homine loca.
veriſimile quoq; in hac ſocietate vnum eſſe cæterorum caput.

Caput decimum quintum.

De finibus, qui Dæmonibus in obſidendis hominibus ſunt propoſiti. docetur
non per hoc à ſuis pœnis liberari dæmones:
ingredi, vt incommodent & crucient:
huius cauſam eſſe odium erga homines: quod naſcitur
ex odio Dei;
ex inuidentia felicitatis hominum:
ex inuidentia ſalutis eorumdem:
ingredi etiam ob ſuperbiam;
diuinoſq; honores aucupandos.

Caput decimum ſextum.

An, & qui poſſint Dæmones hominibus immittere. docetur,
Deum poſſe immittere:
Diabolum poſſe immittere:
homines ſanctos poſſe immittere:
homines malos poſſe immittere:
ſed tamen diuerſimodè.

Caput decimum ſeptimum.

De varijs operationibus Dæmonum in Obſeſſis, & cui illæ tribuendæ.
propria Dæmonum ſunt, ipſorum intellectus
& voluntatis:
illa etiam, quibus cruciatum obſeſſis afferunt:
illa, quæ humanas vires ſuperant.
ſæpiſſimè etiam obſeſſorum ſermo. de quo plura.

SEQVVNTVR CAPITA ſecundę partis, quibus explicatur, qui Obſeſſi, quę ſigna & cauſę obſeſſorum, &c.

Caput decimum octauum.

An Catechumeni, & nondum baptizati obſideantur à Dęmone.
habent in hos aliquam poteſtatem,
& in vita:
& in morte:
Ipſi tamen verè obſeſſi non ſunt.
Exorciſmi verò iuſtè ipſis adhibentur.

Caput decimum nonum.

An Sagę & malefici à Dęmonibus obſideantur. docetur
non poſſideri omnes:
deteriorem ipſorum, quàm Obſeſſorum conditionem eſſe.
nihil colligi ex probatione Aquæ frigidæ, &c.

Caput vigeſimum.

An Diuinatores reipſa à Dęmonibus ſint Obſeſſi. docetur
non eſſe obſeſſos omnes:

vti

Digitized by Google

vti tamen opera Dæmonum.
Eorum conditionem deteriorem eſſe,quàm Obſeſſorum:
iuſtè de his,non illis ſupplicia ſumi:
quoſdam etiam obſeſſos eſſe.

Caput vigeſimum primũ.

An Hæretici verè à Dæmonibus obſideantur. docetur verò
habere magnam conſuetudinẽ cum Dæmonibus:
non omnes tamen eſſe obſeſſos.
Anabaptiſtas quoſdam obſideri:
differre tamen hos, ab alijs obſeſſis.

Caput vigeſimũ ſecundũ.

De ſignis duodecim, quæ verè non produnt homines eſſe obſeſſos;vt ſunt
opinio quorundam putantium ſe obſeſſos:
vita improba,& ſcelerata,
agreſtes mores & barbari:
grauis & diuturnus ſomnus:
conſuetudo nominandi Dæmones:
traditio ſui Dæmonibus facta:
vbiuis locorum trepidatio:
homicidium propria manu ſibi allatum:
Dæmonum inuocatio:
furia,ſiue inſania:
obliuio rerum cognitarum:
occultorum reuelatio,&c.

Caput vigeſimũtertium.

Quæ occultorum reuelatio prodat latentes in hominibus Dæmones? Prodit
illa,cui nulla ratio honeſtatis ſubeſt:
quæ cedit in contumeliam Dei:
quæ cedit in iniuriam proximi:
ſi tamen occulta hominum notitiam fugiant.

Caput vigeſimũ quartum.

Quæ ſcientia linguarum, prodat inhabitantes Dæmones. illa prodit,
quæ ſtudio comparata non eſt:
& cuius vſus obeſt.
prodit eoſdem Spiritus aliquando ſcientia legendi:
ſcientia ſcribendi:
cognitio rerum naturalium:
peritia cantandi:
Arithmeticæ notitia.

Caput vigeſimũ quintum.

De ſex generibus ſignorũ corporalium, quæ ſuſpitionem latentis in homine Dæmonis generant:hęc ſunt
barbaræ voces:
horribilis vultus:
membrorum ſtupor:
ſumma inquietudo:
vires humanis ſuperiores:
cruciatus & tormenta.

Caput vigeſimũ ſextum.

Quænam Res ſacræ prodant latentes in hominibus Spiritus Dæmoniorũ. Produnt
Inuocatio diuini nominis:
prolatio nominis Ieſu:
piæ orationis recitatio:
Reliquiæ Sanctorum:

Digitized by Google

Agnus Dei vſus:
Res conſecrata:
Crux impreſſa:
Eucharistia exhibita,&c.
hæc enim Dæmonibus ſunt inuiſa:
Diuina etiam reuelatione produn-tur aliquando.

Caput vigeſimũ ſeptimum

De Obſeſſorum miſera conditione, ob mala, quę patiuntur in corpore & anima.

Corporis mala,cap.6.data.ſed
animabus cauſa peccatorum nõ ſunt Dæmones:
peccata tamen pleraq; Dæmonibus tribui:
quædam ab obſeſſis etiam fieri ſua voluntate.
A Dæmonibus etiam ad peccatum inclinari ipſos:
& facilius hos, quàm non obſeſſos inclinari:
Tribus modis ad peccata hos promoueri,
Summam ſemper homini libertatẽ relinqui.

Caput vigeſimũ octauum.

De Obſeſſorum miſera conditione,ob bona, quibus priuantur, per Dęmones. Docetur

Non priuari Obſeſſos vita æterna:
non priuari fide Theologica:
non priuari habitibus ſpiritualibus:
non effi io virtutum deſtitui:
Poſſe actus bonos & meritorios præ-ſtare:
nõ indignos eſſe Sacramẽto altaris:
poſſe accipere Sacramenta alia.
ſed tamen multis bonis corporis priuari.
Spe ſalutis quoſdam deſtitui:
prohiberi quoſdam acceſſu ad fidẽ:
prohiberi aſſecutione aliarum virtutum:
prohiberi actibus virtutum
& hoc multipliciter.
prohiberi quandoque vſum Sacramentorum.

Caput vigeſimũ nonum.

An Obſeſſi ſemper ſint cauſa tyrannidis, quam patiuntur à Dęmonibus.docetur

ſæpè hanc peccatis ſuis ipſos mereri:
cõſtare hoc exemplis ſacris,profanis.
ſententia Chriſti:Sanctorum:
rationibus iuſtis.

Caput trigeſimum.

Ob quas culpas patiantur, Diaboli tyrannidem,obſeſſi.Reſpondetur

ob mortales quandoq; : &
ob veniales quandoq; :
& plerunq; ſunt ſequentem:
infidelitas:
abuſus Euchariſtiæ:
blaſphemia:
ſuperbia:
luxuria:
inuidentia:
auaritia:
perſecutio Sanctorum:

Digitized by Google

impietas in parentes:
Conuitia:
Dei rerumq́, diuinarum cõtemptus:
traditio ſui Dæmonibus:
ſtudium diuinationis:
Contemptus Sacram Confirmat.

Caput trigeſimum primũ.
Homines quandoque non ob proprias, ſed aliorum culpas, pati tyrannidem Dęmonum.
prius certum, exemplo puerorum innocentum:
ſententia Patrum:
exemplo hominum Sanctorum:
ratione iuſta.
poſterius non contra iuſtitiam: & certum ſex exemplis.

Caput trigeſimũ ſecũdum.
Fieri quandoque, vt abſque vlla culpa homines patiantur obſidentes Dæmones: ſed non ſine magnis diuinæ prouidentiæ cauſis. Nam ſic
Deus homines de rebus magnis inſtruit:
à vitijs & peccatis abſtrahit:
vrget ad ſtudium virtutum:
prabet exempla patientiæ:
aptiores reddit cœlo.

SEQVVNTVR CAPITA Tertię partis, de poteſtate & modis, quibus eijciuntur Dęmones.

Caput trigeſimũ tertium.
Eſſe aliquam poteſtatem, qua ex hominum corporibus eijciantur Dęmones.
docent Sacra Scriptura hoc varijs modis:
docet Patrum ſententia non leuium:
confirmat experientia quotidiana.

Caput trigeſimum quartum.
De quadruplici poteſtate, qua Dęmones ex hominum corporibus pelluntur:
Chriſti Domini:
Dei in veteri Teſtamento:
Salomonis:
Diabolica.

Caput trigeſimũ quintum.
De multiplici differentia inter quadruplicem poteſtatem Dęmones exigendi. Differunt enim
authoribus:
forma:
ſubiectis:
finibus:
principijs:
efficacitate:
duratione:
conditione:
qualitate.

Caput trigeſimũ ſextum.
Ob quem finem Chriſtus Eccleſiæ contulit poteſtatẽ pellendi Dęmones.

vt fides adhiberetur Euangelio eius:
vt eius innoteſceret potentia atque diuinitas:
vt innoteſcerent ipſius amici, Sancti:
vt honorarentur Sancti:
vt à Dæmonis poteſtate liberarêtur Obſeſſ:
vt intelligeretur quanta hominis dignitas:
vt cognoſceretur maieſtas Eccleſiæ:
vt cognoſceretur hominem non cogi ad peccatum à Dæmonibus:
vt confunderentur Dæmones.

Caput trigeſimum ſeptimum.

Penes quos poteſtas eijciendi Dæmones Eccleſiæ à Chriſto relicta ſit, fueritque. Docetur
fuiſſe penes Apoſtolos:
fuiſſe penes credentes ſiue fideles:
fuiſſe tamen precipuè muneris Exorciſtarum:
eſſe quoq; ſanctas mulieres hac poteſtate claras.

Caput trigeſimum octauũ.

De Exorciſtarum varijs Cõditionibus. Precipuę ſunt:
Peccatorum Confeſſio:
feruens oratio:
Ieiunium:
humilitas:
flagrans Dei amor:
Spes & fiducia.
Hinc colligitur & intelligitur,
Cur Sancti difficiles hi. fuerint, &
In exorciſmis cauendam leuitatem.

Caput trigeſimum nonũ.

An puritas conſcientię omnino ſit Exorciſtis neceſſaria. Docetur
multum prodeſſe.
exemplis Sanctorum,
confeſſione Dæmonum,
fuga Dæmonum,
odio locorum, vbi Sancti fuerunt,
opinione hominum obſeſſorum, &
non tamen omnino eſſe neceſſariam:
oratione Chriſti Iudæis,
teſtimonio Cypriani,
exemplo malorum Exorciſtarum,
admonitione Chriſti data Apoſtolis,
ratione ex fide petita,
refutatione argument. contrariorum.

Caput quadrageſimum.

An Exorciſta hęreticus poſſit eijcere Dęmones. Docetur
nunquam expulſurum Dæmonem, pro fidei ſua confirmatione; cùm Deus teſtis falſi non ſit.
& Dæmonum expulſio ſignum fidelium:
Hinc nunquam leguntur expulſſe.
ſæpe hic deluſi,
nunquam alia miracula feciſſe.

Caput quadrageſimum primum.

De quinq; diuerſis modis, quibus apud Catholicos Dæmonia eijciuntur: qui ſunt

nominis

nominis Ieſu inuocatio.
Vſus Reliquiarum:
impreſſio S. Crucis.
Vſus rerum conſecratarum.
Exorciſmus.

Caput quadrageſimum ſecundum.

Examinatur modus, quo per inuocationem nominis Ieſu pelluntur Dæmones. docetur

hoc plurimos pulſos:
Nomine intelligi virtutem Chriſti:
Chriſti nomen vſurpatum præ Patris & S. Spiritus.
ad eius diuinitatem aſtruendam.
ad eius doctrinam perſuadendam.
Vſurpatum nomen, Ieſu, præ alijs:
quia hoc proprium Chriſti:
hoc leguntur pulſi Spiritus:
huic plus tribuerunt Apoſtoli:
huius & iam vſus præ alijs:
& hoc poſtulat finis Exorciſmorum.
Nudam nominis Ieſu compellationem dæmonibus etiam terribilem fuiſſe, &c.

Caput quadrageſimum tertium.

Examinatur ſecundus modus, quo per Vſum Reliquiarum Dæmones ex hominibus eijciuntur. Docetur

hunc plurimum poſſe hic;
ſententia patrum,
exemplo Apoſtolorum,
hiſtorijs Sanctorum.
ſimilibus & maioribus miraculis:
Chriſtum hoc modo voluiſſe pelli Dæmones.
pro diuinitate ſua aſtruenda:
pro Sanctorum honore promouendo.
Vim verò nullã Reliquijs ineſſe:
Inſtrumenta hic Dei eſſe.

Caput quadrageſimum quartum.

Examinatur modus tertius; & per Vſum ſigni Crucis ex hominũ corporibus Dęmonia pelli. docetur

exemplis Sanctorum plurimis:
terrore Dæmonum ad Crucis præſentiam:
ſententijs SS. Patrum:
opinioni communi hominum:
prodigijs vi crucis factis.
Sed vnde hæc fuga ob Crucem?
Non ineſt vis aliqua ipſi Cruci:
Crux inſtrumentum Dei hic eſt:
pietas hominum hic multum poteſt:
odium Dæmonum etiam valet.

Caput quadrageſimum quintum.

Examinatur modus quartus, doceturq́; Rerum conſecratarum vires eſſe magnas ad pellendos Dęmones.

ipſa forma, qua res benedicuntur.
Prodigioſis effectis ad hæs ſecutis.
exemplis Dæmonum ex homini-

Digitized by Google

bus pulſorum: exemplis Dæmonum aliunde profligatorum.
Dicere autem res conſecrare, probatur
rationibus pluribus:
conſuetudine Eccleſiæ:
exemplo Sanctorum:
ſententia Patrum:
refutatione contrariorum rationũ.

Caput quadrageſimum ſextum.

Examinatur quintus modus, quo per Exorciſmos Dæmones pelluntur. docetur verò
hunc antiquiſſimum eſſe:
magnas vires habere:
aliam atq; aliam formam eius eſſe:
Iuſtiſſima eſſe omnia, quæ in illo adhibentur.
vt ſunt
Oratio ad Deum facta:
Sacrificium Miſſæ:
Modus orandi per merita Chriſti, & Sanctorum:
Litaniæ Sanctorum:
Adiuratio Spirituum:
Sanctarum Reliquiarum vſus:
Vſus aquæ benedictæ:
Crucifignationes:
Sacrament. Euchariſtiæ:
Locus ſacer:
Veſtes ſacræ:
Stola ſacerdotalis:
Impoſitio manuum:
Cerei accenſi:
Flagella:
Immiſſio digitorum in obs obſeſſi.

Caput quadrageſimum ſeptimum.

Rationes & modos, quibus Dæmones pelluntur nõ ſemper eſſe efficaces. vt docetur
exemplo filiorum Sceuæ,
Apoſtolorum,
Sanctorum.
Cum ratio ſumitur nunc
ex exorciſmis: nunc
ex Dæmonibus obſidentibus: nunc
ex hominibus obſeſſis: nunc
ex Exorciſtis: nunc
ex diuina prouidentia.

Caput quadrageſimum octauum.

An ſenſibilibus, & rebus prorſus naturalibus quandoque pellantur Dæmones.
veriſimile per ſe non pelli.
Sed, Quid de cythara Dauid apud Saul?
Saul verè obſeſſum fuiſſe à Dæmone:
verè aliquando liberatum, idq;
non pietate Dauid:
non ſono cytharæ;
ſed hoc fractum dolorem Saul.
Dici tamen poſſe liberatum ſono cythara,
vt ſigno Chriſti paſſionis; &
vt inſtrumento Dei.
Et quid de fumo apud Tobiam?
Hoc vt ſigno potuit pelli Dæmon:
& vt inſtrumento Dei.

Et quid

Et quid de radicibus in Exorciſmo Salomonis?
Ex Dei voluntate fuerunt efficaces.

SEQVVNTVR CAPITA quartæ partis, quę explicant Dęmonum egreſſum, & cõiuncta cum eodem.

Caput quadrageſimum nonum.

Dæmones admodum difficulter relinquere homines quos obſidẽt. docetur id
experientia quotidiana:
exemplis Dæmonum olim pulſorũ:
exemplo Apoſtolorum:
opinione Iudæorum:
ſententia Sanctorum:
ſignis & confeſſione Dæmonum:
verbis expellere & eijcere.

Caput quinquageſimum.

Quæ cauſa, cur difficulter homines relinquant obſidentes Dæmones? Reſpondetur
quia cupiunt nocere.
non, quia expulſi rurſus homines non inuadant,
aut quia inde in infernum mittantur:

Caput quinquageſimum primum.

Quòd quidam Spiritus difficilius eijciantur, & qui illi, atq; vnde hoc habeant. docetur
Quoſdam difficilius eijci
exemplo Apoſtolorum,
aſſertione Chriſti,
opinione Iudæorum.
Illos verò eſſe
lunaticos: ſiue ſurdos & mutos Spiritus.
non ſuperiorum ordinum tantùm:
non plus torquentes tantùm:
non quibus data cauſa homines ingrediendi:
nõ qui diutius in hominibus fuerũt.
Lunaticos autem difficilius eijci,
non quia maiorum ſunt virium;
ſed quia Dei volũtate plus poſſunt.

Caput quinquageſimum ſecundum.

Quibus ſignis Dęmones egreſſum ex humanis corporibus prodant. Reſpond.
propria confeſſione:
animalculorum ab obſeſſis egreſſu:
inconditis clamoribus.
ceſſatione deformis formæ.
vomitu turpi:
fœtore graui:
inſolito tumore in obſeſſo:
membrorum diſruptione:
obſeſſorum in terram proſtratione:
imagine quaſi mortui:
datis damnis & tumultibus:
deniq; alijs imperatis ab Exorciſta.
Et horum aliquando plura concurrunt: ſed tamen nec ſemper ipſa adſunt,
nec neceſſarium argumentum ſunt diſceſſus.

Caput

Caput quinquageſimum tertium.

Explicantur rationes & cauſæ ſignorum diſceſſus, quæ ex humanis corporibus eiecti Spiritus edere ſolent.

Ratio ſignorum coactorũ eſt, vt cognoſcantur diſceſſiſſe.
Ratio voluntariorum;
crudelium, eſt odium erga homines:
ſordidorum, deteſtatio rerum ſacrarum:
barbarorum, difficultas diſceſſus.
Leuium, confuſio Spirituum.

Caput quinquageſimum quartum.

Qua via Dæmones egrediantur, dum homines relinquunt.

Nulla quidem ijs certa eſt;
nec vlla indigent:
duæ tamen, vt plurimum, ſunt,
inferior, rarius;
ſuperior, frequentius.

Caput quinquageſimum quintum.

An omnes ſimul egrediantur, quando exire coguntur.

Non hoc neceſſe quidem:
ſed nec ſemper fit etiam:
vt plurimum tamen fieri tria inſinuant.
exempla Sanctorum, qui eiecerunt olum.
experientia communis.
vis Exorciſmorum.

Caput quinquageſimum ſextum.

Quonam tendant Spiritus Dęmoniorum ab hominibus. eiecti Pro ipſorum voluntate.

Corpora humana primò expetunt:
hinc beſtias & pecudes:
poſt has loca, hominum frequentia clara:
hinc loca deſerta:
poſt hæc aerem ſuperiorem:
infernum refugiunt. licet fruſtra aliquando.

Caput quinquageſimum ſeptimum.

Cur Dęmones ęgerrimè deſcendant ad Infernum?

Quia libidini ſuæ ibidem nequeunt ſatisfacere in hominibus vexandis.
quia per infernum tollitur libertas vagandi, quam amant.
Non autem quia ibidem tantùm pœnas,
quas meruerunt, ſuſtinent.
Accidentalem tamen pænam addit miſeris infernus.

Caput quinquageſimum octauum.

An voto Dęmonum licet ſatisfacere; quando ex homini-

Digitized by Google

minibus egreſſuri, aliquid petunt.

Non licet, ſi iniqua petant: qualia ſunt quæ lædunt Dei gloriam: quæ obſunt ſaluti proximorum.

Licet quandoq;, vt ſi petant ne nouis pœnis grauentur. ne bono, quod poſſident, priuentur. vt bonum etiam aliquod conſequantur.

Licet quandoq; facultatem facere ingrediendi homines. de quo Vide ibidem.

Nunquam tenetur Exorciſta voto Dæmonum ſatisfacere.

FINIS CAPITVM LIBRI DE DEMONIACIS.

ELENCHVS,

SIVE INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI, QVI EST DE LOCIS INFESTIS, CVM BREVIBVS Summarijs.

CAPITA PRIMAE PARTIS, in quibus agetur de Locorum, Spirituum, & moleſtiarum generibus, modis finibus, cauſis, &c.

Caput primum.

Eſſe loca quædam infeſta & à Spectris atq; Spiritibus homines vexari, docetur exemplis

Heſperij viri tribunitij:
Germani Capuani:
Diaconi Greg. Neocæſarienſis:
Theodori Archimandritæ;
S. Partheny:
Regis Coades:
Tracenſis prouinciæ:
Athenienſium:
Chorinthiorum
Pauſaniæ Regis:
Dionis apud Plut.
Cæſaris Caligulæ:
Neronis Imperat:
Ottonis Imperat.
Alexandri ab Alexand.
Torrellorum Parmenſ.
Heldesheimenſium:
Pictauiorum:
Camontium apud Bingam:
B. Gregorij:
Verretenſium Virginum:
VVormatienſium:
Aquilonarium populorum:
Scotorum:
Lybiæ incolarum:
Liparenſium:
foſſorum metallicorum:
Catarinæ cuiuſdam Peruanæ:
Keropenſium:

Digitized by Google

Liuonienſium, &c.

Caput ſecundum.

Multiplicia eſſe loca infeſta; ſed reuocari ad duo præcipua.

Ad infeſta per ſe, &
Infeſta propter homines.
differre hæc
tempore ſiue initio moleſtiarum:
duratione moleſtiarum:
finibus, Spiritibus propoſitis:
formis ſpirituum:
numero patientium moleſtias:
expurgandi ratione.

Caput tertium.

Tria eſſe Spirituum moleſtantium genera, qui infeſtent loca.

Dæmones, ſiue Angelos malos:
Animas hominum damnatorum:
Animas, quæ purgantur:
Singulorum dantur exempla.

Caput quartum.

Varios eſſe, tam Dæmoniorum, quàm hominum miſerorum ſpiritus, qui loca reddant infeſta:

Dæmonum eſſe ſex genera pro locorum differentia:
eſſe duo pro differentia qualitatum:
eſſe 9. pro differentia ordinum.
Animarum damnatorum eſſe genera duo:
eorum vnum, qui propter actualia peccata puniuntur.
alterum eorum, qui Originale tantum habent.
Purgandorum etiam duo genera eſſe. Nam quidam tantum pœnas perſoluunt:
in quibuſdam etiam expiatur culpa.

Caput quintum.

Quinam Spiritus frequentius rebus viuentium interſunt, & moleſtant.

Rariſſimè interſunt ſpiritus damnatorum hominum:
nec enim ipſi hoc expetunt:
nec Dei voluntate videntur cogi:
nec Dæmones id deſiderant.
frequentius interſunt ſpiritus purgandorum.
quia poſſunt expetere, vt interſint.
& facilius quod petunt, poſſunt obtinere:
& Deo poſſunt eſſe rationes cur hoc velit.
frequentiſſimè ſunt Dæmonum ſpiritus, qui redeunt & moleſti ſunt.
Id patet
ex ipſorum deſiderio:
ex Dei prouidentia:
ex moleſtijs, quæ plerunq; afferuntur.

Caput ſextum.

Quinam ex ſpiritibus Dæmoniorum præ cæteris adſunt viuentibus, & moleſti ſunt.

Omnes

Digitized by Google

Omnes quidem percipiunt;
quia horrent infernum: &
moleſti deſiderant eſſe hominibus.
Et ardentius cupiunt illi ſuperiorum Ordinum;
quia magis horrent infernum;
& magis deſiderant nocere.
ſed tamen ſæpius adſunt, & moleſtant inferiorum Ordinum; quã ſuperiorum.
quia non ita meriti carceres inferni:
& ab his ſunt Terriculamenta, quæ mortis ſunt indicia, & frequenter percipiuntur.

Caput ſeptimum.

Qui ex ſpiritibus purgandis facilius redeunt, & hominum poſtulant ſuffragia.

Difficulter hoc conſtituitur.
aut ex Confeſſione ſpirituum:
aut ex peccatis, pro quibus ſatiſfaciunt:
aut ex conditione perſonarum, quæ ſatiſfaciunt.
Veriſimile tamen facilius redire eos, qui hoc meruerunt:
vt ſunt, qui flagrarunt in vita dilectione magna Dei, &
ſtudio iuuandi defunctos.
Poteſt quoq; Deus alias habere cauſas facilioris reditus.

Caput octauum.

Qui ex ſpiritibus hominũ damnatorum facilius & frequentius redeunt & moleſti ſunt.

Impiorum aliquando in parentes:
immiſericordium erga pauperes:
oppreſſorum pauperum:
miſerè ſeductorum:
crudeliter interfectorum.

Caput nonum.

An ſemper in propria perſona adſint viuentibus ipſi ſpiritus, qui moleſtant.

Certum eſt, ſemper adeſſe Dæmones.
ratio probat;
confirmat experientia:
& communis hoc habet ſenſus.
Certum eſt non ſemper adeſſe hominum ſpiritus perſonaliter.
quia ſæpius Dæmones hîc illudunt:
quia aliquando idem ſpiritus duobus locis videtur:
Credendum tamen aliquando adeſſe perſonaliter.
Nam & permittitur ijs locu ſua exire:
& poſſunt per vires ſuas exire:
& non fruſtra exeunt:
& Deus poteſt velle ipſos exire.

Caput decimum.

Qui ex moleſtantibus ſpiritibus frequentius perſonaliter adſunt, & moleſtant.

frequentiſſimè rebus viuentium interſunt perſonaliter Dæmones.

quia interſunt ſæpè cum Spiritibus hominum:
quia adſunt, quando ſub forma non humana ſpectra conſpiciuntur:
& quando magna moleſtia afferuntur:
Sed & ipſi expetunt vt adſint:
& Deus poteſt iuſtè velle ipſos adeſſe:
& exempla pro ipſis plurima ſunt:
Rarius interſunt Spiritus purgandi.
Rariſsime Spiritus damnatorum.
patet ex dictis Cap. 5.

Caput vndecimum.

An, & vnde poſſit conſtare Humanos Spiritus rebus viuentium intereſſe perſonaliter.

Non conſtat ex forma ſpirituum, qua conſpiciuntur.
nec ex ſpirituum confeſſione.
Sed & difficulter poteſt conſtare.
Purgandos intereſſe perſonaliter, quando apparent, eſt veriſimile.

Caput duodecimum.

An Spiritus humani cognoſcant, quæ aguntur vel ab ipſis, vel ipſorum nomine, ab Angelis nunc bonis, nunc malis.

Certum eſt humanos ſpiritus non notitia deſtitui omni, quando corpora relinquunt probat
ratio, quia viuunt non otioſi:
authoritas Cyri: & Hieronymi:
exemplum Epulonis, & aliorum.
Et dum heteroproſopos interſunt, certum eſt cognoſcere vi ſua, nec noſtra:
nec quæ ipſorum nomine geruntur:
nec quòd adſint & interſint rebus mortalium: quæ tamen poſſunt reuelatione ſibi facta cognoſcere.
Dum verò adſunt autoproſopos ſiue in propria perſona, cognoſcunt quidem
vi ſua ſe eſſe præſentes: ſed
non omnes res viuentium quibus adſunt:
nec omnia, quæ ipſorum nomine geruntur.

Caput decimum tertium.

De Cauſis & finibus, qui tam Deo, quàm Spiritibus ſunt propoſiti in locorum infeſtatione.

Spirituum purgandorum finis eſt ſubſidium viuorum:
Damnatorum hominum, moleſtia mortalium:
Dæmoniorum, pernities mortalium:
Dei, bonum in omnibus: & quidem multiplex.

Caput decimum quartum.

Inter loca quædam eſſe magis infeſta alijs: & vnde hoc accidat. Oſtenditur

Infeſta præ reliquis eſſe,
ſolitudine: & loca deſerta:
loca paludoſa:
ſpecus ſubterraneas:
arces & ampla ædificia:
loca clara cæde hominum:

loca.

Digitized by Google

loca, vbi innocentes necati:
loca, vbi grauius peccatum eſt:
loca, vbi inſignes nequam:
loca, vbi excellentes ſancti degunt.
Huius cauſam pendere ex voluntate nunc Dei: nunc Spirituum.

Caput decimum quintum.

Quæ cauſæ, ob quas Spiritus, maximè diabolici hæc magis, quàm alia loca infeſtent.

Cauſæ ſunt
terrorem incutere:
damna afferre:
libidini ſuæ ſeruire.
docetur in dictis, Cap. 14. locis.

Caput decimum ſextum.

Non æquales omnibus locis omnes, moleſtias pati: & in quo æqualitas illa conſiſtat.

Inæqualitas conſiſtit in modo, quo afferuntur moleſtiæ:
in malis, quæ afferuntur:
in frequenti repetitione malorum.
Non æquales omnes omnibus locis ſuſtinent.
In locis propter homines infeſtis hoc certum.
Certum quoq; in locis per ſe infeſtis: vbi moleſtiores quibuſdam ſunt ſæpè
ſpiritus purgandi:
ſpiritus damnatorum:
ſpiritus Dæmoniorum.

Caput decimum ſeptimũ.

Quinam præ cæteris, Spirituum moleſtijs expoſiti ſint: & quibus de cauſis Spiritus Diabolici quoſdam hoſtilius perſequantur.

Et boni & mali moleſtantur à Spectris.
Et non tantùm ob mortalia, ſed & venialia peccata, maximè ob
mortem iniuſtè allatam:
pauperum oppreſſionem:
impietatem erga parentes:
blaſphemiam:
violatam religionem:
hæreſum propagationem:
traditionem ſui diabolo.

Caput decimum octauum.

Quibus temporibus Spectra maximè moleſtent: & cur nocte potius, quam interdiu.

Primò, non ſunt alligata tempori certo:
Secundò, nocte ſæpius moleſta ſunt: res clara multis exemplis:
ratione item. Sed alia atque alia in ſpiritibus damnatorum, & purgandis animabus:
quamuis apud vtroſque valeat fuga conſpectus:
tumultus excitandi:
paucitas operarum:
celer quo apparent:
quibus nox ſeruit.

Caput decimum nonum.

De varijs modis, quibus Spiritus moleſti ſunt: ſed qui omnes, vel viſu, vel auditu, vel tactu percipiuntur.

Ad auditum pertinent, qui excitantur
leuis ſtrepitus:
magnus tumultus:
ſimilatus inceſſus:
cachinni & riſus:
ſuſpiria & gemitus:
clamores, voces:
vociferationes &c.
quorum exempla dantur.
Ad viſum varia forma. Nam ſub humana; triſtis:
macie confecta,
nigreſcens,
inſolita magnitudinis,
oculata,
horribilis,
inſoliti habitus,
mortuos referens.
Sub brutorum
equorum, murium,
ſerpentum, luporum,
aſpidum, ſcorpionum,
pardorum, vrſorum,
taurorum, boum,
auium, catorum,
hircorum, arietum.
ſub monſtrorum
hypocentauri,
illius, cuius Iob meminit, 41. cap.
Lacerta bicipitis,
draconis cincti ſerpentibus,
centimani & centipedis,
hominis tricipitis:
Et horum exempla data.
Ad tactum pertinent
aurium vellicationes,
accubationes in eodem lecto,
crinium abraſiones,
propulſiones, proſtrationes,
inflicta vulnera & vſtiones,
allata verbera, & plaga,
mors & nex procurata,
damna data in bonis externis,
ſubtractio prolis,
nefandi coitus, &c.
hac datis exemplis docentur.

Caput vigeſimum.

Quæ ratio & conditio vocum, ſonorum, atque tumultuum, qui auribus viuentium percipiuntur.

Non vera ſunt voces, qua audiuntur:
nec veri clamores:
nec verus gemitus:
nec verus riſus:
nec verus cantus:
Nec in his formandis opus eſt organis viuorum:
ſunt tamen veri ſoni, qui audiuntur:
veruntamen non ſemper. ſapè ſenſus fallitur.

Caput vigeſimum primum.

Quæ ratio formarum, quæ

quæ in oculos incurrunt, quibus ſe Spiritus exhibent.

Non ſunt veri homines, qui homines videntur:
Bruta quæ videntur, aliquando ſunt, quod videntur, veruntamen non ſemper:
Monſtra, quæ apparent, ſemper opera Dæmonum ſunt.
plerunq; hæc nec in genere viuentium ſunt.
perſæpè tamen ſunt vera corpora:
Aliquando nec corpora; ſed rerum tãtum ſpecies & ſimulachra:
Hæc faciunt Spiritus motu locali, aut ſenſuum illuſione.

Caput vigeſimum ſecundum.

De ratione & modo, quo Spectra tangunt vſtionem, verbera, & necem affe. runt.

Spiritus ſiue Spectra non pollent vitã gendi:
Tangi tamen verè poſſunt à viuis:
percipiuntur plerumq; vt frigida.
Vſtionem verè afferunt nunc per ignem à ſe productum:
nunc per carbones, &c.
nunc per res virtute calidas.
Verbera infligunt,
nunc per aſſumpta corpora:
nunc ſubſidio aëris concitati:
nunc ſua vi & poteſtate.
Necem & mortem iiſdem modis.

Caput vigeſimum tertium.

Qui ſint veri authores eorum, quæ infeſtantibus Spiritibus, percipiuntur, vel viſu, vel auditu, vel tactu. Et oſtenditur quid tribui, vel nõ tribui, debeat humanis Spiritibus. Ergo

Omnia, quæ percipiuntur, poſſunt tribui humanis Spiritibus etiã ſi per Dæmones fiant, modò ipſorum nomine fiant.
Poſſunt etiam defunctorum Spiritus propria virtute de loco ad locũ tranſire.
Poſſunt iidem propria virtute ad viuentes redire, ſi permitterentur.
Non poſſunt rerum ſpecies, per quas in oculos incurrunt, per ſe efficere; ſi vera corpora deſint, quæ exiſtimantur videri.
Non poſſunt per ſe hominis imaginationem afficere, & perturbare.
In ſomno non poſſunt eſſe moleſti viuis per varia phantaſmata.
Non poſſunt effingere, atq; efficere corpora

corpora ſub quibus conſpiciuntur.
Ipſi non ſunt, qui corporibus figuras dant.
quibus oculos viuorum incurrunt
Nec ipſi ſunt authores colorum in ijſdem corporibus.
Ipſi tamen corpora formata iam, & ſibi accommodata, poſſunt per ſe mouere & circumferre, niſi fortè nimia mole excedunt humana.
Quod ſi aſſumpta corpora ſint infra molem humanorum vſitatam, facilius mouebunt.
Corpora aſſumpta ſpiritus humani non mouebunt ea ratione, qua mouent ſibi naturaliter vnita.
Sic nec ſuſtentant atq; continent aſſumpta corpora humani ſpiritus; vt ſua ſuſtinent, & continent.
Rectè tribuuntur ſpiritibus humanis authoribus, quæ cum motu ſunt coniuncta, quæ per hæc corpora fit:
ſiue illa pertineant ad viſum:
ſiue ad auditum:
ſiue ad tactum.

Caput vigeſimum quartũ.

Quænam ex ijs rebus, quas in moleſtijs & infeſtationibus Spirituum viuentes percipiunt, Angelis tribuenda ſint, & non humanis ſpiritibus; quamuis humani ſpiritus illarum videantur eſſe authores.

Tribuenda primò illa, quæ per humanos fieri non poſſunt. quala ſunt;
ſenſuũm illuſiones:
impreſſiones facta in phanthaſiam:
illuſiones nocturnæ:
formatio corporum, quæ circumferuntur.
conſeruatio eorundem corporum:
figuræ corporum dictorum:
eorundem colores:
motus magnorum corporum:
ingentes tumultus:
grauia damna quadam, allata aut corporibus:
aut etiam facultatibus:
priuatio functionum ſenſus.
Tribuenda deinde quædam, quæ nõ conuenit fieri per humanos ſpiritus.
quamuis poſſint per eoſdem fieri.

Caput vigeſimum quintum.

Quibus Angelis authoribus tribuenda ſint illa, quæ cum Spirituum moleſtijs coniuncta ſunt: bonisne, an malis?

Omnia quidem poſſunt fieri ab vtriſq; quia in neutris deſiderari poteſt.
aut voluntas,
aut ſcientia,
aut poteſtas.
Sed tamen de facto ſi quæſtio eſt, res ſic ſe habet:
Quæ malis damnatorum hominum ſpiritibus tribuuntur: & per ipſos

Digitized by Google

tribuuntur: & per ipſos fieri non poſſunt habent authores Angelos malos.

Quæ bonis purgandorum Spiritibus tribuuntur: & per ipſos fieri neque unt, habẽt authores Angelos bonos: vtrumq; conuenienter fieri docetur.

SEQVVNTVR CAPITA Secundæ partis, qua inquiritur diſtinctio Spirituum & principio humanorum à Dęmoniorum.

Caput vigeſimum ſextum.

An, & quæ forma diſtinguat humanos Spiritus à Dæmonibus apparentibus.

Humana non diſtinguit inter vtroſq;: quia vtriſque communis: etiam Dæmonibus ob cauſas multas.

Diſtinguit brutorum & monſtrorum: quia propria Dæmonibus: & hoc iuſtas ob cauſas.

Veriſimile & diſtinguere humanam, illam, quæ nihil habet vitij, ratione alicuius partis, vel coloris, vel habitus, vel quantitatis, quia Dæmones prodit, ſi habeat vitium.

Caput vigeſimum ſeptimũ.

An & qui ſtrepitus humanos ſpiritus diſtinguãt à Dęmoniorum Spiritibus.

Non diſtinguunt, qui viuentium ſunt proprij & nudi ſoni: aut articulati, & non articulati: aut qui conceptuum ſunt indices: aut acuti & graues: aut vehementes & leues: aut obſcuri & clari.

Sed diſtinguunt: qui referunt monſtra & bruta: quiq; ſunt cum magno tumultu, hi ferè Dæmones arguunt.

Diſtinguunt & illi, qui triſtis animi certa ſunt ſignificatio: hi ferè hominibus conueniunt.

Caput vigeſimũ octauum.

An, & quę oratio diſtinguat humanos & Dęmoniorum Spiritus.

Apertè mala non diſtinguit hos Spiritus: quia vtriſq; communis.

Ad bonum hortatoria non diſtinguit: quia vtriſq; & illa communis.

Vanitatis plena non diſtinguit: eandem ob cauſam.

Diſtinguit oratio occultorum reuelatrix: quia ſolis conuenit Dæmonibus.

Caput vigeſimum nonum.

An ex moleſtijs & malis, quæ inferuntur à Spiritibus, deprehẽdi poſſit, an hominum ſint, an Dæmonum ſpiritus.

Vehementer arguũt Dæmones ſequentia: nex allata per Spiritus, vulnera inflicta, grauia verbera, magna damna data in facultatibus. Si quæ alia, non item.

(:) (:) (:) (:)

Caput

Caput trigeſimum.

An, & quæ Obſequia, quę à Spiritibus aliquando præſtantur hominibus; diſtinguant humanos à Dęmoniorum Spiritibus.

Dæmones produnt triplicia obſequia, vt plurimum:
neceſſaria ex pacto:
humanas vires ſuperantia:
nefanda ſiue abominanda.
Humanos ſpiritus fortè illa, quæ cũ humili animi ſignificatione offerũtur.

Caput trigeſimum primũ.

An ex otioſis officijs poſſit deprehendi diſtinctio inter Dęmones & hominũ Spirit.

Veriſimile, ex his deprehẽdi Dæmones.
tum quia purgandis Spiritibus non conueniunt
tum quia vix dãnati illa admittent

Caput trigeſimũ ſecũdum.

An ex locis ſacris & profanis: deſertis & cultis diſtinctio Spiritum poſſit peti.

Non poteſt peti ex profanis locis:
ab his non abhorrent vlli Spiritus.
Poteſt aliqua accipi ex ſacris, templis maxime:
ab his enim abhorrent Dæmones;
non abhorrent quidã hominũ Spiritus.
Sic deſerta loca Dæmones produnt:
quid enim ibidem humani Spiritus?
Culta Spiritus non diſtinguunt:
quia vtroſq; admittunt.

Caput trigeſimũ tertium.

An ex locis morte, aut facinore notatis diſtinguantur humani & Dęmonũ ſpirit⁹.

Ex locis morte notatis vidẽtur diſtingui quia his, vt plurimum moleſtãt Spiritus humani
Ex locis notatis facinore, aut crimine, ſi authores criminis mortui ſunt, veriſimile hominum ſpiritus colligi:
ſi mortui non ſunt, probabilis de Dæmonibus coniectura eſt

Caput trigeſimũ quartũ.

An & quo modo ex Catholicorũ & infideliũ locis colligatur, ſpiritus, qui moleſtãt, eſſe humanos vel diabolicos.

Vtriſq; moleſtantes ſpiritus inueniri certum eſt:
Locis Catholicorum ipſos non diſtingui & certum:
Certum quoq; non diſtingui locis Hæreticorum:
Sequitur hinc non diſtingui his locis.

Caput trigeſimũ quintum.

An, & quibus ex Temporibus humani & Dæmonum Spiritus diſcernantur.

Noctes & dies nõ diſtinguũt ſpiritus:
Quantitas etiã ſiue duratio moleſtiarum non diſtinguit:
Nec diſtinguit qualitas temporis:
omnia hæc vtriſq; communia ſunt.

Caput trigeſimũ ſextum.

An ex conditione illorum ſpirituum, qui certos homi-

nes perſequũtur, iudiciũ accipi poſſit de Spiritib⁹, quod ſint humani, vel Dęmonũ.

Accipi poteſt, quia veriſimile eſt, eſſe illos ſpiritus Dæmoniorum.

Caput trigeſimũ ſeptimũ.

An ex conditione eorum, qui patiuntur perſequentes ſpiritus, poſſit colligi conditio Spirituum.

Ex conditione proborum hominum non colligitur quia hos vtriq; ſpiritus moleſtant:

Nec ex conditione malorũ hominum, quia & hi vtriq; ſunt moleſti.

Qui tamen malos perſequuntur, vt plurimum ſunt Dæmones.

SEQVVNTVR CAPITA, quibus inquiritur diſtinctio humanorum Spirituum id eſt, purgandorum & damnatorum

Caput trigeſimum octauũ.

An, & quę forma humanos inter ſe ſpirit⁹ diſtĩguat, damnatos & purgandos.

Non diſtinguũtur quantitate formæ: quia vtriſq; vtraq; communis eſt.

Diſtinguuntur ſæpe forma qualitate: quia niger color pdit ſpiritus dãnat.

Trux vultus, leuitaſq; externæ formæ etiam ſæpe diſtinguit: quia & hæc damnatorum.

Caput trigeſimum nonũ.

An, & qui ſtrepitus ac gemitus prodant conditionẽ Spirituum humanorum.

Gemitus & ſuſpiria, illa produnt; quæ ſunt abſq; ſignis impatientiæ.

Nam hæc ſunt purgandorum hominum non damnatorum.

Caput quadrageſimum.

An & quæ oratio, inter ſe diſtĩguat ſpiritus humanos.

Diſtinguit boni: ſine peccato petitoria.

Quoniã propria eſt purgãdorũ Spirituũ.

Difficulter verò talis oratio cognoſcitur cum neceſſe ſit: nõ ſit mala ex genere.

petat deinde bonum:

habeatq; intentionem rectam.

Caput quadrageſimũ primum.

An ex malis & moleſtijs quæ afferuntur, cognoſci queat conditio Spirituum humanorum.

Quædam produnt damnatorum hominum Spiritus:

hæc videlicet, quæ ad peccatũ trahũt:

&, quæ cum leuitate coniuncta: &

quib⁹ ad vexantẽ nulla vtilitas accedit.

Quædam produnt Spiritus purgãdos:

videlicet dictis tribus contraria.

Caput quadrageſimum ſecundum.

An obſequia quędã à Spiritib⁹ pręſtẽtur, quę cõditionẽ prodãt Spirituũ humanorũ.

Sunt quædam quæ produnt:

videlicet honeſta, & quæ ſine peccato fiunt.

Hæc produnt ſpiritus purgandos:

nam hi ſoli non peccant in obſequẽdo.

Difficulter cognoſcũtur hæc obſequia:

(:)(:)(:)(:) 2 quia

quia multa requiruntur ad ipſa.
Tria tamen ipſa quodam modo indicant:
ſcilicet, humilitas,
conſtantia,
grauitas.

Caput quadrageſimum tertium.

An officia quædam otioſa & ludicra diſtinguant inter ſpiritus humanos.

Nulla diſtinguunt:
quia nulla ipſis conueniunt.
nec contrarium probant
ſpectra Aquilonaria, aut
præliationes VVormatienſes.

Caput quadrageſimum quartum.

An loca ſacra, & profana diſtinctionem ſpirituum arguant.

Templa arguere videntur plerunq;:
quia produnt vt plurimum purgandos eſſe.
Cemiteria verò non item:
quia damnatos non videntur excludere.

Caput quadrageſimum quintum.

An loca, vbi mors hominum præceſſit; & vbi grauia commiſſa ſunt peccata, humanos ſpiritus inter ſe diſtinguant.

Diſtinguunt non parum:
quia boni, purgandi, ſunt, ſi vita finis bonus:
damnati ſunt, ſi finis vitæ malus.

Caput quadrageſimum ſextum.

An ex locis Catholicorum & Hæreticorum conditio humanorũ ſpirituum poſſit accipi.

Loca Catholicorum non diſtinguũt,
quia his vtriſq; Spirit. moleſti ſunt.
Diſtinguũt loca Hæreticorum ſæpè:
quia non moleſti his purgandi Spiritus.

Caput quadrageſimum ſeptimum.

Ex quibus temporibus poſſit diſtinctio inueniri inter ſpiritus humanos, qui moleſtant.

Tria tempora fauent Spiritibus purgandis:
Lucidum, diuturnum, ſacrum.
Contraria tria plus damnatis.

Caput quadrageſimum. octauum.

An ex conditione ſpirituũ, qui infeſti ſunt certis hominibus, poſſit deprehendi qualium ſint hominum.

Non poteſt deprehendi:
quia & damnatorum hominum & purgandorum moleſti ſunt.

Caput quadrageſimum. nonum

An ex conditione hominũ, qui

qui patiuntur ſpiritus per. ſequentes, deprehendatur ſpirituum conditio.

Boni, ſi patiuntur perſecutiones à Spiritibus, non arguunt Spiritus eſſe purgandos.

Mali ſi patiuntur, produnt vehementer damnatos.

SYNOPSIS SIGNORVM Cap. prꝯcedentium.

Caput quinquageſimum.

De octo ſignis, quę produ͂t Dæmones.

Hæc ſunt

forma,	*obſequia,*
inconditi ſoni,	*ioci,*
oratio,	*loca,*
mala allata,	*perſonæ.*

Caput quinquageſimum primum.

De quinq; ſignis, quæ produnt ſpiritus purgandos: *quæ ſunt*

forma, genitus, oratio, obſequium, locus.

Caput quinquageſimum ſecundum.

De ſignis tribus, quæ produnt ſpiritus hominum dãnatorum, vt ſunt.

locus, forma, gemitus.

Caput quinquageſimum tertium.

De Adiuratione, qua coacti ſpiritus produnt ſuam conditione͂, docetur quòd

Magna huius vis in rebus varÿs:

Licet hanc adhibere ad cogendos Spiritus:

forma eius duplex eſt:

Licita eſt illa, qua precamur Spiritus:

Expedit tamen vti imperatoria:

Omnibus hæc permiſſa:

Conuenit tamen magis ſacris hominibus;

Efficatior fit

ſanctimonio adiurantis:

exercitio virtutum:

aſſumpto ornatu Eccleſiaſtico:

Conuenientia { *temporis,* *loci.* }

SEQVVNTVR CAPITA Tertiæ partis, de Modis, quibus loca liberantur ab infeſtatione ſpirituum.

Caput quinquageſimum quartum.

Eſſe aliquam ratione͂, qua ſpiritus moleſtantes proſcribu͂tur, & loca liberantur ab ipſorum infeſtatione.

docet hoc Liber de Dæmoniacis:

farrago exemplorum:

collatio virium Dæmon. & hominis.

poteſtas collata Eccleſiæ.

Caput quinquageſimum quintum.

Non vnam eſſe rationem, qua loca liberantur à ſpiri-

Digitized by Google

tuum moleſtia. ſed quinq;
Tres ſeruiunt Spiritibus notis:
duæ Spiritibus ignotis: Sed prius de falſis.

Caput quinquageſimum ſextum.

An blaſphemijs, Conuitijs, & diris imprecationibus loca liberentur à moleſtia ſpirituum.
Exiſtimant id quidam:
Sed malè; quia pro ſe habent,
nec ſtripturæ authoritatem:
nec exempla ſanctorum:
nec efficacitatem huius modi:
nec ſolidam experientiam.
Cōuitia tamen cum orationibus, fideque vera coniuncta, ſunt moleſta Spiritibus malis.

Caput quinquageſimum. ſeptimum.

An gladijs & armis profligentur Spiritus.
Et hoc quidam exiſtimant:
ſed malè, quia armis contra corporeas res pugnamus: quales non ſunt
ſpiritus Dæmoniorum:
ſpiritus damnatorum hominum:
ſpiritus purgandi.

Caput quinquageſimum octauum.

An igne abigantur Spiritus: & loca purgentur, à Spirituum infeſtatione.
Exempla quadā hoc videtur probare:
ſed tamen nihil probant; quamuis verus ignis ſit apud inferos;
vere etiam ſpiritus torqueat ille;
& torqueat eoſdem extra infernū exiſtentes.

Caput quinquageſimum nonum

An accenſo lumine fugentur Spiritus.
Omnes quidem tenebras eligunt:
Lumine tamen non cogūtur in fugā.

Caput ſexageſimum.

An oſtijs, obſeratis ſpiritus facultatē loca intrādi nō habeant: nec poſſint incolas moleſtare.
Oſtijs obſeratis non tollūtur omnes moleſtiæ:
quia extra exiſtentes poſſunt ſpiritus moleſtare.
Oſtia obſerata nō impediūt moleſtias, quæ in effictis corporibus per ſpiritus afferuntur:
quia vtrobiq; poſſunt fingi corpora.
Oſtia obſerata impediūt moleſtias, quæ per aliūde aſſūpta corpora excitātur:
quia corpora hæc nequeunt oſtia penetrare.

Caput ſexageſimū primū.

An effuſo innocentiū ſanguine licitum ſit vexationes Dæmonum redimere.
Nec vis ineſt ſanguini innocentium, vt tollat Dæmonum vexationes:
Nec ſi ineſſet, liceret hac ratiō: tollere:
Dæmones affectare effuſionē ſanguinis hominum, docetur pluribus exemplis.
caput

Digitized by Google

Caput ſexageſimũ ſecũdũ.

An odoribus, herbis, ſuffimentis pellantur ſpiritus Dæmoniorum.

Non per ſe recreantur Dæmones ſuffmentis:
Nec fugantur ſuffimentis, aut herbis.
Sed tamẽ Dæmones, qui homines obſident impediuntur, per accidens,
herbis quibuſdam,
lapidibus quibuſdam:
animalibus quibuſdam:
muſica: &c.

Caput ſexageſimum tertium.

An ſpiritus defunctorum hominum prohibeātur redire ad viuos, ſi corpora ipſorum ſepeliātur ſub foro.

Hæc res non prodeſt defunctis:
ſed nec per ſe incommodat:
nec prohibet ne ad viuos redeant:
ſine ſuperſtione non fit, &c.

Caput ſexageſimum quartum.

An iactus fabarum nigrarum proſit contra moleſtias ſpirituũm defunctorum.

proſunt fabæ eſurientibus:
defunctis non proſunt.
vſus ipſarum ſuperſtitioſus apud gẽtes fuit multiplex; ſicut & is, qui pro defunctorum eſt ſpiritibus.

SEQVVNTVR VERI, & legitimi modi; & primũ illi quibus contra Spiritus Dæmoniorum agitur,

Caput ſexageſimum quintum.

Varios eſſe modos, quibus liberantur loca à Dęmoniorum infeſtationibus: ſed pręcipue quinque.

Orationem, Crucem,
Res conſecratas, Reliquias
Exorciſmos:
qui plurimum differunt.

Caput ſexageſimum ſextum.

De Oratione, qua Dęmones fugantur, deque eius efficitate.

Valere ipſam ad Dæmones abigendos plurimum, probant exempla abactorum Dæmonum:
exempla ex hominibus pulſorum:
promiſſiones ipſi factæ:
effectus ipſam conſecuti:
domini oratio ſiue ſermo,
Iuſtis etiam de cauſis, Dæmonum plus orationi: quam eleemoſynæ hic, aut ieiunio, aut alijs pietatis operibus tribuiſſe, docetur.

Caput ſexageſimum ſeptimum.

De Reliquiarum vſu in pró-fligād's Dęmonibus; & quas ób cauſas Dęmónes non ſuſtineant Reliquias.

Et Catholici & Heretici tribuunt Reliquijs,

Dæmo-

Dæmonum proſcriptionem, nec malè:
quia pro hoc magna exemplorum eſt ſylua:
Errant Hæretici, quòd exiſtiment hunc vſum Reliquiarum eſſe ſuperſtitioſum. Nam verè Dæmones torqueri per Reliquias, docent
Sancti Patres plurimi:
ipſorum Dæmonum coacta fuga:
clamores & vlulatus eorundem:
inuidia, qua Sanctos viuentes ſunt proſecuti:
moleſtia, qua Sanctos ſuſtinent, &c.
Errant deinde Hæretici, quòd doceãt Dæmones allicere homines fuga ſua ad cultum Reliquiarum.
an poſſunt Nequam allicere ad fugam mali?
an poſſunt allicere ad bona?
Catholici bene docent Dæmones ad fugam cogi per Reliquias: non ſimulare fugam.
Sed quo modo hoc?
Non per virtutem Reliquijs inhærentem,
ſed quia Deus ad præſentiam Reliquiarum vult ipſos cedere locis:
& quia homines Reliquijs, vt rebus conſecratis, in Exorciſmo, vtuntur:
& quia Dæmones odio habent Reliquias, nec poſſint illas ferre.

Caput ſexageſimum octauum.

De Crucis efficaci vſu aduerſus Dæmones.

Cum Catholicis fatentur Hæretici, Dæmones fugere Crucem. Nam coguntur ſylua exemplorum: ſed tamen non ſponte, ſed coacti fugiunt Dæmones.
hoc ſignificant qui exempla referunt:
hoc crediderunt, qui Cruce ſunt vſi:
hoc ſenſit antiquitas omnis:
hoc probant hoſtes Chriſtianiſmi:
hoc confirmant exempla infidelium:
hoc indicant prodigia per Crucem facta:
hoc docent, quæ ad vſum Crucis bona ſequuntur & mala tolluntur.
Contra Dæmones verò valet Crux,
& conſtans, quæ dicitur,
& permanens; ſed diuerſimodè, vt docetur.

Caput ſexageſimum nonum.

De vſu Rerum conſecratarum, ad profligandos Dæmoniorum Spiritus.

plurimum valere has Res, ad Dæmones locis infeſtis proſcribendos, probant
Dæmonum his proſcriptorum exempla:
exempla etiam Dæmonum ex hominibus pulſorum:
miranda

Digitized by Google

mirandaper Res ſacras patrata:
orationes, quæ benedicuntur. docetur etiã tria hic ſeruire Rerũ ſacrarũ genera, velut ordinatas ad diuinum cultum:
quarum vſus eſt in Sacramentis:
quæ vſibus hominum extra Sacramenta ſeruiunt &
Maxime ſeruire contra Dæmones Tertias has.&
Aliter ſeruire res conſecratas, aliter Crucem & Reliquias.
Sed nec omnes eodem modo ſeruire.

Caput ſeptuageſimum.

De Cõſecratione: & Benedictione locorum aduerſus infeſtationes malignantiũ ſpirituum.

Cuius partes 5.
Diuini auxilij imploratio;
pſalmorum gradualium recitatio:
Lectio Euangelij:
Thurificatio:
Concluſio.
Omnes iuſtæ, piæ, legitimæ vt docetur

SEQVVNTVR MODI, quibus agitur cum ſpiritibus purgandis pro quiete obtinenda.

Caput ſeptuageſimũ primum.

Eſſe aliquem modum, quo viuentes ſe liberare poſſunt à moleſtia, quam adferunt ſpiritus purgandi.

quia & illi poſſunt iuuari:
& nos ipſos iuuare poſſumus:
& in noſtra poteſtate ſunt media, quibus iuuantur,
& plurima ſunt exempla eorum, qui aliquando adiuti, moleſti eſſe deſierunt.

Caput ſeptuageſimum ſecundum.

Multis magniſque de cauſis conuenire, vt purgandis ſpiritibus viui ſuccurrant; quando excitatis moleſtijs ipſorum poſtulant auxilia.

Nam ſpiritus ipſi miſericordia digni ſunt.
& magna premuntur neceſſitate:
& pro noſtra ſalute ſolliciti:
& vnius corporis nobiſcum ſunt membra:
& grauiſſima patiuntur.
Sed & Deus hoc videtur velle:
Et maiorum hic vrgemur ſtudio:
Et res eſt coniuncta cum virtutibus magnis:
nec caret ſuo fructu:
nec Sacris litteris contraria eſt.

Caput ſeptuageſimum tertium.

Modos, quibus à moleſtia Dæmonum liberantur loca infeſta, nõn eſſe prò tollendis moleſtijs quæ à bonis hominum ſpiritibus aſferuntur.

Neq. n contra has ſunt.
Crux, Reliquiæ,
Res conſecratæ, Exorciſmi,
Oratio, quæ loca benedicuntur.

(:)(:)(:)(:)(:) *Caput*

Caput ſeptuageſimũ quartum.

De varijs modis, qui contra moleſtias Spirituum purgãdorum credũtur valere. qui ſunt

Orationes Sanctorum Eccleſiæ:
Sacrificium Miſſæ:
Eleemoſyna pro defunctis data:
Ieiunium:
Alieni reſtitutio:
Peregrinationes:
Lachrimæ:
Oleum atq; ceræ:
Magna verò inter hos modos differentia eſt.

Caput ſeptuageſimũ quintum.

Oratione iuuare piè defunctorum Spiritus, qui viuentibus quãdoq; ſunt moleſti.

patet Catholicorum orandi ſtudio:
Maiorum exemplis in noua lege:
exemplo hominum veteris legis:
orationis efficacitate:
e xẽplis eorũ, qui adiuti ſunt oratione.
Sed aliter proborum oratio iuuat, aliter improborum.

Caput ſeptuageſimũ ſextũ.

Quòd, & quomodo Miſſæ ſacrificiũ iuuet piè defũctos, qui poſt mortẽ ſunt moleſti.

Iuuare credunt Catholici modò:
probant Maiorum exempla:
confirmant Sacrificia veteris legis:
Conſenſus Patrum docet:
inſinuãt mirabilia vi Miſſæ patrata:
& dignitas Sacrificij vrget:
deniq; oſtendũt exempla adiutorũ.
Sed hic quoq; poteſt aliquid bonus Miniſter, quod nequit malus & peccator.

Caput ſeptuageſimũ ſeptimum.

Qua ratione Eleemoſynæ liberẽt à moleſtijs, quas aliquãdo afferunt ſpiritus purgandi.

Prodeſſe ipſas Spiritibus, certum ſtudio fidelium quotidiano:
exemplo priorum Chriſtianorum:
exemplo Iudæorum:
ſententia Patrum:
præſtantia ipſius Eleemoſynæ:
exemplis eorum, qui per Eleemoſynas ſunt adiuti.
Sed alia eſt conditio eius, quæ priuato nomine ſuſcipitur:
alia eius, quæ excommiſſione fit defuncti.

Caput ſeptuageſimũ octauum.

Ieiuniũ etiã prodeſſe purgandis ſpiritibus docent

Angeli apud Bedam:
exempla Sanctorum:
exempla Iudæorum:
exempla Spirituum, qui oratione ſunt adiuti.
Sed proborum maiores vires habet, quàm peccatorum.

Caput ſeptuageſimũ nonũ.

An, & quomodo alieni Reſtitutio iuuet piè defunctorum ſpiritus.

Eſt quidem illa neceſſaria ad ſalutē: ſed inter defunctorum ſuffragia nō ponenda.

Defuncti, qui illā vrſerūt, non tā ſuum, quā viuorū bonum quæſiuerūt.

Caput octogeſimum.

An, & quomodo Peregrinationibus iuuentur piè defuncti.

Peregrinationum vſus & antiquiſſimus eſt:

& celeberrimus:

& maximè fructuoſus

& cū egregijs virtutibus coniunctꝰ:

& ex voto cum laude ſuſcipitur:

& neceſſarius, ſi votum acceſſit:

& poſſunt hoc iuuari defuncti.

Si quas tamē debitas defuncti neglexerunt; non ipſos à cælo excludant, donec eaſdem perſoluant, &c.

Caput octogeſimū primū.

An, & qua ratione purgandi ſpiritus iuuētur Cereis & accenſo lumine.

Non paruus iam Cereorum vſus apud defunctos:

Nec olim paruus apud defunctos:

Et ipſe ex Apoſtolica videtur eſſe Traditione:

Sæpe ipſe pro viuorū eſt cōſolatione:

Admonet & viuentes de rebus magnis:

Defunctis quandoque prodeſt: ſed quando?

quando ad cultum Dei pro defunctorum ſalute accenduntur.

Caput octogeſimū ſecūdū.

In Miſſæ ſacrificiò præ reliquis plurimum præſidij, ad iuuandos defunctorum ſpiritꝰ, poſuiſſe Maiores noſtros indicant ſequentia

quòd Apoſtolorū tempore fuerit in vſu:

quòd docuerint hoc offerendum pro defunctis:

quòd crediderint eſſe ex Apoſtolica Traditione:

quòd noluerint diu differendum:

quòd omnibus locis, tēporibusq́; ſeruarint:

quòd dormitionis dies repetierint:

quòd ſeruarint tertios, nonos, &c. dies obitus:

quòd non facile hoc defunctis negarint:

quòd hoc priuari magnam pœnam crediderint:

quòd teſtati ſint ſingulariter prodeſſe defunctis:

quòd hoc ſubuenerint amiciſſimis:

quòd hoc expetierint & pro ſe & ſuis

quòd præ cæteris commendarint.

SEQVVNTVR MODI, quibus contra moleſtias ſpirituum hominum damnatorum agitur.

Caput octogeſimū tertium.

Non deeſſe rationem viuētibus, qua ſe liberent à moleſtia, quam afferunt ſpiritus hominum damnatorum. Id docent.

Conditio horum Spirituum:

Digitized by Google

Conditio Chriſtianorum:
Illi, qui cum moleſtijs his concurrunt:
qui ſunt animæ defunctorum:
Dæmones:
Deus Opt. Max.

Caput octogeſimũ quartũ.

Non valere contra ſpiritus damnatorum hominum illas rationes, quibus viuentes ſe expediũt à moleſtijs, quas afferunt ſpiritus purgandi.

quia non moleſti ſunt ipſi, ob aliquod bonum. Nam
& mox à morte rapiuntur ad ſupplicia:
& mox à morte Iudicij fertur ſententia:
nec ſpes, quod finis ſit vnquam ſuppliciorum:
nec dubitare licet de ſentẽtia Iudicis.
deinde quamuis ipſi moleſti eſſent ob bonum obtinendum, nobis tamen illæ rationes prohibitæ:
quia quod his ſpiritibus ſubuenire nõ poſſumus: ſcimus Scripturis varijs edocti:
conſenſu Eccleſiæ:
doctrina Doctorum Eccleſiæ, &c

Caput octogeſimũ quintũ.

Eiſdem rationibus proſcribi ſpiritus hominũ dãnatorũ, quibus Dæmones. Nam

& Deum oderunt, multas ob cauſas:
& quidquid ad Deum pertinet oderunt:
& pertinent ad Deum omnia, quibus proſcribuntur Dæmones:
& ſine Dæmonib⁹ ipſi moleſti nõ ſunt.

Caput octogeſimum ſextũ

An ſepultura defunctis exhibita, prohibeat ipſorum ſpiritus redire ad viuos.

Non dubium ſpiritus expetere ſepulturam ſuorum corporum: &
Eandem negatam cedere ad contumeliam defunctorum, &
Quoſdam ob delicta priuari eadem: &
Eandem olim ſanctam habitam.
Sed tamen, falſum, eandem negatã ſpiritus prohibere quieſcere. quamuis quidam Spiritus illam vrſerint.

Caput octogeſimum ſeptimum.

An ob Cenſuram Excommunicationis quidam ſpiritus errent inter viuos: nec poſſint quieſcere, donec abſoluantur ab eadem.

Cenſura hæc plurimum obeſt viuentibus:
Obeſt & defunctis, in tribus:
Non tamen neceſſe eſt eoſdem errare inter viuos ob illam:
poſſunt tamen quandoq; errare:
poſſunt & poſt mortem abſolui ab illa.

Caput octogeſimũ octauũ.

Quænam ratio ſeruanda in locis à Spirituum moleſtijs vindicandis, quando ignoratur, per quos Spiritus loca ſint infeſta.

Non

Non primo exorciſmi adhibendi:
Adhibendi modi, quibus agitur contra Spiritus purgandos:
In illis aliquandiu hærendum:
poſt hos Res conſecratæ admouendæ:
vltimum locum Exorciſmus habeat.
Idem repetendus ſæpius etiam ſi neceſſe.

Caput octogeſimum nonum.

De Efficacitate dictorum modorum, & cur non ſemper effectum conſequantur.

Modi, qui purgandis ſpiritibus ſeruiunt plerunque ſunt efficaces
Modi, quibus contra malos Spiritus agitur non item. Cuius ratio,
voluntas Dei, in ſpiritibus hominum damnatorum:
voluntas Dei, & Spirituum; in ſpiritibus Dæmoniorum.

DE RATIONE, QVA liberantur loca infeſta propter homines, à moleſtia ſpirituum.

Caput nonageſimum

An iiſdem rationibus agendum contra ſpiritus, qui certos homines perſequuntur quibus oppugnantur illi, qui loca infeſtant certa.

Non agendum.
Et aliis mali, aliis boni ſe debent liberare.

Caput nonageſimum primum.

Qua ratione à moleſtia liberi eſſe poſſunt; qui propter peccata, quæ cōmiſerunt patiuntur ſpirituum infeſtationes.

Poſſunt eſſe.
ceſſatione à peccando:
peccati depoſitione:
dolore de peccato:
propoſito melioris vitæ:
Confeſſione &c:
vſu ſacramenti Euchariſtiæ
virtutum ſtudio:
inuocatione Sanctorum:
& ſequentibus, in Cap. 92.

Caput nonageſimum ſecundum.

Qua ratione boni & probi homines ſe à moleſtia ſpirituum poſſint liberare.

poſſunt primò iam dictis
deinde oratione communi Eccleſiæ:
vſu item rerum conſecratarum:
reliquiis Sanctorum:
exorciſmis.

Caput nonageſimum tertium.

Communis quædam ratio, qua à perſequentium Spirituum damna orū moleſtia, tam probi quam improbi liberantur.

Hæc nititur

. *Locis ſacris ſine conſecratis:* | *præſentia luminis.*
. *Hominum frequentia & ſocietate:*

INDEX SIVE ELENCHVS CAPTIVM LIBELLI TERTII, QVI EST DE NOCTVRNIS TVMVLTIBVS ET Terrificationibus, quæ mortes hominum ſolent portendere, cum breuibus Summarijs.

Caput primum.

Oſtenditur Terriculamẽta hæc nec à Deo eſſe, nec eorum animabus, quorum mortem ſignificant.

Non à Deo; quia illo indigna:
nec ſe ſolo quidquam ferè facit.
Non ab animabus:
tum quia illa non deſerunt corpora:
tum, quia de ipſis nihil ſciunt:
tum, quia non poſſunt pleraq; præſtare.

Caput ſecundum.

Docetur eadem non poſſe ab homuncionibus quibuſdam, medijs inter bruta & homines excitari.

tum quia illi nequeunt mortes præſcire:
tum quia nequeunt efficere omnia, quæ percipiuntur:
tum quia non poſſunt ipſi pluribus locis eſſe.
Sed nec ſunt tales homunciones.
vbi enim degunt?
quomodo producuntur?
qua ratione vitam ſuſtentant?
quam tandem vitam viuent?

Caput tertium.

Demonſtratur nec excitari Terriculamenta illa, & tumultus à ſpiritibus hominum defunctorum.

quia ab officio Spirituum hominum ſunt aliena:
nec Spiritus hi mortes poſſunt præſcire.

Caput quartum.

Non eſſe illa ab animabus puerorum, qui cum ſolo originali hinc diſcedunt.

nec.n. inter homines illi verſantur:
nec mortes hominum præſciunt:
nec per ipſos ſemper poſſunt fieri, quæ coniuncta ſunt cum his Terriculamentis.

Caput quintum.

Terriculamenta & Tumultus illos nocturnos non habere authores bonos Angelos.

Neq; enim his ideo debent tribui, quaſi hominem ad felicem mortem velint diſponi.
tum quia incerta mortis ſigna:
tum

Digitized by Google

tum quia incertũ quorũ mortis ſigna.
tum quia alijs locis audiuntur, quàm vbi mors accidit:
tum quia ſæpe cum ipſa morte coniuncta:
tum quia coniuncta cum morte deſperatorum hominum:
Neq; tribui etiam, quaſi ipſorum officio & conditioni conueniant.
tum quia ipſis hæc non mandãtur à Deo:
tum quia ſcriptura horum inter varia Angelorum officia non meminit.
tum quia ſine leuitate aliquando non perficiuntur.

Caput ſextum.

A malis ſpiritibus Tumultus dictos excitari.
à quibus enim alijs?
ſed & poſſunt hi præſtare omnia, quæ ad ipſos requiruntur. & libenter in his rebus occupantur.

Caput ſeptimum.

Tumultus & Terriculamenta excitari à Dæmonibus ordinis inferioris.
Ad hos enim pertinent occupationes minores momenti, vt ſunt hi Tumultus:
forſitan & ob delicti leuitatem hi ipſis tribuuntur præ ceteris.

Caput octauum.

Ab inferiorum ordinum Dæmonibus illis, qui ſingulorum hominum quaſi proprij ſunt excitari Tumultus illos.
Nam nihil hic abſurdi ſequitur:
& ipſi mortes hominũ poſſunt præſcire:
& poſſunt facere quæ fieri audiuntur:
Porro eſſe tales Dæmones docent Gentiles,
Chriſtianorum plures,
Communis opinio,
rationes non paruæ.

Caput nonum.

Cenſura in præcedentia de Terriculamentis Capita. qua docetur ipſa excitari
quandoq; non à proprijs Dæmonibus:
quandoq; etiam à ſuperiorum ordinum.
quandoq; etiam à bonis Angelis.

Caput decimum.

De finibus, qui Dæmonibus propoſiti ſunt in his Terrificationibus. Hi ſunt
terrores,
indicium inſtantis mortis,
fidei apud homines conciliatio,
error in hominum mentibus.

Caput undecimum.

De effectis nocturnorum Tumul-

Digitized by Google

Tumultuum diabolicarũ Terrificationum.

Signa ſunt mortis:
fallunt tamen quandoq;:
mortem verò non adferunt, aut efficiunt.

Caput duodecimum.

Inquiritur modus, quo Tumultus excitantur.

Excitantur vero.
nunc per aſſumpta corpora;
nunc ſine aſſumptis corporibus;
aeris beneficio:
virtute mouendi Dæmonum:

Caput decimum tertium.

De Locis atq; Temporibus, quibus audiũtur & excitantur Terrificationes.

Loca ſunt vbi moratur homo:
vbi eius amici:
vbi poſſeſſiones eiusdem
vbi quidquam fecit:
vbi funeralia parantur:
vbi corpus ſepelitur.
Tempora, vt plurimum ſunt
meridies:
intempeſta nox.

FINIS.

Digitized by Google

ISAGOGE IN QVADRIPARTITAM DISPVTATIONEM DE DAEMONIACIS.

Status & ſumma Diſputationis.

INter hoſtes, quos humanum genus, nec paucos, nec paruos habet, haud poſtremus eſt Diabolus: vt non immeritò Apoſtolus Petrus, quodam loco, ipſum Leoni rugienti comparauerit: et dixerit circuire, ac ſtudioſè quærere, quem deuoret. 1. 1. Petr. 5.

Tantis autem is nos machinis oppugnat, vt nullæ quaſi ſint, & dicantur moleſtiæ quæ ab alijs, quamuis continuò nos infeſtantibus, afferuntur. Non eſt nobis, inquit alius Apoſtolus, colluctatio aduerſus carnem et ſanguinem; ſed aduerſus Principes & Poteſtates; aduerſus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. 2. Epheſ. 6.

Sæpe hic hoſtis homines afflixit: ſæpe artibus ſuis circumuenit: ſæpe potentia proſtrauit, & ad miſerrimas conditiones compulit. Id ex pluribus, vnum illud exẽplum clariùs demonſtrat, quo primis humani generis, poſt Deum, authoribus, grauis ruinæ cauſa extitit. 3. Geneſ. 3.

Quantis enim in vno hoc congreſſu, primos illos homines, quinimo vniuerſum hominum genus, bonis priuauit? quanta mala aduexit? Et leuia illa damna 4

 ceńſeri

ceſeri poſſent, ſi corporibus tantùm eſſent allata: at non corporibus ſolùm, etiam animabus plurimùm verſipellis incommodauit:

5. Porrò veterator, vt eſt potentiſſimus, ita ſolertiſſimus. Non vno tantũ, ſed multis modis nouit imponere & incommodare: nunc quidem exterius, nunc verò interius. Nunc aggreditur arcem mentis, et vel praua ſuggerit, atq; ad peruerſa trahit, vel ne rectum ſequatur impedit: nunc in bona externa, quæ fortunæ dicuntur, impetum facit, iiſque ſpoliat: nunc ſæuit in corpus, & miſeris modis illud affligit.

6. Hæc verò partim per ſe efficit, partim per ſocios, quos fideliſſimos habet, et promptiſſimos. Modò noceat ſufficit: vtrũ per ſe, an per alios, nec curat, nec ita magni facit.

7. In vno tamen, quo hominum generi admodum moleſtus eſt, nullius alterius opera vtitur; ſed quidquid propemodũ moleſtiarum percipitur, eius opera ſtudio et induſtria affertur. In quo verò? Cũ hominẽ [illegible] σῶμα ingreditur, obſidet, et miſerũ mortalibus ſpectaculũ exhibet. De quo, quia haud pauca, nõ tã curioſã, quã vtilẽ habẽt quæſtionẽ, præſens Diſputatio inſtituitur.

8. Totum autem argumentum ad quatuor ſumma Capita reuocabitur. Primũ ad ipſos Spiritus, qui homines obſidẽt, pertinebit: Alterũ ad eos, qui à Spiritibus obſidentur, et vexantur: Tertium verſabitur circa modos et rationes, quibus ab hominibus Spiritus expelluntur, et profligantur. Quartum Spirituum eorundẽ egreſſum, & quæ cum eodem coniuncta ſunt, diſcutiet.

PRIMA.

Digitized by Google

PRIMA PARS DISPVTATIONIS IN QVA DAEMONVM OBSIDENTIVM CONditio; operationes, atq; in Obſeſſos poteſtas; modi item, quibus homines affligunt, & his ſimilia explicantur.

CAPVT I.

Dæmones verè ingredi quoſdam homines, illoſque obſidere

MAgnam admodum, & copioſam materiam primum Caput, quod in hac Diſputationis parte tractandum eſt, ſuppeditat. Quæritur enim, Veréne Dæmones obſideant homines; & quid illud ſit: Quæritur, quomodo obſideant; & quid in obſeſsis hominibus efficiant atq; operentur: Quæritur, qua parte ingrediantur; & ingreſsi iam, latitent: Præterea, quorum ſint Ordinum, qui in hoc genere occupantur: quod item vnum hominem ingrediantur, cuiuſq́; imperio: Denique quos ob fines, miſeros mortales obſideant atq; excrucient. 1.

Quod maligni Spiritus homines ingrediantur, & obſideant, negare non poteſt, niſi qui ſenſibus, quos habet, non putat habendam fidem: & omnem præteritorum temporum negandam hiſtoriam: & quæ ſacris literis continentur, in dubium reuocanda. 2.

Videmus haud rarò quoſdam à Dæmonibus vexari; atque humanæ miſeriæ imaginem, & diabolicæ crudelitatis illuſtre exemplũ præbere. Videmus eoſdem à Dæmonibus, Chriſti virtute liberari: Videmus ijs argumentis, & Diaboli in hominibus inhabitationem; & eiuſdem ex hominibus egreſſum confirmari, vt maiora homo prudens petere non poſsit. 3

Quot *præterita ſecula* hîc exempla ſuppeditant? Nulla referimus: quia, quæ præ alijs præferenda ſint, ignoramus. Vix Sanctus aliquis diuinorum prodigiorum patratione illuſtris eſt, qui huius, vel Dæmonum ex corporibus exactione, vel ſcriptis libris, vel alia aliqua ratione, argumentum non præbeat. 4.

Sed egregiè hanc rem *Sacræ literæ* confirmant. Oſtendunt illæ hanc receptiſsimam apud Iudæos fuiſſe opinionem, vt crederent homines à Dæmonibus poſsideri poſſe. Docent non aliud ſenſiſſe Chriſtum Dominum eundemque pro hac, magna argumenta ſubmin iſtraſſe. 5.

miniſtraſſe. Demonſtrant poſterioribus temporibus hac Diabolum poteſtate in homines vſurum. Denique probant Apoſtolos dæmonibus in obſeſsis hominibus terrori fuiſſe, exitumque imperaſſe.

6. *Iudæorum opinionem* prodit ipſorum oratio, qua Chriſto Domino, per ſummam contumeliam, obijciunt; quod Dæmonium habeat,
Iom. 8. *Nonne benè dicimus nos*, inquiunt, *quia Samaritanus es tu & Dæmonium habes?* Ab hac non diſcedit illa ipſorum eorundem: *In principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*, & illa: *Quid ipſum auditis, Dæmonium habet.*
Luca 11. Atq; ita quidem Chriſti hoſtes, viri alioquin non ignorantes. Cum his ſentiunt, quicunque Dæmoniacos ad Chriſtum, vt curarentur,
Iom. 10. afferebant.

7. *Chriſti ſententiam* primùm declarat regula ſiue ratio, quam in quibuſdam Dæmonibus eijciendis vult obſeruari: quæ eſt, vt cum oratione coniungatur ieiunium: *Hoc genus Dæmoniorum*, inquit, *non*
Matth. 17. *eijcitur, niſi in ieiunio & oratione*. Declarat deinde ad iam dictas calumnias & criminationes placida reſponſio. Neque enim negat fieri poſſe, vt Diaboli homines ingrediantur, (qua reſponſione omnem facilè à ſe contumeliam depuliſſet) admittit id fieri poſſe: ſe ab ijſdem obſeſſum & occupatum negat: negat ſe in *Principe Dæmoniorum Beelzebub Dæmonia eijcere.*

8. Maius his argumentum eſt; quòd plurimos Dæmones ipſus, dum communem nobiſcum in terra vitam ageret, profligarit ex
Matth. 12.15. humanis corporibus: Neque vno id, ſed pluribus locis: diuerſis et-
17. iam, & non vna, apud omnes, ratione: ipſis quoq; Dæmonibus cla-
Marc. 1.3.5.7 mantibus, & teſtificantibus vim ſibi fieri, & ſuis domicilijs atque
9. ſedibus ſe pelli.
Lu. 4.8.9.11.

9. *Futurum etiam denunciat*, quòd poſterioribus, & ſequentibus temporibus hanc, in humana corpora, Dęmones poteſtatem eſſent habituri. Quando verò? Dum *Apoſtolos* mittit in orbem terrarum, cum
Marc. 3 *poteſtate Dæmones expugnandi*: dum docet venturos in nouiſsimo die, qui ſibi aditum ad cælum patere volent, propterea; quod *Dæmonia*
Matth. 7. *eiecerint*: dum aſſerit doctrinam ſuam, in vniuerſo orbe, Dæmonum ab obſeſsis corporibus expulſione, confirmatum iri: *Signa*, inquit,
Marc. 16. *eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c.*

10. *Ad hunc eadem confeſsionem & conſenſum*: ad Chriſti facta, iudicium, & promiſſionem, accedit *exemplum Apoſtolorum*. Non ſemel ipſis à Domino data poteſtas *Dæmones eijciendi*. *Sed* & Dæmones per ipſos
Luc. 10. eiectos fuiſſe, hanc memorandam declarat oratio: *Domine, etiam in nomine tuo ſubijciuntur nobis Dæmonia.*

Plur-

Plura pro hac re argumenta nemo deſiderat. Forſitan etiam tot à nobis allata, præſertim in re clara, moleſta ſunt. Veruntamen moleſta eſſe non debent: tum quia ex ſacris literis, quarum authoritas maxima eſt, petita ſunt: tum quia fortè neceſſaria ſunt propter eos, qui, neſcio quibus, naturalibus morbis homines laborare exiſtimāt, quando à Dæmonibus poſsidentur, & cruciantur. In horum numero non poſtremas obtinet Leuinus Lemnius, lib. 2. de Occultis naturæ, cap. 2. 11.

Horum temeritas iam dictis argumentis poteſt redargui. Poſſunt quoq; ijdem interrogari; quoſnam morbos exiſtimant, qui vt futura homines prædicant; abſentia tanquam præſentia referant; peregrinis loquantur linguis; efficere valeant. An morborum naturalium hi effectus? Nequaquam. Opera ſunt Dæmonum; qui in hominibus latitant. 12.

Et non ſolum hi turpiter errant: errant quoque, qui animas quaſdam hominum, iam olim defunctorum, Arreptitios & Energumenos inuadere credunt; eaſq;, quæcunque nos præſenti diſputatione Dæmonibus tribuemus, exiſtimant perficere. Horum turpem, & impium errorem multis demonſtrat Toſtatus Abulenſis, q. 124. in 8. Matthei. Nobis ſuffecerit indicaſſe, Neq; animas, niſi per diuinam virtutem, ad corpora poſſe redire, poſtquam ſemel illa depoſuerūt: neq; pollere ea cognoſcendi vi, qua qui in hominibus latent Spiritus, ſe pollere, rebus ipſis demonſtrant. Conſtitutum igitur ſic, poſſe Dæmones humana corpora ingredi. Nunc reliqua proſequamur. 13.

CAPVT II.

Ad hominum à Dæmonibus obſidionem duo eſſe neceſſaria.

QVod alijs in rebus accidit, vt ipſas *eſſe* ſciamus, ignoremus tamen plerunque *quid* ſint; idem pluribus in hoc argumento contingit; vt ſcilicet ſciant Dæmones homines quoſdam obſidere; neſciant tamen quid illud ipſum ſit, ſiue in quo ratio, qua homines obſidere Dæmones dicuntur, conſiſtat. Hæc igitur inquirenda. 1.

Ego verò duo *plerunq;* neceſſaria eſſe dixerim. Vnum eſt; vt in hominibus ipſis Dæmones ſint: Alterum; vt etiam poteſtatem quandam in eoſdem acceperint. Horum ſi alterum deſit, non bene homines à Dæmonibus obſideri dixerimus. 2.

Vtrunque ex ijs, qui in Sacris literis *Obſeſsi* leguntur, colligere 3.

 licebit.

Matth. 13. 15. 17. & 1. licebit. Prius probat; quòd dicantur Dæmonia homines *intraſſe*, & ex iiſdem *eiecta*: Poſterius; quod eoſdem *vexarint*: reddiderint *mutos, cæcos, ſurdos*: atque nunc in *aquam*, nunc in *ignem* præcipitarint; nunc per *agros* atque *montes* agitarint: Illa non benè dicuntur, ſi non in hominibus Dæmones fuerunt: hæc omnino confirmant ipſos in Obſeſſos poteſtatem aliquam habuiſſe.

4. Porrò ad prius illud non ſufficit, vt eo modo in hominibus ſint Dæmones, quo res quædam alicubi eſſe dicuntur, vbi aut ipſarum virtus eſt, aut ipſæ operantur. Multis rebus ſic adſunt, & inſunt Dæmones, quas tamen Obſeſſos eſſe nullus dixerit. requiritur, vt reuera, atque adeò αὐτοπροσώπως adſint, & inſint.

5. Sed tamen quia modi, quibus quædam alijs inſunt, varij ſunt; (quædam enim inſunt, vt accidentia ſuis ſubiectis: quædam, vt partes ſuis totis: quædam, vt tota quædam, & abſoluta, alicui ſuppoſito: quædam, vt motores ijs quæ mouent) quomodo Dæmones hominibus obſeſſis ineſſe credendi ſunt?

6. Non inſunt, vt *accidentia* ſuis ſubiectis. Neque enim accidentia ſunt hi Spiritus. ſunt veræ, & perfectæ ſubſtantiæ: atque adeò omnibus omninò his inferioribus perfectiores.

7. Non inſunt, vt *partes* ſuis totis, & compoſitis. Hominiſne partem aliquam eſſe dicemus Dæmonium obſidens? Quam quæſo? corpus, an animam? Tot enim, & non pluribus, partibus homo conſtat. Corporis locum ſupplere nullus dixerit: Vt animæ vices gerat fieri nequit: niſi animam prius è corpore migrare dicamus, atque adeò hominem ipſum eſſe deſinere; quàm Dæmonium aduenit; quamuis nec tum veré hominis partem Dæmonium dixeris.

8. Credi etiam non debet, *duas* hic *perfectas naturas* concurrere, atque in vna hypoſtaſi recipi. In ſolo Chriſto Domino duas naturas, humanam & diuinam, vna hypoſtaſis ſuſcipit. Hoc ipſe ſibi, diuina diſpenſatione, proprium vendicat. Præterea, quæ hypoſtaſis quam naturam præter ſuam propriam, hîc ſuſtentabit? An hominis Dæmonum? an Dæmonum hominis? At priuſquam Dæmones hominem ingrediantur, & ſuam ipſi hypoſtaſim habent, & ſuã habet homo: & quemadmodum nec homo vnquam ſuam, ita neque ſuam aliquando Dæmones deſerent.

9. In hominibus igitur, quos obſident, Dæmones ſunt, vt *motores* in corporibus, quæ mouent. ita ſcilicet, vt nullam corpori hominum qualitatem imprimant: nullum ipſi dent nouum eſſe: nec propriè vnum quid, cum obſeſſo homine, conſtituant.

Hoc

Hoc vnum duorum, quæ neceſſaria diximus, vt à Dæmonibus ho- 10.
mines obſeſſi dici poſſint. Veruntamen hoc non ſufficit: requiritur
deinde, *vt poteſtatem aliquam in eos, in quibus reſident, acceperint:* eos
poſsint affligere, torquere vel aliqua alia moleſtia afficere.
Quoniam verò de hac poteſtate alias plura dicenda ſunt, idcirco *cap. 5.6.7.*
hoc loco præſens Caput concludimus: ſi duo Corollarij loco adie-
cerimus.

Primum eſt, conſequi ex dictis; Non omnes eos dici debere à 11.
Dæminibus obſeſſos eſſe, qui graues ab iiſdem patiuntur perſecu-
tiones: non dico in anima ſolùm, aut bonis externis; ſed in ipſo
quoque corpore. Quanta à Dæmonibus in corpore perpeſſus eſt *Iob. 1.*
Sanctiſsimus Iob? Quanta Sanctus Anthonius? quanta plurimi San- *Athanaſ.*
ctorum aliorum? An idcirco hos à Dæmonibus obſeſſos fuiſſe dice- *vita Ant.*
mus? Quandoquidem primum eorum, quæ hîc neceſſaria diximus,
deſideratur; hoc eſt, quia in iis Dæmones ſedes ſuas non habuerunt,
ſed extra ipſos poſiti, mala hæc inflixerunt, nequaquam Obſeſſos
fuiſſe dicendum eſt.

Alterum eſt, multos Obſeſſos dici non debere, in quos etiam
ipſe Diabolus ingreſſus eſt. *Poſt acceptam buccellam in Iudam ingreſſus* 12.
eſt Diabolus, ſacra atteſtante hiſtoria: ſed tamen non dixerimus fa-
cilè Iudam Obſeſſum fuiſſe. Quid ita? quia non ſatis eſt Dæmo-
nium hominem intraſſe, vt *Obſeſſus* dicatur; requiritur præterea,
vt in eundem ſæuiendi, vel agendi à Deo obtinuerit facultatem.
Quanquam quòd Iudam intraſſe dicitur Satanas, ita intelligendum
ſit, quod Iudæ ſuggeſſerit peſſimam cogitationem Chriſti venden-
di, vt Euthymius, eo loco, & Didymus lib. 3. de Spiritu ſancto, ex-
poſuerunt. quod ipſum quoq; patet ex *Ioanne* 13. *Cum,* inquit, *Diabo-*
lus miſiſſet iam in cor. vt traderet eum Iudas. quaſi idem ſit *intrare* & *im-*
mittere in cor, vt traderet.

CAPVT III.

Dæmones non ſub externa, & viſibili forma in hominibus eſſe, quamuis ſub ſpecie araneorum & muſcarum quandoq; conſpiciantur.

DVO diximus requiri, vt à Dæmonibus homines *ob-* 1.
ſeſſi dicantur: vt, ſcilicet, in hominibus ipſi Dæmones
ſint: deinde, vt in homines Poteſtatem quandam accepe-
rint.

rint. Quoniam verò vtrunque varijs modis accidere poteſt, de vtroq; quæſtio oritur. Ibi quæritur, *An ſub ſpectabili forma, & ſpecie corporea ſint in hominibus* hîc, *Quam & quantam poteſtatem in homines accipiant.*

2. Quamuis enim (vt primum illud priori loco abſoluamus) Dæmones *ſpiritus* ſint, & corpora non habeant: quia tamen corpora aſſumere valent; & nonnunquam ſub muſcarum, & araneorum forma, in obſeſſorum ore conſpiciuntur; in alijs etiam corporis humani partibus quandoque tuber quoddam excitant, ſub corporea forma homines obſidere quibuſdam exiſtimantur.

3. Verùm corpus hîc non neceſſariò aſſumunt Dæmones. Quam enim ob cauſam aſſumerent? Ingrediuntur, vt homines affligant & moleſti ſint: quid hîc opus eſt aſſumpto corpore? Fortè non niſi in aſſumpto corpore poſſunt moleſtias parere? Nihil ipſos hîc corpus iuuat. Quidquid poſſunt, & faciunt; virtute ſibi indita, abſque corporis ſubſidio, perficiunt.

4. Interim quamuis neceſſarium non eſt, vt corpora aſſumant; ſi tamen velint, aſſumere poſſunt. Poſſunt ſub ſpecie aranei, aut muſcæ in hominibus latere; paruitas corporis, quod aſſumerent, nihil hîc impedit. Vt ſub hominis; ita ſub muſcæ atque aranei; ita ſub ſpecie cuiuſcunque animalis, etiam muſca aut araneo minoris, valent latere.

5. Nec latere nouũ eſt. Cum ex quodã Cauponis filio (Petrus is dicebatur) Spiritũ immundum eijceret Theodorus Archimandrita: ille egreſſum ſuũ, magno clamore edito, & in ſpecie *nigræ formicæ*, ex ore obſeſsi prodeũtis prodidit, teſte Georgio Presbytero, in vita Theodori. Sic de S. Germano, Pariſienſi Epiſcopo, refert in ipſius vita, cap. 27. Fortunatus, Pictauorũ Antiſtes, quod obſeſſæ mulieri manũ impoſuerit, crucem quoque impreſſerit: Dæmon verò, per nares, in ſpecie *muſcæ*, cum ſanguine ſit egreſſus. Idem Germanus, aliàs ab infeſtante Dæmone Diaconum liberauit; qui ab eodem viſus eſt diſcedere, in ſpecie *paruulæ auis*. Et hoc fortunatus, cap. 52.

6. Hæc igitur poſſunt Dæmones. Vtrum verò ſemper muſcæ aut araneorum corpus aſſumpſerint, dum animalcula hæc in Obſeſſorum ore conſpecta ſunt, definiri vix poteſt. Eſto hæc ipſi animalia fecerint, & agant, neceſſe tamen non eſt, vt in illis ſemper latitent. poſſunt ijs aſsiſtere, & extra ipſa poſiti, quò libet impellere.

7. Atque, vt, quod ſentio, dicam, putarem has muſcas, atque hos araneos, nec ſponte à Dæmonibus fieri; nec ipſos, niſi inuitos & coactos ijſdem ſæpe, vel aſſiſtere, vel ineſſe: ſed Dei mandato cogi,

cogi, vt ſimilia animalcula & forment, & vel in ipſis latitent, vel præſentiam ſuam per illa teſtentur.

Huius rei illud non leue argumentum dixerim, quòd propemodum in ſolis Exorciſmis, hiſce ſuam præſentiam prodant, & ſuū ex hominibus egreſſum, horum receſſu, teſtentur. Quid verò? An non, ſi aliâs vnquam, tum maximè, vt lateant, deſiderare exiſtimādi ſunt? An fortè ab hominibus exire cupiunt, vt hac ratione diſceſſum ſuum manifeſtare velint? Si aliâs vnquam, tum maximè latere deſiderant. Ne pellantur ſuis ſedibus; aut expulſi videantur, vehementer adlaborant. Quos igitur araneos aut muſcas notamus; eos, quamuis Dæmonum opera, Dei tamen mandato adeſſe credamus. 8.

Eodem Dei mandato fieri crediderim, vt ſordida hæc & hominum generi inuiſa animalcula aſſumant, & exhibeant. Facit hoc Deus ad Spiritus illos confundendos: Facit ad homines inſtruēdos. Intelligunt illi peccato ſuo factum eſſe, vt ſordidiſsimis animalibus conferantur: Intelligunt hi miſerum eſſe illorum imperio ſubeſſe, qui non niſi cum *muſcis* poſſunt eſſe moleſti; aut cum *araneis* lethale venenum infundere. 9.

Porrò ſi quando in dictis animalculis degunt, non credendum eſt, in nulla tum alia corporis hominis, qui obſidetur, parte, moleſtos eſſe poſſe, quàm vbi animalia illa conſpiciuntur. Quamuis, verbi cauſa, ſupra, vel infra linguā muſca ſe contineat, qui tamē in muſca latitat Dæmon non linguam ſolùm; verùm etiam alia corporis membra, poteſt mouere, agitare, affligere. Id in Obſeſsis probāt nunc ingentes, quos excitant clamores; nunc oculorum in varias partes cōtorſiones: nunc brachiorum proiectiones: nūc totius corporis motus vehementiſsimi & inordinatiſsimi. *Maior eſt*, inquiūt, Theologi, *ſphæra actiuitatis Dæmonum, quàm præſentia ſubſtantialis.* 10.

CAPVT IIII.

Dæmones, dum homines obſident, in corpora potiſsimum poteſtatem habere & exercere, in animā verò non ita multum poſſe.

QVænam Dæmonum in homines, qui obſidentur, poteſtas ſit: & quanta illa ſit, nunc inquirendum eſt. Ibi quæritur *ad quidnam hominis, eorundem poteſtas ſe extendat*: hîc, *Vtrum quantum valent* 1.

hominibus obſeßis incommodent, aut incommodare poſsint. Ad prius; Capite hoc: ad poſterius, ſequenti reſpondetur.

2. Habere Dæmones in obſeſſos poteſtatem, ſuperius demonſtratum eſt. quia verò duabus partibus illi conſtant, *anima*, & *corpore:* vtrum ad animam tantùm, an etiam ad corpus; an ad vtrunque hæc ſe extendat, in quæſtionem vocatur.

3. Conſtitutum hic primò ſit, Dæmones incommodare *Animæ, quatuor modis* poſſe intelligi. videlicet, in ipſa animæ ſubſtantia: in eius facultatibus: in habitibus, quibus animæ inſtructæ ſunt: denique in operationibus. In ſubſtantia animæ, ſi illam in bruti, aut alicuius beſtiæ tranſmutent: in facultatibus, ſi illas tollant: in habitibus, ſi iiſdem animam ſpolient: in functionibus, ſi aut inuitum hominem ad aliquas cogant, aut in proprijs impediant.

4. Conſtitutum ſit ſecundò, etiam *Corpori* incommodare multis modis poſſe intelligi. Poteſt ſiquidem corpus interfici: poteſt vſu membrorum priuari: poteſt deſtitui, qui in ipſo reſident, ſenſibus: poteſt deformari: poteſt affligi morbis: poteſt multis & varijs modis excruciari. Hæc ſint conſtituta.

5. Nunc verò, cui parti Dæmones incommodant, in miſera mortalium obſidione? quæ mala afferunt? Reſpondemus breuiter, quod res eſt: *In corpora potiſsimum ipſis poteſtatem datam eſſe: In animas nihil, aut parum, poſſe: Detrimenta tamen quadam animabus afferre.* Hæc tria explicemus.

6. In *corpora* Dæmonibus facultatem dari, eorum exemplis, qui obſeſsi aliquando leguntur, manifeſtum eſt. Quotus quiſque eſt, cui
Matth. 12. 15. non aliquod in corpore detrimentum allatum eſt? Conſulamus Sa-
17. cras literas. Docent illę alios ſenſibus orbatos: alios nunc in aquam,
Luca 4. 8. 6. nunc in ignem præcipitatos: alios ita excruciatos; vt, relictis vrbi-
&c. bus & hominum ſocietate, in montibus & deſertis locis, veluti beſtiæ quædam feræ, errauerint.

7. Similia in *Sanctorum Annalibus* legimus. Miſerrimè Dæmon vexabat filiam *Imp.* Gordiani; quem S. Triphon eiecit, quemadmodum in eius Vita teſtatur Metaphraſtes, 1. Februarij. Spumabat ore, & dentibus frendebat mulier, quam profligato Cacodæmone, priſtinæ incolumitati reſtituit Laurentius Iuſtinianus, ſanctus Venetorum Patriarcha, teſte Bernhardo Iuſtiniano, in eius Vita cap. 8. Item Dæmon grauem & diuturnum, viginti ſex annorum, morbū attulit filiæ cuiuſdā viri principis, qui expulſus tandem à Theodoro Archimandrita, quemadmodum de Theodoro ſcribit eius diſcipulus Georgius presbyter, apud Surium, Tom 2. Lacerabatur ab

vltore

vitore Dæmone Folcardus quidam, homo magnarum per ſe viriũ, qui *S. Arnolphum*, pacem ſuadentem, arroganter contempſerat. Scribit hoc in *Arnolphi* Vita, cap. *41*. Liſiardus. Simile quid refert Ionas Abbas, in Vita *S.* Columbani, de alio quodam Dæmoniaco, à S. Columbano reſtituto. De S. Bernardo, lib. 2. cap. 3. ſcribit VVilhelmus Abbas, quòd à vexatione liberauerit mulierem quandam, cuius faciem Spiritus ita deformabat; vt monſtrum, non hominem dixiſſes.

Sed & ſuo ex hominibus egreſſu egregiè probant in *corpora* ſe poteſtatem habere. Docent hoc ſequentia exempla. Puer, ex quo Dęmonium eiecit S. Macarius, ſupra quàm credi poteſt, toto corpore intumuit; &, qua parte potuit, maximam aquarum copiam effudit, cum ingenti vocis elatione: teſte Palladio in Vita Macarij. Qui ad preces S. Catharinæ coactus eſt cedere Spiritus, inflauit guttur obſeſsi: ita *Raimundus* in Vita eius. Qui ad imperium Theodori Archimandritæ reliquit filiam principis, de quo Theſi 7. huius capitis, grauiſsimè eandem prius terræ alliſit: quemadmodum & Nicomachum, à Chriſtiana religione Apoſtatam, ille, cuius *15.* Martij. folio 298. Tomo *3.* mentionem facit Surius. 1.

Cum fędo vomitu Obſeſſum reliquit, quem expulit S. Bernardus ex puero; cuius in Bernardi vita mentio fit, lib. *2.* cap. *3.* Sic cum vomitu egreſſus eſt alius; quem S. Columbanus eiecit Pariſijs; ſed vomitu horrendo; quo obſeſſus ipſa viſcera videbatur effuſurus; quẽadmodum in Vita Columbani teſtatur Ionas. Talis, ſi non fœdior, fuit vomitus, quo diſceſſum ſuum teſtatum eſſe voluit, quem Romæ S. Dominicus ex Dęmoniaca eiecit. ſiquidem vix præter ſanguinem magnamque vim carbonum, cum grauiſsima corporis diſtractione, quidquam infelix reddebat. Vide cap. 4. lib *2.* vitæ eiuſdem Dominici. Denique, quæ liberata ſcribitur per *S.* Hupertum Epiſcopum, primùm in terram veluti mortua concidit: mox fœdam ſaniem ex ore reddidit: & tandem, quaſi ad ſe rediens, de libertate reſtituta ſibi, per S. virum, gratulata eſt. In Vita S. Huperti, Tom. *6.* fol. 49 apud Surium.

Nec aliud docet Apoſtolus Paulus. Cùm enim Corinthi quidam fornicationem commiſiſſet; & talem quidem, qualis vix inter gentes reperitur; tradidit eundem Sathanæ Apoſtolus *in interitum*, vt ipſe loquitur, *Carnis*, vt Spiritus ſaluus fieret. 9. 1. Cor. 5.

Porrò *Animabus* hominum obſeſſorum propriè non incommodare Dæmones, inductione eorum, quæ ad Animas pertinent, liquidum eſt. 10.

Digitized by Google

11. Nunquam *animas* hominum, quos poſsident, in brutorum formas tranſmutant. quid quod nec tranſmutare valeant? Hoc quia alias (De prodig. apparit. viuorum) demonſtratum eſt, hic longius perſequi neceſſe non eſt.

12. Nunquam poſſunt eaſdem *viribus & facultatibus*, ipſis congenitis & ingeneratis priuare. Vſque adeò altas illæ in animabus, & firmas, radices egerunt; vt propemodum tam ſit difficile eas tollere, quàm ipſas animas in nihilum redigere.

13. *Sic* tollere nequeunt *habitus*, qui in iam dictis ſunt facultatibus. Non poſſunt animas priuare diuinis illis charismatibus; fide, ſpe, & charitate: Non poſſunt ſpoliare reliquis virtutibus; ſiue illæ in voluntate ſedes ſuas habeant; ſiue in intellectu. Ea animarum hominũ, ea facultatum earum, & qui in ipſis ſunt, habituũ conditio eſt; vt ſolius Dei merum & abſolutum admittant imperium; ipſeque ſolus hic ſummum ius habeat.

14. Nequeunt etiam renitentes animarum vires ad *operandum* impellere Dæmones. Norunt hoc omnes. inde verò clarum & manifeſtum eſt, quod alioquin ad peccatum, etiam inuitos, mortales, nequam Spiritus impellerent: contra illud B. Auguſtini, *Serm.* 197. qui eſt *Serm*o 2. in Dominica prima poſt Trinitatis. *Latrare*, inquit, *poteſt Diabolus; ſolicitare poteſt: mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo. ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Eadem eſt Cyrilli Hieroſolymitani ſententia, Catecheſi 4. Illuminatorum. *Liberum arbitrium habet anima & poteſt quidem Diabolus incitare: cogere autem, præter voluntatem, non poteſt. Subijcit tibi fornicationis cogitationes: ſi vis, probas; ſi nolis, improbas.* Quocirca bene docet Caſsianus, Coll. 7. cap. 8. Dæmones ita noſtris profectibus aduerſari, vt eos tantummodò *incentores malorum*, non etiam *impulſores* credamus.

15. Sed tamen (hoc tertio loco probandum erat) dum in *corpora* ſæuiunt Dęmones, *quædam etiam ad animas detrimenta peruenjunt.* Vt enim dum corpora bene habent, haud parua ad animas redundant emolumenta: ita afflictis, & malè affectis corporibus, ſua etiam detrimenta ſentiunt animæ.

16. Inter hæc primum eſt, quòd, quo tempore in corpora ſæuiunt, animas à *virtutum ſtudijs* vacare ſit neceſſe; cùm pleraque non niſi corporum miniſterio adiutæ, aut profectò corporum moleſtijs non impeditæ, exercere valeant.

17. Deinde, quamuis hominum voluntates per ſe impellere nequeant; plurimum tamen poſſunt inclinare, & quoddam quaſi pódus,

dus,

Digitized by Google

dus, vt malum ſequantur, addere. Id nunc faciunt motus quoſdam, quibus facilè ſe voluntas accommodat; in corpore excitando nunc obiecta, quæ alliciant, ſenſibus tam internis, quàm externis proponendo.

Accedit tertium, quod quando ſenſuum officio priuãt (quod 18.
haud raro ſit) omnibus quoque *commodis priuent; quæ ſenſuum beneficio obtinentur*. Quot verò, & quanta hæc aliquando ſunt? Docere hoc Luc. 11,
poteſt vnus Euangelicus ſurdus, magno ſuo detrimento.

Quartum eſt, quod etſi *habitus virtutum* non tollant; frequenter 19.
tamen ita *debilitent*; vt nullam, vel exiguam, in hominibus functionem habeant. Quod dicimus, in illis maximè habitibus, quos Intellectuales dicimus, liquet. Quamuis enim hi in animæ facultatibus ſedes ſuas habeant, phantaſmatũ tamẽ egent miniſterio, ſi actus ſuos exercere debeant. At in phantaſmata plurimũ poſſunt, qui homines occupant, Dæmones. Quid quòd omnia quandoq; confundãt? quandoq; etiam magna ex parte tollant? Hæc Dæmonum in obſeſsis corporibus poteſtas. Quanta vero? Hoc ſequenti Capite.

CAPVT V.

Finitam & certam poteſtatem dari Dæmonibus in obſeſſorum corpora: & hoc iuſtas ob cauſas.

MAgnam Dæmonum poteſtatem eſſe norunt, qui in Sacris 1.
literis, etiam modiocriter, ſunt exercitati. Alicubi ſic dicitur: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei; qui factus eſt, vt nullum timeat. Omne ſublime videt. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.*

Veruntamen hanc non ſemper permittuntur in eos, quos ingre- 2.
diuntur, exercere. Niſi frenum tortoribus iniectum eſſet, nullus Obſeſſorum, ſalua vita, eorũ tyrannidem effugeret. Neq; enim ipſis deeſt voluntas & libido, extrema damna mortalibus afferendi; neque poteſtas aut vires. Cur igitur extrema mala non afferunt? quia afferre non permittuntur. ligatæ ipſorum ſunt manus. Vide Toſtatum, quæſt. 66. in 15. Matthæi, & Maldonatum, in 22. cap. Lucæ, ſuper illud; *Ecce Satanas expetiuit.*

Et profectò pulchrè. Nam neque pro libidine poſſunt Morta- 3.
les ingredi. Dei hîc ſententiam, & voluntatem exſpectant. Quemadmodum igitur non niſi Dei facultate obtenta, corpora ingrediuntur; ita quoque hominibus, quos ingreſsi ſunt, incommodare plùs non valent; quàm à Deo Opt. Max. permittitur, & præſcribitur.

 Hinc

4. Hinc tanta in obſeſsis hominib. differentia. Quidam grauiſsima
Matth. 15. patiuntur tormenta; quemadmodum filia mulieris Cannaæ. Quidam non ita grauia; vt qui audiendi ſenſu vel facultate loquendi per Dæmones priuati leguntur. Et grauiſsima patiebatur mulier,
Luc. 11. de qua in Vita S. Bernardi, lib. 2. cap. 3. ſiquidem linguam, inſidens Spiritus, ad modum proboſcidis elephantinæ protrudebat; & vultũ mirum in modum deformabat: Illa quoque, quæ vrgente S. Dominico, pro eius ſauitate ſolicito, cum Spiritu maximã & carbonũ, & ſanguinis vim euomuit. in Vita Domi. lib. 2. cap. 9. Non ita grauia; puella, quæ ſolùm aditu templi, ab inhabitante Dæmone, prohibebatur; quam curauit S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis, teſte Fortunato, in eius Vita, cap. 27. Præterea, quidam in ſe ſunt crudeles: alij in alios. In ſe illi, de quibus Marci 5. qui *ſe concidebant lapidibus*: in alios, hi, de quibus Matth. 8. qui ita erant *ſæui, vt nemo auderet tranſire per viam*: &, de quibus Actorum 19. qui *inſilierunt in ſuos adiuratores, ijſq́; dominabantur. ita, vt hi nudi profugerent & vulnerati, ex obſeſſorum manibus.*

5. Dęmon, qui ſanctiſsimi Iob felicitati inuidebat, non plus potuit; quàm à Deo fuit permiſſus. Sæuijt primùm in fortunas Iob; ſed Sancti viri corpus attingere nequaquam fuit auſus. Sæuijt deinde, Deo permittente, in corpus: ſed, ne quod damnum animæ afferret, prohibitus eſt.

6. Ipſa quoque moleſtia, quæ hominibus affertur, docet certas Dæmonibus leges pręſcribi. Cùm enim hic plerunque pœna quędam de peccato ſumatur; conuenit, vt quia hæc, Deo authore, exigitur, pro qualitate delicti exigatur; & patiatur homo, non quantum Dæmones deſiderant; ſed quantum æquitas poſtulat.

7. Finita igitur eſt Dæmonum, in obſeſsis hominibus, poteſtas: certis legib. aſtricta eſt. Tantum poſſunt, quantum ipſis à Deo permittitur. Quantum verò hoc? Norunt id, qui torquent, Dæmones. Nouit, à quo ipſi poteſtatem habent, Deus Opt. Max. Ignorant miſeri mortales, qui Dæmonum carnificinam ſuſtinent.

8. Cæterùm, res hæc *ſingularem Dei erga humanum genus demonſtrat prouidentiam*; & teſtatur charitatem: & quidem tum maximè, quando in eos ſæuiunt Spiritus, qui hoc ſibi malum ſuo vitio comparârunt. quamuis enim extremam tyrannidem ſummo iure in hos exercere poſſent; non tamen exercere permittuntur; Deo, pro amore, quo homines proſequitur, Dæmonum ferociam continente.

9. *Addit* deinde *animum miſerè affl ctis*, & obſeſsis hominibus: facit vt patienter ferãt, quas ſuſtinent moleſtias. Quia intelligant, nõ permittente ſolũ Deo flagella immitti; ſed etiam pro eius volũtate tẽpe-

tari: nec plus in homines poſſe coniuratiſsimos humanæ ſalutis hoſtes; quā magnis iuſtiſsimisq́; de cauſis, à Deo Opt. Max. permittūtur.

Declarat tertiò *miſeram Dæmonum conditionem:* qui cùm plurimum incommodare valeant; incommodare quoq; vehementer deſiderent; non tamen permittantur incommodare; ſed prorſus ab eius, quem ſummè oderunt, pendeant voluntate & permiſſu. 10.

Licet denique hinc intelligere, *iniuſtam eorum querelam, qui Dæmonum ſe aſtutia & potentia circumueniri cauſantur:* & inuitos ad peccata trahi aſſerunt. Non permittit clementiſsimus Deus, vt quantum valent, in corpora ſæuiant Dæmones; permitteret, vt innocentes circumuenirent, & inuitos ad peccatum pertraherent? Vſque adeò voluntarium eſt peccatum, vt niſi voluntarium ſit, peccatum non ſit. 11.

CAPVT VI.

Sextuplicia ferè mala obſeßis hominibus per Dæmones poſſe afferri.

VAria incommoda & mala humanis *corporibus* Dæmonum ſtudio & opera afferri nemo dubitat. Nos ſuperius (cap. 4.) horum ſex genera annotauimus. Nam vel mortem afferunt: vel membrorum vſu priuant: vel aliam, homini minimè conuenientem, formam procurant: vel ſenſibus ſpoliant: vel affligunt morbis: vel occultis rationibus & modis excruciant. 1.

Et hæc partim perficiunt, dum homines obſident; partim dum extra homines ſunt conſtituti. & nunc quidem per ſeipſos; nunc per eos, qui ipſis operas ſuas locant. 2.

Quædam nihilominus frequentiùs, dum in hominibus latent, operantur: quædam frequentiùs extra homines poſiti: quamuis omnia, & in hominibus poſiti, & omnia, extra eoſdem conſtituti, perficere, tam per ſe, quàm per alios valeant. 3.

Nos, quæ obſeſsis mala afferunt, aſsignamus. Hîc primū frequentiſsimumque eſt, quòd *occultis* quibuſdam *rationib.* quibus medicorū arte remedium afferri nequit, *excrutient*, & torqueāt. Vnde & *ſpiritus infirmitatis* dicuntur, Lucæ 13. Ita illorum quidā Virginem afflixit, cuius B. Hieronymus, in Vita Hilar. meminit. Ita alius Principis cuiuſdam filiam, cuius in vita Theodori Archimandritæ fit mentio, viginti annis, morbo grauiſsimo excruciauit; Qui tamen morbi author ignorabatur: donec puella ad Sanctum virum adducta, ipſe ſe prodere coactus eſt. Ita tertius Petrum, filium cuiuſdam cauponis, cuius in eiuſdem Theodori Vita deſcribitur curatio, vexauit. Grauiſsima enim ille cordis patiebatur tor- 4.

menta: ſed quòd à Dæmone illa afferrentur, ignorabat. intellexit autem confeſsione S. Theodori, qui & Obſeſsi faciem cruce ſignauit, & cor eiuſdem pulſando, Dæmonium abegit. Vtrumque hoc in Vita Theodori recenſet Georgius presbyter, eius diſcipulus, apud Surium, Tom. 2.

5. Luc. 11. Alterum eſt, quòd *ſenſibus priuent.* Illuſtre huius exemplum præbent Sacræ litteræ, in Dæmonio muto, & ſurdo; quod Dominus eieciſſe legitur. Neque enim credendum eſt Dæmonium mutum fuiſſe & ſurdum. mutus & ſurdus fuit Dæmoniacus: & quidem Dæmonij opera, quod mutum & ſurdum appellatur. Sic ſexennio vſu linguæ priuaſſe ſpiritum quendam mulierem, teſtatur in Vita Abbatis Poſsidonij, Sect. 71. Palladius. Huc refero, quòd ſenſus præſtigijs faſcinent, & ludificationibus miris imponant mortalibus: vt Obſeſsi credant ſe percipere, quæ reuera non percipiunt. Hoc forſitan in Nabuchodonoſore locum habuit: ſi tamen in bouem ſe conuerſum eſſe exiſtimauit: de quo plurima Toſtatus, quæſt 115. in octauum Matthæi. Similiter in Abbate Moyſe: de quo Caſsianus, Collat. 7. cap. 27. quod traditus Dæmoni, *humanas* (vt loquitur) *egeſtiones ori ſuo ingeſſerit.*

6. Luc. 13. Tertium eſt, quòd *naturalem hominum formam interdum deſtruant,* &, neſcio quam, peregrinam, humanis functionibus minimè conuenientem, inducant. Et huius exemplum Sacræ litteræ ſuppeditant, in muliere, quæ decem & octo annis ita inclinata inciderat, vt ſurſum reſpicere prorſus nequiret. Tale malum, quemadmodum & ſecundum illud, cuius præcedenti Theſi mentio facta, mulieri obſeſſæ attulit Dæmon, per S. Bernardum aliquando eiectus. Is ſiquidem miſeram & auditu, & viſu, & loquela priuarat: & eiuſdem linguam ſæpe in modum proboſcidis elephantinæ protrudebat: vultum quoque ita deformabat; vt monſtrum, non hominem referret. Vide Caput 46 huius Diſputationis.

7. Quartum eſt, quòd *imaginationem hominum corrumpant,* & ad quandam quaſi rabiem adigant, crudelibusque beſtijs reddant ſimillimos: vt non raro neceſſe ſit vincula miſeris adhibere, & compedes, ne vel ſibi, vel alijs noceant. Ita afflixit Dæmonium eos, quos Euangeliſta refert latitaſſe in ſepulchris, & furore percitos ſæuijſſe nunc in prætereuntes, nunc in ſeipſos. Marc. 5.

8. Quintum eſt, quòd eò quandoque redigant mortales, vt omnino ſibi *mortem conſciſcere videantur debere:* neque id raro tentent. Simili Spiritu vexabatur, quem S. Marcus refert alliſum terræ fœde ſpumantem, dentibus ſtridentem, areſcentem: frequenter etiam in ignem & aquam præcipitatum. Marc. 9.

His

His ſextum malum addiderim, *mortem ipſam*, quam interdum 9.
afferũt. Quid aliud moliebatur, cuius iam dictus Marcus meminit? Procurauit eandẽ Dæmoniũ (vt Sigisbertus in Chron. teſtatur) quod Gundericum Vandalorum Regem, poſtquã, capta Hiſpali, Dei templum illud prophanaturus eſſet in greſſus, inuaſit. mox ſiquidem, iuſto Dei iudicio, miſerè Regem contrucidauit. Et Nicomachum, qui in tormentis Chriſtum negarat, Dæmonium ingreſſus eſt; nec vexandi finem fecit, donec linguam ille ſibi dilanians, & præmandens, expirauit. Vide Surium, Tom. 3. fol. 298. Sic crudeliter & miſerè hanc vitam finiuerunt; qui, quod res Eccleſiæ inuaſiſſent, à Dæmonibus fuerunt correpti: de quibus Cap. 30. huius Diſp Et ex Cap. 155. Prati ſpiritualis recitat Cæſar Baronius, Tom. 7. circa annum Chriſti 586. fol. 621. fuiſſe tres Saracenos (ob crudelem mortem, quam adoleſcenti cuidam Tyrio, per Idolorum ſacerdotes, machinabantur) à Dæmonibus obſeſſos, qui mox in ſeipſos ſæuierint, ſeq; mutuis vulneribus confecerint.

Hæc præcipua ſunt, quæ *corporibus* obſeſſorum mala Dæmones 10.
procurant. Si quæ ſunt alia, ad hæc facilè reuocantur. Sed quibus rationibus & modis hæc efficiunt? Id ſequenti Capite explicandum.

CAPVT VII.

Quinq; propemodum modis Dæmones Obſeſſorum corporibus moleſtias afferre.

QVemadmodum varijs malis mortalium genus Dæmones 1.
ſolent affligere; ita varias habent rationes & modos, quibus affligunt. Nos, quia de obſidentibus Spiritibus tantùm diſputamus, illas ſolum perſequemur, quibus ijs, quos obſident, nocent.

Mortalibus igitur, vel per ſe ipſos incommodant, abſque vllius 2.
creaturæ ſubſidio; vel opera ſeu miniſterio aliquarum creaturarũ, quibus libenter, vt tantò grauius affligant, vtuntur.

Per ſe illi incommodaſſe videntur, quorum Sacræ Paginæ me- 3.
minerunt: Per creaturas etiam, qui noſtris temporibus, poſtquam ex hominibus eiecti fuerunt; vel aciculas, vel crines, vel clauos, vel vitrorum partes, ſuæ crudelitatis argumenta, reliquerunt; quæ mox, Dæmonibus pulſis, illi, qui Obſeſſi fuerant, euomuerunt. Sed & præcedentia ſæcula hîc ſuggerunt exempla. Referimus vnum ex Vita S. Dominici lib. 2. cap. 9. Huius concionem, cum Dæmoniaca

quædam, in frequentiſsima turba ſedens, magnis editis clamoribus, interturbaret; ſilentium Spiritibus imperat vir ſanctus (ſeptem erāt, & ſinguli ſuis ſe vocibus prodebant) &, facto Crucis ſigno, in Chriſti nomine egreſſum imperat. quid verò? Mox magnam carbonum & ſanguinis vim, per os euomit mulier, & vnà cum Spiritu animam credebatur exſpiraſſe.

4. *P*oſterior hæc ratio rariùs apud Obſeſſos locum habet. vſitatior eſt apud eos, quorum opera Dæmones vtuntur; Magos loquor, & Maleficos: *At* prior in vſu hîc frequentiùs eſt. Ideò enim *S*piritus nequam ingrediuntur homines; vt per ſe noceant; per ſe affligant; per ſe detrimenta humanis corporibus afferant.

5. Quæcunque verò mala afferunt, *quinque* modis efficere videntur. *P*hantaſiæ & ſenſuum faſcinatione: virium hominis infirmatione: corruptione organorum: aliquorum membrorum aut contractione, aut diſtractione: denique corporis depulſione ſiue impulſu.

6. *Primò modo* efficiunt, vt mortales ſibi perſuadeant, ſe ſuos hoſtes cernere: cernere cruentas beſtias: cernere Dæmones, qui mortem & alia velint afferre. iudicent etiam ſe in beſtias conuerſos, & ob id in alios, tanquam feræ crudeliſsimæ, ſæuiant. *H*ic modus in illo *D*æmoniaco locum videtur habuiſſe, qui gladio armatus vrbem peruolitabat, & quoſcunque obuiam habebat, petebat; quem Arſacius curauit: teſte Sozomeno, lib. 4. cap. 15.

7. *Virium infirmatio* formam plerunque hominum deſtruit & diſſoluit. Quemadmodum enim ſi illæ integræ ſint, ſingula ſuis locis membra conſiſtunt, & officia exequuntur: ita ſi infirmētur, pulcherrima hominis conſtitutio diſſoluitur, & ad officia ſua præſtanda membra redduntur inepta. Hac effecit in puella quadam, ne templum poſſet ingredi. *E*ius meminit Fortunatus, cap. 27. in *V*ita *S*. Germani, *E*piſcopi *P*ariſienſis.

8. *Corruptio organorum* ſenſus, qui in organis ſunt, vel tollit, vel hæbetat. Quoniam ſenſuum ea ratio eſt; vt non niſi medijs corporeis organis functiones ſuas exequantur: quæ cùm Dæmones perdant, non mirum ſi ſenſus tollant. Ita ſenſibus priuauit *mulierem* (vt vocat VVilhelmus S. Theodorici Abbas, in Vita S. Bernardi, li. 2. ca 3.) *grandæuam*, quæ nec videre quidquam potuit, nec audire.

9. Dolorum, quos Obſeſsi quandoque vehementiſsimos experiuntur, cauſam non malè dixerimus membrorum quorundam, quam Spiritus in certis partibus efficiunt, *contractionem & diſtractionem*. Maximos enim dolores hac ratione excitari, vel ſolæ parientes mulieres probant. Poſſe verò Dæmones membra contrahere, &

diſtra-

diſtrahere non ignorant docti. at contrahere & diſtrahere id probat; quòd non ijdem ſemper dolores perſeuerent: tum illud etiam, quòd nulla medicorum arte ijs poſsit adhiberi remedium. Hac ratione vſus eſt Dæmon, qui puerum, à S. Macario curatum, diſcruciauit; cuius in modum vtri totum corpus intumuit. de quo Palladius in Vita Macarij.

Depulſione denique & *impulſu corporum* Spiritus mala afferunt. Exemplo is ſit, quem nunc in ignem, nunc in aquam Euangeliſta teſta- 10. *Marc 9.*
tur præcipitatum. in quo vexando hanc ſolam rationem dæmon obſeruaſſe videtur.

His modis à Dęmonibus detrimenta hominum corporibus procurantur. Et aliquando hos omnes adhibent: aliquando plures; aliquando pauciores. Prout nocere deſiderant & poſſunt; ita modos nocendi aſſumunt. 11.

CAPVT VIII.

Dæmones nec ſemper Obſeſſos moleſtare, nec ijſdem ſemper adeſſe.

CVm iam dictis proximè coniuncta videtur Quæſtio: *Vtrum ſemper, dum corpora obſident Dæmones, moleſti ſint & crucient: Semper etiam in corporibus eorum, quos obſident, reſideant.* Quæſtioni occaſionem præbet diuerſitas cauſarum efficientium, & agentium. 1.

Duplicis enim generis agentia ſunt. quædam cum ratione agunt, & liberè; quædam ſine ratione, & ex neceſsitate. Hæc ad vnum determinata ſunt; illa poſſunt contraria agere. Hæc quoniam ex neceſsitate agunt, non poſſunt, non agere; illa, cùm agant liberè, poſſunt nunc agere, nunc actiones ſuas intermittere. 2.

Si in poſteriori agentium claſſe Dæmones eſſent, facilis ad propoſitam Quæſtionem eſſet reſponſio. Nunc quoniam prioris ſunt ordinis, & liberè agunt, non ita facilis: præſertim ſi de facto ſit quæſtio: Nam ſi de Spirituum poteſtate agatur, nō ita magna difficultas. 3.

Atque vt de *poteſtate* Dæmonum hoc obiter dicatur, dubium non eſt, quin omni, quo ſunt in homine, tempore moleſti eſſe valeant, & deſiderent. Non ipſis deeſt nocendi libido: non deſunt vires, & quæ in nobis exercitio atque actuum frequentatione fatigantur & franguntur, ne continuas actiones exerceant; illæ nequaquam in Dęmonibus langueſcunt, aut deficiunt.

Sic dubium non eſt, poſſe ipſos corpora, quæ inhabitant, ad tēpus 4.

Digitized by Google

deſerere. Tanta ipſorum cum corporibus vnio non eſt; quanta animarum cum ſuis corporibus. In corporibus non niſi, vt motores quidam ſunt, quocirca facilè ipſis eſt, tam corpora deſerere; quàm ingredi.

6. Quod ſi de quibuſdam legatur, quod exire ex hominibus deſiderauerint, nec tamen potuerint, non hoc defectu ſit virium ipſorum Spirituum; ſed iuſto Dei iudicio, & Sanctorum hominum ſumma, quam in Spiritus habent, poteſtate. Talis fuit, qui ad Theodorum Archimandritam adductus, certo loco hærere, nec ex eodem diſcedere iuſſus eſt: neque diſcedere, etiam poſt multas preces, potuit; niſi quando diſcedendi facultas ipſi per S. Theodorum eſt facta. Hoc Georgius præsbyter, in Vita Theodori.

7. Verùm, quemadmodum diximus, de *poteſtate* præſens Quæſtio non eſt; Quæritur, Vtrum quod poſſunt *faciant*; Vtrum, inquam, à cruciatu miſerorum, in quibus ſedes ſuas collocarunt, aliquando deſiſtant: atque Vtrum eoſdem nonnunquam ad tempus planè deſerant, & poſtmodum domicilia ſua repetant.

8. [illegible]*ruciatu quandoque deſiſtere* certum eſt. Videmus nonnunquam nihil prorſus moleſtiarum Dæmoniacos perpeti: Videmus eoſdem nihil ab ijs, qui à Dæmonum infeſtatione liberrimi ſunt, differre. Ipſi quoque ſe nihil pati palam teſtantur haud raro. Quocirca ſi noſtris ſenſibus nolumus; ipſorum confeſsioni fidem adhibeamus. Et exemplum Saul. Regis egregiè nobis hic ſeruit: quem Sacræ literæ docent à malo Spiritu obſeſſum fuiſſe, 1. Regum *16*. & tamen de eodem eædem ſacræ literæ teſtantur, quod aliquando *leuius habuerit*, *& ſit refocillatus:* Lege finem Capitis *16*.

9. Confirmat hoc Obſeſſus, cuius in Vita S. Parthenij fit mentio. hic, quamuis multis annis Dæmonium habuiſſet, de Dæmonio tamen nihil, vel ipſe, vel alij ſuſpicati ſunt; donec præteriens S. Parthenium, ſe prodidit. Legendus Metaphraſtes in Vita Parthenij, 7. Februarij. Confirmat & puella Magnoſledini cuiuſdam, cuius in Vita S. Germani meminit Fortunatus Epiſcopus, Cap. 27. quamuis enim multis annis obſeſſa hæc fuiſſet: nullam tamen moleſtiam ſuſtinuerat à Spiritu: hoc ſolum nequam efficiebat; ne templum ingreſſura progredi poſſet. Aliud huius exemplum Theſ. 4. habes, Cap. 47. huius diſputationis.

10. Sed neque Deus permittit, vt ſemper affligant. Sæpè ille iuſtitiã ſuam miſericordia temperat. Dum iuſtus eſt; non obliuiſcitur miſericordiæ. Adde, quod nec tantæ hominum vires ſunt, vt continuas Dæmonum infeſtationes, & moleſtias ferre valeant. Quid

quod

Digitized by Google

quod ipſi Spiritus non velint ſemper moleſti eſſe? ne, ſcilicet, continuata vexatione vitam obſeſſorum abbreuient; & ſedes ſuas, quod ægerrimè faciunt, relinquere cogantur. Hoc de cruciatu.

Difficilius fit, vt *ad tempus homines deſerant* maligni Spiritus. ſed tamen fieri quandoque ſubiecta hiſtoria docemus. Quo die Martinus Lutherus ex hac vita diſceſsit, Dæmoniaci, qui Gheolæ (Brabantiæ oppidum eſt) plurimi erant & patrocinio S. Dymnæ, (quod iam multi multis annis experti erant) libertatem expectabant, omnes à Dæmonibus liberati ſunt; & non ita multò poſt, ab ijſdem rurſus occupati. Res hæc obſcura non eſt. Siquidem poſtera die, cùm miſeros homines rurſus crudeles Spiritus torquerent, interrogati, Vbi pridie delituiſſent; reſponderunt ſe mandato Principis ſui, ad noui Prophetæ, & fidelis cooperarij, Lutheri, funus euocatos fuiſſe, eidemq́ne interfuiſſe. Confirmauit hanc rem Lutheri famulus, qui miſerè morienti affuit, & cum per feneſtram, auræ capiendæ gratia, aſpiceret, non ſine magno terrore vidit, non ſemel, plurimos teterrimos Spiritus, haud procul inde ſaltantes. choreas agentes. Confirmarunt corui, qui Lutheri corpus, cum Iſlebio VVittenbergam deferretur, magno clamore comitati ſunt. Vide Bredenbach. Collat. lib. 7 cap. 39. 11.

Simile quid de Brunone, Pincerna Comitis de Monte, legimus. Nam & eius funeri Dæmones, qui Obſeſſos ad tempus relinquerant, interfuiſſe dicuntur. Vide Cæſarium, lib. *12*. cap. *10*.

Putarem & illos Spiritus reliquiſſe, ad tempus, homines obſeſſos, qui tempeſtatis authores fuerunt; quando cum ſuo ſocio S. Lupo in Britanniam profectus eſt, Euangelij ſeminandi cauſa, Germanus, Epiſcopus Antiſidiorẽſis: & quidem eo tempore reliquiſſe, quo tempeſtatem in mari, vt profectionem impedirent, Spiritus excitabant. Quid enim? An vno eodemq́ue tempore in corporibus obſeſsis fuerunt, & mare turbarunt? Vide Conſtantinum presbyterum, in Vita. Germani, cap. *22*. apud Surium, Tomo *4*.

Sic à puero aliquo, quem torquebat, receſsiſſe Spiritum, quem Dominus eiecit, Apoſtoli autem eijcere non potuerunt, inſinuat S. Lucas cap. *9*. cum ſic loquitur. *Et vix diſcedit, dilanians eum.* Notauit hoc Maldonatus in 9. Cap. Lucæ. Et Saul. non tantum leuius habuiſſe; ſed etiam à Dæmonio prorſus ſuiſſe liberatum, (qui tamen iteratò ad eundem redierit) docebitur Cap. 49. huius Diſputationis.

CAPVT. IX

Per quam partem Spiritus Nequam homines obſeſſos ingrediantur.

1 QVi Dæmones corpora quædam, quamuis tenuia, habere credunt, neceſſe habent aſſerere, eſſe quoſdam in homine meatus, per quos ingrediantur: & præterea certa quædam eſſe loca, vbi iam ingreſſi commorentur, & ſedes habeant. Naturæ enim iura non permittunt, vt ſe duo corpora penetrent. Eadem etiam poſtulant, vt certum definitumque locum omnia obtineant.

2. Qui ipſis nulla corpora (quæ probabilior Doctorum ſententia eſt) tribuunt; quamuis ad eaſdem, cum prioribus, leges non aſtringantur; quia tamen Dæmones in ipſis hominibus conſtituunt, qui aliquando in hominibus non fuerunt; qua via ingreſſi ſint, & quo in angulo iam ingreſſi latitent, etiam docere debēt. Neque enim mens humana capere poſſe videtur, vt in homines Spiritus ingreſſi dicantur; & nulla ijs via fuerit, per quam ingreſſi ſint: atque item, vt in hominibus eſſe dicantur; & nullus, vbi degāt, locus aſſignari valeat.

3. *Ingreſſum* primum ſcrutemur. Sunt qui exiſtimant ipſos per *os* corpora hominum ingredi: fortè hinc perſuaſi, quòd apud non ignobiles authores, haud rarò legamus, ipſos, vnà cum cibo aut potu, in quo latuerunt, hauſtos eſſe; & mox magna tyrannidis ſuæ in miſeris hominibus exempla dediſſe. Et de potu quidem nos plura exempla proferemus, partim Theſi vltima, Capitis 16. partim Theſi 10. cap. 32. de cibo vnum offert S. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 4. quod ipſius verbis hic aſcribimus, Quadā die, vna Dei famula hortum ingreſſa eſt; quę lactucam conſpiciens concupiuit: eamq; ſigno Crucis benedicere oblita, auidè momordit; ſed arrepta à Diabolo protinus cecidit. Cumq; vexaretur, eidem patri Equitio (Abbas hic erat prouinciæ Valeriæ) ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxq; hortum idem Pater vt ingreſſus eſt; cœpit ex ore eius, quaſi ſatisfaciens, ipſe qui hanc arripuerat Diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt diſcederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet, qui protinus abſceſſit; nec eam vltra contingere præualuit. Hactenus Gregorius.

4. Nec deſunt, qui hinc profectam volunt conſuetudinem, quæ

apud Catholicos eſt; vt ſi quando oſcitent, *os* ſigno Crucis muniant: quaſi hac crucisignatione Dæmonum in corpora ingreſſus prohibeatur.

Hos confirmat, quòd in Exorciſmis, quando Dæmones ex corporibus eijciuntur: ſæpè ſub muſcæ aut aranei ſpecie *os* egrediantur. Ita enim indicant, quòd idem ipſis oſtium ad ingrediendum, & egrediendum patere debeat. Exempli loco hîc etiam nobis eſſe poteſt is, quem S. Remigius expulit; victus partim literis S. Benedicti, partim importunis precibus parentum, pro filiæ obſeſſæ incolumitate Benedictum ſolicitantium. De hoc ſiquidem Hincmarus in Vita S. Remigij: quòd cum ingenti vomitu, & graui fœtore, per idem *os*, quo ingreſſus fuerat, ſit egreſſus. 5.

Rationes hæ quamuis magnum robur non habeant; non prorſus tamen nullæ ſunt. Certum eſt, aliquando Dæmones per os in homines intraſſe. Certum quoque eſt, reprehendi non debere, multis annis receptam Catholicorum crucisignationem: Certum denique per os ſæpè egreſſos eſſe. Quapropter non omninò malè opinari dicendi ſunt, qui eoſdem per os in homines ingredi exiſtimant. 6.

Sed tamen aliam nullam viam Spiritibus patere credendum non eſt. Sicuti per os; ita per quemcunque meatum, atque adeò per tenuiſſimos, & vix perceptibiles poros, humana corpora poſſunt intrare, & ingrediuntur non rarò. 7.

Quid quod nec poris quidem, in ingreſſu, indigent? Quid quod etiam oppoſitis corporibus eorum aditus non prohibeatur? Quid quod nihil poſſit eſſe tam vaſtum & firmum, quod non penetrare abſque difficultate & moleſtia valeant? Hæc Spirituum (in quorum ordine Dæmones ſunt) conditio eſt: vt obiectis corporibus, nec virtus ipſorum, nec præſentia, nec operatio retardari aut impediri queat. 8.

CAPVT X.

In qua hominum obſeſſorum parte Dæmones latitent, & ſedes ſuas habeant.

QVA via Obſeſſos maligni Spiritus ingrediantur, conſtitutum eſt: *vbi*, ingreſſi, *latitent* inquirendum. Hîc vbi principio quid *fieri* poſſit expoſuerimus, tum quid plerunque *accidere* putemus, aperiemus. 1.

Poteſt

2. *Poteſt fieri*, vt totum hominis corpus obſideant Dæmones: ita videlicet, vt extra nullam corporis, quod obſident, ſint partem; & in quacunque corporis ſint parte: Sint in capite, in brachijs, in ventre, in tibijs, &c. Mirum hoc non eſt. Quemadmodum, anima hominis; ita ſe Dæmones habent in corpore: quamuis interim alias Dæmones, alias anima habeat operationes: arctius etiam cum corpore anima, quàm Dæmones coniungantur.

3. *Fieri etiam poteſt*, vt in vno aliquo ſint hominis membro, capite, ſcilicet, brachijs, tibia, pectore. Atque hoc ab ipſa, qua corpus viuit, anima differunt Illa, quia omnes corporis partes viuificat; omnibus debet eſſe coniuncta: Dæmones quoniam corporibus vitam non conferunt: ſed motum tantummodo; in vna aliqua corporum parte ſedes ſuas habere poſſunt. Sic in brachio Eutychij cuiuſdam oſtiarij S. Theodori Archimandritæ, ita latuiſſe Dæmonem; vt in nulla alia corporis parte fuerit, dubium non eſt. Poſtquam enim vir Sanctus Eutychij manum apprehendit, Dæmonemque per brachij meatus diſcurrere obſeruauit; mox Cruce humerum ſignat, aditumque ad reliquum corpus prohibet: eodemque deinde ex brachio præſcripto, plena perfectaque incolumitas Eutichio reſtituta eſt. Ita Georgius Presbyter, Theodori diſcipulus in Magiſtri Vita. Et de Gloria Confeſſorum, cap. 9. ſcribit B. Gregorius Turonenſis, quendam ſedem ſuam habuiſſe in vngula cuiuſdam Energumeni.

4. Sed nec membris indigent, in quibus reſideant. *Poſſunt ſub quacunque* etiam minima atque adeo vix perceptibili, *hominis parte* latere; & quidem illi Spiritus, qui maxima aliquando vaſtiſsimaq; corpora poſſederunt. Nec hoc nouum. Nonne eadem hominis anima eſt, quæ nunc minimo corpore, cum primum vitam homo accipit, latet; nunc vegetat vaſtum, & per omnes maximi corporis partes, vt ita dicam, diffuſa eſt?

5. Hæc *fieri* poſſunt omnia. Quid porrò *fit? In qua hominis obſeſſi parte Dæmones latitant?* Difficile id eſt aſſerere. Si ex aliquo, profectò ex operationibus, quas in hominibus exercent, poſſet deprehendi: Veruntamen hinc certum argumentum ſumi nequit. Quare? Quia neceſſe non eſt, vt vbi operantur, ibi ſint *αὐτοπροσώπως* ipſi Spiritus. Poſſunt hoc loco exiſtere; & alio operari. Alia eſt Sphæra actiuitatis Dæmonum, alia præſentiæ.

6. Igitur ſi tuber in aliqua hominis parte excitant; ſi Obſeſſorum linguam protrudant; ſi moleſtiis hoc vel illud membrum afficiant; non mox ibi Spiritus eſſe neceſſe eſt dicere. Omnia hæc Dæmonū virtute

virtute fieri poſſunt: quæ ad plura, quàm ipſorum ſe præſentia extendit.

Similiter dum aranei, aut muſcæ in obſeſſorum ore conſpiciuntur, non ita iiſdem Dæmones includimus; vt extra illa non ſint. Poſſunt hæc animalcula producere, & in ijs latere: poſſunt quoque extra ipſa ſubſiſtere; & nihilominus, quo libet, impellere. 7.

Porrò quamuis hîc certo conſtitui nihil poſsit: non ſine ratione tamen illos loqui dixerim; qui in *corde*, vel haud procul à corde, eos ſedes ſuas *plerunque* habere arbitrantur. 8.

Ratio huius ex duobus pendet: Ex Dæmonum fine, & cordis humani conditione. Finis Dæmonum eſt homines mouere atque exagitare: (Nam quæcunq; in corpora poſſunt, illa propemodum motu locali efficiunt.) Conditio cordis humani eſt, vt ſit principiũ actionum omnium. Ergo, cùm ſedes ſuas eò loci Dæmones conſtituere, credi poſsit, vbi facili negotio, corpus humanum, quocunque libuerit, valeant impellere; in *corde*, à quo omnis motus, aut certè, *haud procul à corde*, ipſos domicilium ſuum habere, dici non congruè videtur. 9.

Nónne quod in naui eſt Nauclerus, id in obſeſsis corporibus ſunt Dæmones? At verò Nauclerus in ea ſe nauis parte conſtituit, vbi nauis cõmodiſsimè impelli poteſt. In illa igitur hominis parte Dæmones erunt, in qua conſtituti, hominis corpus, quo lubebit, poterunt faciliùs impellere. 10.

Præterea non hoc propoſitum tantùm Dæmonibus eſt, vt pro libidine hominum corpora cieant: etiam in proprijs, ſibíque naturalibus operationibus eoſdem impedire conantur, atq; adeò impediunt. Vbi igitur iuſtiùs ſedes ſuas habebunt, quàm vbi operationes impedire commodiſsimè poſſunt? At poſſunt commodiſsimè, ſi *cor*, quod operationum omnium principium eſt, poſsideant. 11.

Norunt omnes & hoc Dæmonum eſſe ſtudium; vt Deo, quantum fieri poteſt, ſint ſimiles. Petent igitur, quod Deus maximè deſiderat. quid illud? *Cor* hominis. *Fili*, inquit alicubi, *præbe mihi cor tuum*. Hoc ſenſiſſe videtur S. Laurentius Dublinenſis Archiepiſcopus: in cuius *Vita*, cap. 28. apud Surium, Tom. 6. legitur, quòd curaturus quandam Dæmoniacam, primùm pectori eius crucem impreſſerit; deinde aquam benedictam bibendam dederit: quaſi illo loco putauerit medicinam prodeſſe, vbi malum, quod pulſum cupiebat, ſuam ſedem habere crederet. Senſiſſe quoque idem iudicandus eſt Theodorus Archimandrita, cuius iam Theſi 3. memi- 12.

nimus.

nimus. Curaturus enim quendam Energumenum, de quo, vtrum Obſeſſus eſſet, non certò conſtabat, *cor* ipſius cœpit pulſare primùm, & Dæmoni, vt ſe proderet, imperare.

13. Dicuntur hæc, vt videtur, cum ratione. Et forſitan ita ſe plerunque res habet. Interim tamen, *præter cor, Dæmones alias habere latebras* id argumento eſt, quod, in libris Ritualibus, iiſdem præcipiatur, in virtute ſanctiſſimæ Trinitatis, ne ſe occultent in quatuor humoribus, in carne, oſsibus, neruis, medullis, venis, ſuris, tibijs, renibus ventre, ſtomacho, inteſtinis, gutture, collo, &c. Vide Exorciſmum 2. Sacerdotalis Romani.

14. Putauerim quoque frequenter fieri, vt qui in vno aliquo homine ſunt, ſtationes ſuas quandoque mutent; & nunc ſint in hac corporis parte, nunc in alia: nunc etiam plures ſimul hominis partes poſsideant; nunc pauciores.

15. Vbicunque verò Spiritus latitant: non ita loco, quemadmodum corpora concluduntur, aut circumſcribuntur: neque locorum, quæ occupant partibus, partes Dæmonum reſpondent. Dæmones partes nullas habent. In quacunque corporis parte toti ſunt. In toto, quod poſsident, corpore, toti ſunt; non ſecus atque in homine, hominis anima.

CAPVT. XI

Dæmones aliquãdo ſignis quibuſdam iiſque quadruplicibus declarare ſuos in humana corpora ingreſſus, & hoc iuſtas ob cauſas.

1. ALia ſigna ſunt, quibus Dæmones ſuum in homines ingreſſum probant: alia quibus demonſtrant, quòd in hominib. latitant, ipſoſq; inhabitant, de poſterioribus capite 22. & ſequentibus agetur: priora hoc loco inueſtigamus.

Duo autem hîc quæruntur, Alterum eſt; *Semperne ſpiritus aliquibus ſignis declarent, quod homines ingrediantur.* Alterum, *quænam potiſsimum illa ſint ſigna.*

2. Quod ad prius attinet, dubium non eſt *plerunque ſuum in homines ingreſſum prodere.* Poteſt hoc exemplis multorum, qui aliquando obſeſsi fuerunt, demonſtrari. Quidam eorum, prius quã obſideretur, ſe Spiritus, ſub ſpecie canis, aut nigri Aethiopis conſpexiſſe aſſerunt: quidam quodam ſtrepitu atque tumultu fuere perculſi quidam, neſcio quas, in ſomno habuerunt graues, & moleſtas imaginationes.

Hæc

Hæc & facta eſſe, & quotidie adhuc fieri clarum eſt: Veruntamen quas ob cauſas nō ita. Quemadmodum plurima alia ſunt, quorum vix rationes aſsignātur; ita, cur non niſi poſt aliqua ſigna quidam Dæmones humana corpora ingrediuntur, ratio certa vix dari poteſt.

Fortè vna eſt, quod hac re Deum imitari poſsint vidēri Spiritus: 4.
vt quemadmodum ille aduentum ſuum in, vel ad, homines externis quibuſdam, magniſque argumentis teſtatur & indicat; ita quoque Spiritus ſuum velint innoteſcere; ne hac in re Deo videantur inferiores. Et de Deo quidem res eſt clara ijs, qui in Sacris literis ſunt verſati. Nam & quando primos generis humani parentes acceſsit, ipſos reprehenſurus, ob diuini præcepti præuariationem, *vox ipſius deambulantis in paradyſo ad auram, poſt meridiem*, audita eſt; Geneſ. 3. & daturus legem, cum Moyſen eſſet conuenturus, *mons*, ad quem deſcendebat, *fumabat, & ſonitus buccinæ audiebatur*: cœperunt quoque *audiri tonitrua, atque micare fulgura*, Exo. 20. Et deſcenſum ſuum in Apoſtolos, ipſo Pentecoſtes die, teſtatus eſt *ſono repentè de cælo facto tanquam, aduenientis Spiritus vehementis*, Actuum, 2. Quòd verò Deum æmulari cupiant Spiritus: non minus certum eſt; cum ob hanc cauſam etiam Dei Simiæ nuncupentur: & ibi ſua velint habere ſacella, vbi Deus ſua habet tēpla: vt eſt in prouerbio.

Fortè etiam hac ratione bonos Angelos volunt imitari. Nam &
illi, vt plurimum, externis ſignis præſentiam ſuam prodiderunt. 5.
Poteſt hoc multis, & claris ſacræ ſcripturæ locis doceri. Nos vno contenti ſumus Angelo, Dominicæ Reſurrectionis teſte: de quo Euangeliſta Matthæus, cap. 28. quòd *magno terræmotu edito* ſuā præſentiam ſit teſtatus. *Ecce*, inquit, *factus eſt terræmotus magnus: Angelus ENIM Domini deſcendit de cælo.*

Fortè diuinæ prouidentiæ ratio idem poſtulat. Neque enim ra-
rò ij à Dæmonibus poſsidentur, qui in grauibus verſantur peccatis, 6.
& quaſi oſtium, vt ſe ingrediantur, ipſis aperiunt; ad quorum maiorem pœnam (iuſtiſsimam tamen) permittit Deus, vt carnifices ſuos, priùs conſpiciant, quam eorum tyrannidem ſentiant, & experiantur.

His addiderim, quòd turbatum hominem Spiritus nequam re-
quirere videantur; quem ingrediuntur. Contraria ipſorum, & bo- 7.
norum angelorum ſenſa. Cupiunt illi quieto eſſe animo omnes, ad quos diuertunt: hi turbis gaudent & tumultu. Hinc eſſe dixerim, vt ſub *horrenda* ſe prius forma ſpectandos præbeant: nunc inſolitos quoſdam ſtrepitus excitent: aliquando etiam colaphos infligāt,

Ritualis) meminit, Cap. 1. de Exorciſmis. Docet interdum Dæmones ſe ſub forma externa, quæ terrorẽ incutiat, exhibere, priuſquam homines inuadant: interdum vento & tumultu præſentiam ſuam teſtari: tertiò prius affligere, vel aliqua moleſtia afficere: quartò, aliquando ſomniantibus mirabiles rerum ſpecies ingerere.

Forma, qua terrent, duplex eſt: quædam humana; quædam brutorum animantium. Humana haud rarò defuncti alicuius eſt, aut qui violentam mortem difficilemq́ue ſuſtinuit. Si brutorum eſt animantium; vel eſt nigri canis, vel hirci, vel alicuius beſtiæ ad terrorem incutiendum compoſitæ. 12.

Ventus & tumultus, qui in hac re Dæmonibus ſeruiunt, mox obſeruantur peregrini eſſe, & ex non prorſus naturalibus cauſis orti. Hinc & vix alijs locis, quàm vbi is, quem Dæmon ingredi parat, producti, Cum tumultu & vento ſtrepitus coniunxerim; qui, dum audiuntur, ex veſtibus, quæ vel colliduntur, vel per terram trahuntur, excitari videntur. 13.

Moleſtia, quæ obſidendis affertur, fit per colaphos, per attractiones, per propulſationes, per caſus, & his ſimilia. Hæc à dæmonibus, quamuis ſub ſpectabili ſpecie non appareant, procurari facili negotio poſſunt omnia. 14.

Species rerum, quæ ſomniantibus obuerſantur, variæ ſunt. Ferè tamen fit, vt quos Spiritus ingreſſuri ſunt, ſomnient ſe à Dæmonibus vexari, agitari, moleſtia affici, aut etiam occidi, ſiue iugulari: qui deinde à ſomno excitati, ſomnij veritatem magno ſuo detrimento, & calamitate experiuntur. Hæc ferè Sacerdotale Romanum. 15.

CAPVT XII.

Quorum ordinum ſint Dæmones, qui homines poſſident, & vnde id cognoſci valeat.

NON vocamus in controuerſiam, Sintne inter ipſos Dæmones, *Ordines* quidam, & claſſes; ponimus eſſe. quærimus, *Ex quibus Ordinibus ſint*, qui homines obſident; &, *Vnde hoc poßit deprehendi*. 1.

Primum enim illud ex bonorum Angelorum conditione colligimus. Inter ipſos, *certos Ordines eſſe*, natura docet, Patres conſtanter affirmant, & Sacræ literæ haud obſcuris argumentis inſinuant. Cùm igitur ex bonorum Angelorum numero & claſsibus Spiritus nequam deciderint; etiam inter ipſos aliquis erit ordo: & pro- 2.

Digitized by Google

cul dubio is ipſus, qui antequam ad ſuas miſerias prolapſi ſunt, fuit.

3. Maius pro hac re argumentum, ex Domini verbis colligitur. & primùm quidem Lucæ 11. vbi ipſos teſtatur habere Regnum. *Si Satanas*, inquit, *in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit Regnum eius? Regnum* enim non confuſam quandam, inordinatamque multitudinem ſignificat; ſed principatum excellentiſsimum, in quadam coordinatione, præſidentium, atque ſubiectorum, in vnum finem tendentium, conſiſtentem. Deinde Matthæi, 25. vbi damnatos in extremo iudicio docet relegandos in ignem æternum, *qui paratus ſit Diabolo, & Angelis eius*: *Diabolo* ſcilicet, tanquam Principi & capiti *Angelis*, tanquam eius miniſtris.

4. Idem Iob, atque Euangeliſta Ioannes inſinuant. Iob. 41. quando Leuiathan (nomen hoc Dæmonem ſignificat) docet eſſe *Principem ſuper omnes filios ſuperbiæ*; ipſos etiam, qui ſuperbiſsimi ſunt, Dæmones. Ioannes, quando, Apocalyp. 12. aſſerit *Draconem cum ſuis Angelis*, ducem, ſcilicet, cum ſubiecto grege, *pugnaſſe contra Michaelem eiusq; Angelos*. Quòd idem iudicium fuerit Iudæorum; vel ipſorum calumnia probat, qua Chriſtum in *Principe Dæmonum Beelzebub* aſſerebant eijcere Dæmonia. Neq; enim rectè *Princeps* dicitur, qui in nullos habet principatum: nullos habet ſibi ſubiectos.

5. Tribus verò de cauſis conuenit, vt hic inter Nequam Spiritus ſit Ordo. Prima ſumitur ex ipſorum natura, quam non omnes habent æqualem; ſed alij alijs perfectiorem. At conuenit, vt qui naturæ dignitate præſtant, ijs quorum inferior eſt conditio, dominentur; & eos quaſi in ſuos fines, ob quos creati ſunt, deducant. Altera ex diuina ſapientia petitur, quæ omnia voluit eſſe ordinatiſsima, *Quæ à Deo ſunt*, inquit Apoſtolus, Rom. 13. *ordinata ſunt*. At à Deo eſt poteſtas Dæmoniaca; etiam qua in homines ſæuiunt Spiritus: ordinata igitur & illa erit. Sed & ipſorum malitia atque nequitia (quæ tertia ſit cauſa) poſtulat, vt Ordo inter ipſos ſit & ſeruetur. Omnino enim, quia hoc omnium vnum ſtudium eſt, hominibus nocere; vt id conſequantur, ordinem volent obſeruare: cùm hominibus nocere ita commodè non poſsint, ſi inter ſe mutuis atque inteſtinis bellis diſſentiant. Nec his aduerſatur, quod in *terra miſeriæ & tenebrarum nullus dicatur eſſe ordo*. Iob. 1. *ſempiternus ſit horror*. Ordo inter ipſos eſt nullus, qui ad æternam beatitudinem perducat: eſt nihilominus ordo *poteſtatis*, qui & naturæ inæqualitatem conſequitur; & quem ad bonos exercendos, & malos torquendos Deus Opt. Max. vult ijs ſeruire.

6. At (quod alterum eſt Caput) An qui homines infeſtant & obſidens

den;ex omnibus ſint ordinibus,difficultatem aliquam habet: propterea;quod non quas functiones,ſi in gratia perſtitiſſent, Nequam Spiritus habuiſſent;eaſdem habeant, poſtquam à gratia exciderunt, & infernalibus pœnis deputati ſunt.

Neque enim beati Spiritus ſe omnibus negotijs immiſcent.Sunt quidam,quorum omnis quaſi occupatio cum Deo Opt.Max.eſt: vt illi, qui ſupremi ſunt ordinis. Sunt alij, qui quaſi adminiſtrant res humanas, &, vt Dei mandatis fiat ſatis, procurant:vt qui ſunt medij. Tertio ſunt, qui mandata hæc exequuntur, & ſingula perficiunt:vt qui ſunt ordinis tertii. 7.

Si has leges maligni Spiritus ſeruarent,facilis eſſet, & expedita ad propoſitam quæſtionem reſponſio. Quemadmodum enim ijs,qui ſunt infimi ordinis Spiritibus bonis,ſingularium rerum adminiſtratio,& cura commiſſa eſt;ita poſſet dici Spiritus, qui hominibus moleſti ſunt,ex infimo Ordine eſſe;eſſe,inquam,ex numero Angelorum, aut certé Archangelorum. 8.

Verùm, qui à gratia, propria malitia exciderunt Dæmones, nec omnino iam,quas natura poſtulat leges obſeruant; nec tam attendunt quid facere ipſos,pro naturæ dignitate conueniat,quàm vt ſuæ libidini faciant ſatis. quò fit,vt hinc certò cognoſci nequeat, ex quibuſnam Ordinibus ſint,qui homines obſident. 9.

Interim ex dictis duo videmur nobis non perperam colligere. Alterum eſt,dubium non eſſe, quin, *qui ex infimo ſint Ordine homines ingrediantur,& moleſtent.* Neque enim indignum eſt, vt ad priuata & particularia negotia deſcendant : naturæ eorum conditio hoc poſtulat. Neque alienum ab ipſorum voluntate,vt graues ſint & torqueant. Ad hoc ipſos vrget propemodum ſumme & inueterata nocendi libido. 10.

Alterum eſt, *etiam eos,qui à' cæterum ſunt Ordinum hic operas ſuas locare, & moleſtos hominibus in obſeſſu corporibus eſſe.* Quamuis enim natura ipſorum grauiora & altiora ſtudia poſtulet; ſtudium tamen nocendi tantum eſt,vt etiam ad minima officia ſe lubentes demittant. 11.

Fortè pro hac ſententia,Chriſti oratio eſt. Nam cum Dęmonium quoddam eieciſſet, quod Apoſtoli eijcere nequibant ; mox docuit quoſdam eſſe Spiritus,qui maiorum ſunt virium;& apud quos communis exorcizandi ratio non ſufficit; ad quos exigendos maiores machinas, *orationem & ieiunium,* adhibere oporteat. 12. Marc.9.

Fortè eandem ſententiam probat Chriſti ſilentium. Obijciebant ipſi alicubi Scribę legis,quòd in Dęmoniorum Principe, Beelzebub eijceret Dæmones. Quid ad hoc Dominus?Non negauit Principem 13. Luk.11.

Dæmo-

Dæmoniorum Beelzebub homines obſidere poſſe: id ſuo ſilentio probat: Negauit ſe Principem Dæmoniorum habere, & in eius nomine Dæmonia eijcere.

14. Fortè poteſtas Apoſtolis ſuper *omnia* Dæmonia collata, Lucæ 10. idem confirmat. Cur ſuper *omnia* Dæmonia Apoſtolis poteſtas confertur; ſi non *omnia* mortales interdum ingrediuntur?

15. Maius robur ad hanc ſententiam conſtituendam affert Apoſtolus Paulus, dum ſic loquitur: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem &*
Ephes. 6. *ſanguinem; ſed aduerſus Principes & Poteſtates: aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Nunquid ſi non ſingulis verbis ſuperiorum Ordinum Spiritus notauit; notauit dictionibus *Principum* & *Poteſtatum*? quos contra, dum colluctationem nobis aſſerit, inſinuat profectò ipſos etiam corpora ingredi, & magnas moleſtias afferre Obſeſſis.

Atque hoc agnouiſſe videtur S. Antonius. Cùm enim ad ipſum
16. aliquando adductus fuiſſet Energumenus, intellexit *Principalem* (vt loquitur Palladius) eſſe *Spiritum*, qui miſerum obſideret. quocirca nec per ſe, ſed per S. Paulum Simplicem, cuius poteſtas, quam ſua, maior eſſet, poſſe eijci. Vide Palladium Sect. 15. Hiſtor. Patrum.

Ex *omnibus* igitur *Ordinibus* Dæmones humana corpora ingredi-
17. entur. Nullus in Ordine erit, qui mortales ingredi, ſi ita Deus permittat, recuſet. Verùm, *cuiusnam Ordinis ſint*, qui in hominibus lateant, non ita facilè dictu eſt.

Nam ſi qua regula vtimur, vt cognoſcamus, ſint ne homines ob-
18. ſeſsi, eadem hac in re voluerimus vti; procul à veritate aberrauerimus. Quid ita? quia illud ex *operationibus*, quæ homini minimè conueniunt, deprehendimus; *at operationes* non ita Ordines Dæmonum diſcriminant: Vix in obſeſsis operationes notabis, quas non minimus quiſque Dæmonum, ſi modò velit, & ſuperioris poteſtate non prohibeatur, perficere valeat.

Haud tamen falli multum dixerim, qui ſuperiorum Ordinum
19. Spiritus ex *duobus* deprehendi poſſe exiſtimant: Ex magnitudine *grauitateq́;* malorum, quæ Obſeſsis afferunt; & præterea ex *difficultate*, quam in ipſis, ex hominum corporibus, exigendis experiuntur Exorciſtæ. Maiora illi damna inferre videntur: difficilius ex humanis corporibus eijci.

20. Et alios quidem alijs grauiora mala afferre, paſsim docet præſens Diſputatio, eorum exemplis, qui Obſeſsi leguntur: difficilius verò quoſdam expelli, ſequentia confirmant. Adducitur ad S. Benedictum puella, Dæmonium habens. adhibet ipſe, quas poteſt machinas,

Digitized by Google

chinas, vt eijciat; ſed fruſtra omnia: hoc ſolum conſequitur; intelligit Spiritum non per ſe, ſed per S. Remigium eijci poſſe, ita Hincmarus in Vita Remigij. Sic aliquando eodem tempore, tres adducti ſunt ad Theodorum Archimandritam: quorum duobus ille ſtatim ſubuenit; tertio non, niſi poſt aliquot dies, teſte Georgio presbytero in eius Vita. Idem Theodorus puer adhuc, eodem teſte, quem non potuit, primo die, flagellis eijcere Spiritum; eiecit die tertio.

Quantum laboris in Dæmoniaca quadam curanda ſuſcepit S. Bernardus Mediolani, cùm ſacrificium Miſſæ celebraret? Et pijs orationibus adiutus populi, & loci ſanctitate, inſolentiorem ſemper expertus eſt Satanam. Rem totam latius proſequemur, 46. Capit. Eodem modo difficilem admodum ſe exhibuit, quem ex Artemia, Diocletiani Imper. filia eiecit S. Cyriacus. Siquidem poſt tertiò adhibitum Exorciſmum, primùm diſceſſum parauit. hoc apud Surium Tom. 4. Et quem eiecit Patroclus, eremi cultor, triduanam orationem, eamque ardentem requirebat, teſte Gregorio Turonenſi, cap. 9. in Vita Patrum. Sed maius his robur habet, quod ſacræ literæ docent, fuiſſe Dæmoniacum, in quo eijciendo Apoſtolorum vires ſuccubuerunt, quodque *oratione tantùm, & ieiunio* fugari docuit Dominus. Verùm de hoc argumento, Parte 4. Hoc nunc concluſum ſit, duo ferè eſſe, quæ ſuperiorum Ordinum Spiritus prodant.

Certius vtroque argumentum eſt, ipſorum vi, per Exorciſtas, extorta confeſsio. Quamuis enim vltrò multa afferentibus credi non debeat; quod plerunque mentiantur, & hominibus imponant; quemadmodum tamen vi Exorciſmorum coguntur, vt alia fateantur; ita cogi credendum eſt, vt Ordines ſuos, atque claſſes prodant. Ita ſe inferioris Ordinis eſſe prodidit; quem Triphon ex filia Gordiani Imperatoris eiecit. Coactus enim à viro ſancto dicere, cuius imperio miſeram eſſet ingreſſus; ſe à Patre ſuo Dæmone miſſum eſſe reſpondit. Metaphraſtes in Vita Triphonis. 11.

CAPVT XIII.

Plures quandoque in vno homine Dæmones eſſe, atque, vnde id cognoſci queat.

VNVM aliquem hominem ab vno Dæmone poſsideri, pluribus exemplis, tam ſacris, quàm profanis doceri poteſt: & manifeſtum eſt: quamuis, teſte Toſtato in 8. Matthæi, 1.

q.136. quidam id negent. An verò *in vno eodemque plures eſſe poſſint*; *an ſemper ſint plures*: atque *Vnde id deprahendi poſſit*, hoc Capite inquirendum eſt.

2. Et *plures quandoque in vno homine eſſe* ſacrarum Scripturarum prodit grauiſsima authoritas. Cùm quodam tempore Dominus in Dæmonio eijciendo occuparetur, & quod ipſi nomen eſſet interrogaret; mox reſponſum hoc tulit, *Legionem* dici, quia, vt Euangeliſta adiungit, *multa Dæmonia intrauerant in hominem*. Idem alio loco his verbis inſinuatur. *Cùm immundus*, inquit Dominus, *Spiritus exit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens, dicit; Reuertar in domum meam, vnde exiui: Et cùm venerit, inuenit ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus, nequiores ſe, & ingreßi habitant ibi.* Sic Marci 16. & Lucæ 8. dicitur quod Dominus ex Magdalena ſeptem expulerit Dæmonia. Sed & nihil eſt, quod prohibeat, cur minus plures in eodem homine Spiritus eſſe queant. Non ea Spirituum, quæ corporum, conditio eſt, vt vnus alteri cedat. Vbi vnus ſpiritus; ibi mille eſſe poſſunt, quin imò 6666. quemadmodum exemplo eius, cuius ſupra meminimus, perſpicuum eſt.

Luca. 8.

Luca 11.

3. Sicuti autem nihil prohibet, cur minus plures eundem hominem obſideant: ita nihil propemodum eſt, quod omnino perſuadeat plures ſemper eſſe, qui vnum obſideant: Quod per plures fit, id perſæpe vnius opera poteſt confici. Vnus aliquis ex ipſorum grege, tot & tantas moleſtias homini poteſt afferre; vt pluribus & maioribus ferendis nequaquam miſer par eſſe valeat.

4. Fit nihilominus *plerunque vt in eodem homine ſint plures*. Docent hoc exempla eorum, qui noſtris temporibus Obſeſsi inueniuntur. Vix vnum aliquem deprehendas, qui non plurium Spirituum tyrannidem patiatur.

5. Addo, quòd hac ſocietate Dæmones gaudeant: quodque illam deſiderent. Eſto, inter ſe diſsideant; in vna tamen hominum ſalute oppugnanda mirum eſt, quàm ſit conſentiens ſtudium & concors voluntas: vt prorſus credi poſsit expetere ipſos, qui ſecum, in hominibus cruciandis, conſpirent.

6. Eſt pro hac aſſertione Chriſti oratio. Docet ille, quòd ſi quando Dæmon *exierit ab homine*, ſit ſolitus *perambulare per loca arida, & requiem quærere*: & ſi minimè inueniat, *reuerti in priſtinam domum*; ita tamen, vt *ſeptem ſecum ſe nequiores Spiritus aſſumat*. An aſſumere ſocios Dæmon putandus eſt, qui in homine vexando ſocios non deſiderat? non poteſt ferre?

Luca 10.

non, ſed

Sed nec paterentur in eodem homine ſe Dæmones; niſi volunta- 7.
te,eorum fieret,vt eſſent plures. Cùm enim earundem virium non ſint;ſed quò Ordinibus & claſsibus ſunt ſuperiores, eò etiam viribus potiores;omnino,qui Ordinum eſſent ſuperiorum,viribuſq; pręſtarent, mox eos, qui minus viribus valerent, ſedibus ſuis pellerent: quod quia non faciunt, ſe in ſocios torturæ conſentire ſignificant.

Hinc ſequitur non eſſe contrariorum ſtudiorum Spiritus, qui in 8.
eodem ſunt homine: ſed idem velle, idem conari,idem moliri. Qui cõſortes imperij in hominem admittunt;illi,niſi regnum ſuum diſſolui velint,omnino,vt conſpirent,neceſſe eſt.

Cæterùm,*quando nam ſint in vno homine plures; & quotnam ſint, haud* 9.
ita facilè deprehenditur. Certiorem hic regulam dare non poſſumus; quàm præcedenti Capite aſsignata eſt. Quemadmodum vi Exorciſmorum coguntur,vt prodant,quorum ſint Ordinum; ita cogi poſſunt,vt fateantur,vtrum ſint plures;atque quot ſint.

Non tamen mox eorum orationi fides adhibenda eſt. Nam cùm 10.
difficulter ſedes ſuas deſerant;quas poſſunt,effingunt amphibologias,vt Exorciſtis imponant,& ſocios non prodant.

Quocirca ſi omnino eorum numerus conſtare debet,non ſolum 11.
compellendi ſunt, vt dicant, quot ſint; ſed etiam interrogandi, num plures ſint. Poſſunt ſiquidem verè affirmare decem eſſe,qui in homine ſunt; quamuis viginti & plures ſint, qui hominem obſideant.

CAPVT XIV.

An plures Spiritus plus torqueant, & ſinguli eadem vel diuerſa tormenta afferant.

Qvid pluralitas Dæmonum in Obſeſsis faciat; atque *Vtrum communia omnes habeant officia*; *eorundem ſint ſtudiorum*, inquiri- 1.
mus. Ibi explicandum eſt, Maiuſne malum plures afferant, quàm pauciores: hic, An ſicuti diuerſi ſunt, qui in hominibus degunt, Dæmones, ita diuerſa ſubeant & ſuſtineant munia.

Multitudine obſidentium Dæmonum augeri malum obſeſſorum 2.
hominum dubium nullum eſt. Si enim ab vno obſideri malum eſt; quomodo non maius malum obſideri à pluribus?

Nec malum hoc moleſtia caret. Eſt coniunctum cum maiori cru- 3.
ciatu eius,qui obſidetur. Nec mirum. Cùm enim obſidendo moleſti

commodiùs faciliuſque illa expediantur, ſuę ſingulis quaſi prouinciæ deſignentur? quidni igitur etiã has leges ſeruabunt Dæmones?

Cæterùm quæ diximus, apud eos maximè, qui vnius Ordinis ſunt, locum habent; Si inter plures vnius claſsis, aliquis ſit, qui ſuperioris ſit Ordinis, (quemadmodum ſemper eſſe admodum probabile eſt) hunc ad has leges non aſtrinxerimus. Ille, vt Superior in domo, non per ſe quidquam adminiſtrabit; ſed omnibus intendet, atque, vt ſinguli ſuis officijs benè fungantur, aduigilabit.

CAPVT XV.

De finibus, ob quos ipſi Dæmones ingrediuntur, & obſident homines.

CAuſæ obſeſsionis hominum, vel ex parte Dei peti poſſunt; vel ex parte *hominum* qui obſidentur; vel ex parte *Dæmonum*, qui obſident. Nam & Deus eſt qui iuſtas ob cauſas Spiritibus poteſtatem facit, vt mortales ingrediantur: & homines, ſi non ſemper, ſæpe miſeriarum ſuarum ſunt authores: & Dæmonibus in hac carnificina aliquid propoſitum eſſe licet colligere, tum ex eo, quod libenter homines ingrediuntur; tum quoque inde, quòd has ſuas ſedes difficulter deſerant. 1.

Hoc Capite, non quid *Deo* propoſitum eſt, inquirimus: neque etiam quæ ex parte *hominum* cauſæ dari poſsint, ſed *quidnam Dæmones potiſsimum moueat*, vt hîc operas ſuas commodent. Priora illa alijs locis excutientur; hoc ad præſentem Diſputationem pertinet. 2.

Sunt, qui arbitrantur Dæmones hac hominum miſeria idcirco delectari; quòd propriarum miſeriarum, & cruciatuũ ſit leuamen: quaſi, cùm in hominibus ſunt, illoſque affligunt, ab infernalibus pœnis reſpirent: eaſdem verò in inferno ſuſtineant, extra homines conſtituti. 3.

Hi in duobus errant. Primò quòd non alium locum Spiritibus, vbi pœnas luant, attribuant, quàm infernum. Sit ita quòd infernus meritis eorum debeatur: Sit quoque certum, plurimos in inferno degere: ſed tamen non omnes inferorum carceribus concluduntur. Multi ſunt, qui nec concluduntur inferno; nec in humanis degunt corporibus: qui in aere verſantur, & ad homines exercendos, magna Dei prouidentia, relicti ſunt. 4.

Secundò in eo errant; quòd hanc vexationem, & hominum cruciatus, cenſeant pœnarum Dæmonum eſſe leuamen. Quocunque loco ſint Dæmones; ſuum ſecum infernum circumferunt: Quoſ- 5.

 cun-

cunque alijs afferant cruciatus; ſuis non liberantur: Quantumcunque alijs noceant; nullum hinc ad miſeros lucrum.

6. Cruciantur; dum in inferno ſunt: Cruciantur, dum in hominibus ſunt: in quacunq; etiam, vel inferni, vel hominũ parte latitent. Adde quod in hominibus conſtituti, à grauiſsimis cruciatibus *ignis infernalis* non ſint abſoluti. Vt ſuum ſecum ſemper infernum; ita ſemper ſecum infernalis ignis circumferunt grauiſsimos cruciatus.

7. Interim licet pœnarum & tormentorum, quæ pro meritis patiuntur, leuamen nullum habeant Dæmones, dum in obſeſsis ſunt corporibus; voluptatem tamen quandam hauriunt inde, quod hominibus incommodant, ipſis obſint, ipſos vexent. *Et hanc præcipuam cauſam dixerim*, cur mortales ingrediuntur, & ſemel obſeſſos cum tanta difficultate deſerant.

8. Voluptas verò hæc & nocendi voluntas, ex *odio*, quo erga humanum genus flagrant, principium ſumit. Neque enim hoc leue eſt. Docet id Apoſtoli oratio aſſerentis, in modum *rugientium Leonum truces circuire, & quærere, quos deuorent*, id eſt, quibus extremam calamitatem afferant.

9. Quemadmodum igitur fieri videmus, vt qui odia fouent; ſi ijs, quos odio proſequuntur, incommodent; voluptatem quandam capiant, & quaſi miſeriarum aliquod leuamen ſentiant: ita voluptatem Nequam Spiritus percipiunt; dum nobis, capitalibus ſuis hoſtibus, nocent, & moleſti ſunt.

10. Odium hoc erga genus humanum ex *triplici cauſa* proficiſcitur. Prima eſt, *auerſa* ipſorum à Deo, ſummo bono, *voluntas*. Cùm enim Deum ferre nequeant Nequam, nil mirum, ſi eos odio proſequantur, qui cum Deo ſe coniungunt; quos Deus diligit, & qui vicißim Deum diligunt.

11. Altera eſt, *humanæ felicitatis inuidentia*. Inuident, miſeri, hominum generi; quòd angelica relicta humanam naturam in vnitatem hypoſtaſis diuinæ aſſumſerit Dei filius: atque illam ipſam naturam ad cœlum euehere, & ſuper omnes Angelorum choros voluerit collocare.

12. *Inuidentia* etiam *ſalutis ſingulorum* huius odij magna cauſa eſt. Qui felicitatem humanæ naturæ, diuina gratia, collatam, mortalibus inuident; illi ægerrimè ferunt homines ijs in ſedibus collocari, quibus ipſi, iuſtißimo Dei iudicio, peccatis ſuis poſtulantibus; eiecti ſunt.

13. Hæ cauſæ odij Dæmonum in humanum genus. Hinc tot omnibus locis hominibus, ab ipſis, poſiti laquei: tot ſtructæ inſidiæ. Hinc prima

Digitized by Google

prima & præcipua ipſorum cura: vt à Deo mortales auertant, & ad ſua caſtra pertrahant. quod quidem ſi conſequantur, præclaros ſe putant agere triumphos: ſi aſſequi deſperant, pro lucro habent, ſi vel corporibus, vel fortunis incommodent.

Porrò præter dictam ſuperius cauſam, etiam aliæ ſunt, quæ Spiri tus Dæmoniorum ad homines ingrediendos, & torquendos inuitant. Inter has Toſtatus in Caput 8. Matthæi, q. 121. ponit propriam, cuius ſunt appetentiſsimi, excellentiam, *Superbia eorum aſcēdit ſemper.* 14.
Quia verò ad ſuam dignitatem pertinere putant, ſi homines obſideant & in eos quoddam quaſi imperium exerceant, vt id poſsint, vehementer expetunt. 15.

Cum hac, tertia habet affinitatem: vt, præter dignitatem, quam in hoc conſiſtere exiſtimant, etiam diuinus ipſis honos deferatur. Neque hîc ſpes fefellit illos. Voti facti ſunt compotes: ſi non apud Chriſtianos, certè apud Ethnicos: qui quemadmodum alios diuinis honoribus ſunt proſecuti, à quibus beneficia ſperabant; ita eoſdem alijs impenderunt; vt ab ipſorum vexatione & moleſtia eſſent liberi. Et hanc rationem habet Toſtatus Abulenſis, eodem loco.

Ex dictis ſoluitur quæſtio, qua, *Sintne feliciores illi, qui in humanis corporibus ſunt Dæmones, ijs, qui detinentur in inferno,* quæritur. Feliciores non ſunt, ſi quas pro peccatis pœnas luant, attendas. Quia tamen duo habent, vnde voluptatem quandam capiunt; fortè hac ratione feliciores dici poſſent. Horum alterum eſt, quòd carceribus inferni, quos oderunt, non concludantur: alterum, quòd voluptatem quandam ex hominum vexatione & moleſtia capiant; quorum vtroque carent alij. 16.

CAPVT XVI.

An & qui homines poſsint Dæmones hominibus immittere

DEI imperio & voluntate Dæmones in homines immitti poſſe; & quandoque immitti, certum eſt. Quemadmodum omnis Creatura, ita Dæmones ſunt Deo ſubiecti, eiuſque imperio parent, in quacunque etiam re ipſe illorum opera voluerit vti. *Columnæ cœli*, inquit Iob, *contremiſcunt; & parent ad nutum eius: Spiritus eius ornauit cœlos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* 1.

Certum etiam eſt inferiorum Ordinum Dæmones, pro *ſuperiorum voluntate*, ſi ita Deus permittit, immitti. Hoc multorum conſeſsione 2.

feſsione edocti ſumus. Nec ratio ſuadet contrarium. Quid quòd neceſſe ſit, vt aliorum imperia Spiritus libenter excipiant, & mandatis pareant; ſi regnum ſuum tueri, propagare, & conſeruare volunt?

3. De *hominibus* quæſtio eſt, Vtrum illi quoque Dæmonibus valeant imperare, & poteſtatem facere, vt alios ingrediantur, & affligant. Et quoniam hominum non vna omnium conditio eſt, quæſtio eſt de ijs primùm, qui ſanctitatis, & pietatis ſunt cultores, & plurimùm apud Deum poſſunt; tum de his, qui ſe Dæmonibus deuouerunt, & ipſis operam in detrimentis hominibus afferendis, locârunt; quos Sagas, ſiue Maleficos dicimus.

4. Neutris poteſtatem hanc eſſe quidam inde colligunt: quòd par in parem, multo minus in ſuperiorem inferior, imperium non habeat. quapropter cùm ſpiritualis creatura, quacunque corporea ſit ſuperior, nihil cum authoritate Dæmonibus, qui Spiritus ſunt, præcipere poſſe volunt homines corporeos.

5. Et quamuis (addunt) diuina auctoritate priores illi in Dæmones ius habent; finitum tamen illud eſt. Habent, inquiunt, poteſtatem exigendi ab hominibus Dæmones; non ad eoſdem in corpora immittendi. Poſteriores verò quemadmodum diuinitus poteſtatem non habent eijciendi, ita nec imperare valent, vt humana corpora ingrediantur. Sic illi.

6. Veruntamen, vt de prioribus primùm dicatur, *omnino illorum quidem ius illud habere videntur.* Quamuis enim, ſi ſpirituum naturas attendas, præſtantiores ipſi hominibus ſint; conditio tamen ſtatus eorum, ad quam, peccatis ipſorum ita exigentibus, deuenerunt, multò eſt multorum hominum inferior: Et licet *credentibus* in ſe Dominus dederit *poteſtatem eijciendi Dæmonia*, Apoſtolis tamen alicubi abſolutum plenumque, in Dæmonia, ius videtur contuliſſe. *Conuocatis*, inquit, S. Lucas cap. 9. *duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia*: & Lucæ 10. dicitur: *Dedi vobis poteſtatem ſuper omnem virtutem Inimici.*

7. Ad hanc rem confirmandam maius robur afferunt exempla ex Sacris literis deprompta. Tradidit Apoſtolus Paulus Corinthium quendam *Satanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret*. Eidem Satanæ, alio loco, tradidit Himenæum & Alexandrum, ob blaſphemias. Et S. Parthemius rogatus à Dæmone, quem iam erat profligaturus, quonam expulſus diuerteret: *Hominem humilem*, reſpondebat, *ingredere. En*, addebat, *ingredere me.* ita Metaphraſtes 7. Februarij.

Ad

Adhæc accedit, quòd ipſi Dæmones, penes homines poteſtatem hanc eſſe, agnoſcere videntur. Quomodo? quia ſi quando ex hominibus diuina virtute eijciuntur, petunt; vt eorum, à quibus pelluntur, voluntate & facultate, alios ingredi liceat; quemadmodum & ille petijt, quem ex *Artemia* Diocletiani Imp. filia eiecit S. Ciriacus. *Apud* Surium Tomo 4. Et qui à Chriſto eiecti rogauerunt, vt in *porcos* mitterentur; non crediderunt ſe à Chriſto in homines mitti potuiſſe?

Veruntamen quamuis poteſtas hæc ſit in Chriſti Eccleſia: apud pauciſsimos tamen eſt. Sed & rariſsimè illa vtendum. Vnde & pauciſsima eorũ, qui poteſtate hac vſi ſunt, reperiuntur exempla. Olim, quando aliæ rationes deerant rebelles coercendi, & in officio continendi, admitti facilius potuit: nunc, quando commodiores rationes ſuppetunt, vtilius intermittitur. 9.

Atq; ita de prioribus ſit definitum. *De poſterioribus* idem dixerim. Refert B. Hieronymus in Vita Hilarionis, arte Vatum Eſculapij, Dæmonem in Virginem, quam iuuenis quidã perditè amabat, fuiſſe immiſſum; & miris modis illam dementaſſe. Refert *Anaſtaſius* Nicænus, quæſtione *23.* Simonem Magum eos, qui ipſum præſtigiatorem dicerent, Dæmonibus ſubieciſſe; poſtquam eos eſſet allocutus, bouem ſacrificaſſet, & conuiuio excepiſſet. Et qui arte Dæmonis ſpiritus exigebat, *Apollonius* Tianæus, Spiritus immittere non potuiſſet? Vide Baronium Tom. 1. Anno Chriſti 88. 10.

Addo dictis Dæmonum, qui in hominibus ſunt, & Maleficorum publ. confeſsionem. Confitentur illi, ſi quando Exorciſmis eijciuntur, ſe à Sagis & Maleficis immiſſos eſſe: Teſtantur hi, dum quæſtionibus ſubijciuntur, ſe Dæmones aliquando immiſiſſe. Fides vtrorumque, etſi forſitan in alijs rebus, hîc ſuſpecta eſſe non debet; cùm legitima de vtriſque fiat inquiſitio. Exemplum pro hac re recenſet Theodorus in hiſtoria Sanctorum *Patrum* quod ipſius verbis aſſcribimus: Cùm quædam puella, *inquit*, thalamo adhuc contineretur, & repente cœpiſſet vexari à malo Dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem (Macedonius is erat) orans, & vociferans, & poſtulans, vt curaretur filia. Is autem, precatus, iuſsit vt Dæmon ſtatim abiret à puella. *Hic* Dæmon dicebat ſe eam non ſua ſponte fuiſſe ingreſſam, ſed magnis coactum præſtigijs; prodebat quoque nomen eius qui coegerat; & amorem eſſe cauſam incantationis. Hæc cùm audiſſet Pater; non tulit iræ impetum; nec exſpectauit, vt curaretur puella: mox omnium Magiſtratuum ſummum adit: accuſat hominem. Rem negabat, & accuſationem nominabat calumniam. Ille autem 11.

tem non alium citabat teſtem, quàm ipſum Dæmonem, qui miniſter fuerat incantationis: orabatque iudicem, curreret ad virum diuinum (Macedonium) atque eius acciperet teſtimonium. Cùm verò is diceret non eſſe fas, nec iuſtū, vt in loco monaſticæ exercitationis haberetur quæſtio: dixit pater puellæ, ſe in iudicium ducturum Macedonium. & currens perſuaſit; & duxit: Magnus igitur Macedonius fungebatur officio Iudicis, vtens ea, quæ intus habitabat, poteſtate: Iuſsit igitur Dæmoni, vt conſuetum mitteret mendacium, & tota rei veritate narraret tragœdiam. Ille à maxima adactus neceſsitate, & virum oſtendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat; & ancillam, per quam illa potio puellæ data fuerat. Hactenus Theodoretus Sect. 13. in Macedonio.

12 Nec mirum, ſi aut ipſi *Malefici*, dum hominibus incommodare ſtudent, Dęmonum operas poſtulent: aut operas ſuas ipſis locent Dęmones. Nunquid, non grauiora illi à Dæmonibus efflagitant? Nunquid non etiam grauiora, quam hîc afferuntur, ipſis promotoribus, damna Dæmones procurant?

13. Porrò non eadem hi poſteriores cum prioribus poteſtate in Dæmones vtuntur. Quid quod poſteriorum nulla ſit in Dæmones poteſtas; priorum autem ſit ſumma? *Illis* non poſſunt obſequium ſuum negare Spiritus, quamuis fortè hac in re ſint prompti, & faciles: his, quamuis non negent, negare tamen ſi vellent, poſſent. Ibi mandata, quę cū poteſtate dantur, vt ſerui exequuntur: hîc propter pacta, quę cum miſeris habent, ſeruitutem ſimulant.

14. *Atque* ita de *hominum* in Dæmones imperio conſtitutum ſit: Vnum addimus, antequam hoc Caput concludamus: alia, videlicet, ratione aliquando fieri, vt homo homini huius diabolicę tyrannidis ſit cauſa. Qua verò? *mala Superiorum imprecatione.* Neque enim nouum eſt, vt à Dæmonibus mox occupati ſunt, quibus alij Dæmones eſſent imprecati. Poſſemus argumenti huius recentia exempla producere; ſed contenti erimus vno atque altero Cæſarij. Refert ille Lib. 5. cap. 26 iratum patrem filiæ quinquenni, cùm lac comederet, imprecatum eſſe; vt vna cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum ille effatus, à Diabolo occupatur puella, miſeramque ſeruitutem, vſque ad maturam ætatem perpetitur.

Similia duo idem Cæſarius habet c. 11. & 12. eiuſdem libri, Alterum de vxore, cui maritus: alterum de filio, cui pater Dæmonium imprecatus fuerat. Et in vita *S.* Parthenij legitur, apud Metaphraſtem 7. Februarij quòd difficilem ſe oſtenderit in illo Spiritu ejciendo: qui immorigerum & rebellem filium, ad iuſtam parentum

ind

indignationem ingreſſus fuerat. Vide egregium pro hac re exemplum in Vita *S.*Zenobij apud Surium. Tom. 3. 25. Maij. & B. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

15. Atque, vt mala aliorum imprecatione Dæmonibus quandoque ingreſſus in hominem patet: ita poſſunt quidam à Deo rectè poſtulare; vt, in peccatorũ iuſtam vindictam; Dæmonum torturæ quoſdam ſubijciat: qui hac ratione carnificinæ huius diabolicæ quædam cauſa dicentur. Qui benedicebat, Pſalm. 108. *Diabolus ſtet à dextris eius:* nonne ſimiliter bene dixiſſet: Diabolus ipſum ingrediatur: Eſt & hac ratione vſus S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, quemadmodum in ipſius Vita, cap. 20. lib. 2. refert Audoenus, Rhotomagenſis Præſul. Nam cum impios quoſdam, & ſuperſtitioſos ritus, quos in Natali S. Petri, ſui celebrabant, abrogatos vellet; & imperata facere illi recuſarent, imò inſolentiores redderentur; à Deo, vt in eoſdem animaduerteret, petijt. Quid verò? Mox amplius 30. obſeſsi ſunt à Spiritibus immundis. Rogantibus tum, pro ſocijs, alijs, *Experiantur,* reſpondit, *prius, cui ſeruire elegerint* perdurauitq; vexatio per annum integrum: & recurrente eodem D. Petri Natali, priſtinæ incolumitati ſunt reſtituti.

CAPVT XVII.

De varijs operationibus Dæmonum, in obſeſsis corporibus; & quæ ex ijs, hominibus poſsint tribui, quæ non.

1. OPerationes, quas Dæmones, in obſeſsis corporibus, exercent, ſunt *duplices:* quaſdam exercẽt in obſeſsis corporibus, ſed non per obſeſſa corpora: quaſdam & in obſeſsis, & per obſeſſa corpora. Prioris generis ſunt, quæ ipſis ſunt propriæ, vt intellectus atque voluntatis actiones; quæ ſub nullum ſenſum cadunt. Poſterioris, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, & cum corporibus aliquid commune habent.

2. Hæ rurſus ſunt *duplicis* generis. Quibuſdã cruciantur & torquentur Obſeſsi: Aliæ ſunt, quibus nullum tormentum Obſeſsis afferri videtur. In illo genere ſunt, quarum Capite ſeptimo meminimus: in hoc partim ſermones, quos in obſeſsis corporibus habent Dæmones; partim labores, quos Obſeſsi ſubire, & perferre videntur: vt ſunt vinculorum diſruptio, onerum, quibus humanæ vires non ſufficiunt, tranſlatio, &c.

3. Qualeſcunque verò operationes habeant, & exerceant Dæmones; quamuis in humanis corporibus fiant, ob humanis tamen plurimùm differre dubium non eſt. *Primæ* illæ, voluntatis & intellectus hoc differunt; quòd neceſſe non ſit volentibus intelligere ad phantamata, quæ in hominis imaginatione ſunt, attendere. Huius in promptu cauſa eſt, quia non quemadmodum in corpore anima eſt, ipſi corpora inhabitant Spiritus.

4. Sic nec quicquam corpora ipſos in his operationibus impediunt: nec vt vel plura, vel facilius intelligant, iuuant, quas res poſſunt, & quot res poſſunt, dum ab humanis corporibus expediti ſunt, percipere: eaſdem, & quidem omnes, poſſunt in corporibus latitantes.

5. Ratio *ſecundarum* operationum ſuperius explicata eſt. hîc repeti non debet. Id ſolum addiderim, nullo modo humanas eas dici debere: propterea quòd ad eas homines concurrere non videantur; ſed ad patientium tantum modum ſe habere. Huius generis fuit totius corporis in modum vtri inflatio; & maxima aquæ per omnes meatus cum ingenti vocis intenſione effuſio; quam in puero, à quo Dæmonium expulit S. Macarius, præſentes ſunt admirati: de quo Palladius in Vita Macarij: Diſtortio item & volutatio Eutychij cuiuſdam, quem Theodorus Archimandrita ab obſidente Spiritu liberauit: cuius in eiuſdem Vita fit mentio, apud Georgium presbyterum, eiuſdem diſcipulum.

6. De *tertijs* dubium non eſt, quin illæ, ad quas ſubeundas humanæ vires impares ſunt, Dæmonibus aſcribendæ ſint. Ad has etiam ſaltum refero, velocemque curſum mulieris, à S. Bernardo Mediolani curatæ: de qua in Vita Bernardi lib. 2. cap. 4. quòd ſaltu ſcamnum, in quo S. Bernardus ſedebat, tranſilierit: &, tantæ agilitatis cauſam interrogata, reſponderit, ſe pernicitate etiam poſſe ſuperare velociſsimos equos.

7. At de ſermone, atque oratione, quam Obſeſsi habent, quæſtio eſt: Dæmonúmne an hominum ſint. Hoc noſtrum iudicium eſt, quòd quamuis multa per ſe Obſeſsi loquantur, ad quæ Spiritus nihil conferunt; ſæpiſsimè tamen fit, vt totus ſermo ſit Dæmonum. tum maximè, quando terribiles rugitus atq; inconditos clamores exercitant: quando, quæ ab hominibus cognoſci nequeunt, futura prædicunt: quando reuelant, quæ Obſeſſorum cognitionem fugiunt: quando linguis loquuntur peregrinis: quando de rebus altiſsimis ſermonem habent, & à vexatione Spirituum liberi, quæ dixerunt, ignorant: quando in poteſtate Obſeſſorum non videtur eſſe, vt taceant.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ex *quinque* potiſsimum ſignis Toſtatus Abulenſis, in 8. Matthæi, qu. *114* putat poſſe deprehendi, Vtrum Dæmonum ſit oratio, quæ ex Obſeſſorum ore proficiſcitur. Primum, *inquit*, eſt, ſi loquantur, quæ aliàs neſcierunt: vt ſi omnino ruſticus lingua loquatur Hebraica. 2. ſi voce conſueta loquantur, ſed de rebus altiſsimis, quas ſcire non poſſunt. 3. ſi poſtquam ceſſant abripi, & ſibi reſtituuntur, neſciant reſpondere de his, de quibus ſermonem habuerunt. 4. ſi de rebus ſecretis, quas nulli mortalium valent cognoſcere, loquantur. 5. ſi in ipſorum poteſtate non eſt, vt taceant, vel loquantur. Hæc Toſtatus. 8.

Quocirca non obſeſſorum hominum; ſed obſidentium Dæmonum opera erant rugitus, vlulatus, mugitus; quos obſeſſa mulier ad corpus S. Liborij Cenomanenſis Epiſcopi edebat. de quibus Tom. 4. Surius fol. 338. Ingens item clamor, quem cum maxima aquæ effuſione edidit puer, à S. Macario curatus. de quo Theſi 5. Oratio etiam, quà à filia Gordiani Imper. dicebatur, à ſolo Triphone ſpectandam incolumitatem: quemadmodum in Vita Triphonis 1. Febr. refert Metaphraſtes: & illa quoq;, qua per Obſeſſum ſignificabatur aduentus S. Germani, cum ſocio Lupo, in Britanniá: de qua Conſtantinus presbyter, in Vita S. Germani, cap. 22. Conuitia prætereа, quæ Obſeſsi coniecerunt, partim in S. Columbanum, de quibus Ionas Abbas, cap. 27. Vitæ eiuſdem: partim in S. Bernardum, de quibus, Lib. 2. cap. 4. in Vita Bernardi. Denique vociferationes importuniores, quibus quædam interturbârunt S. Dominici Concionem, quarum in eius Vita, lib. 2. cap. 9. fit mentio. 9.

Sed quamuis Dæmonum omnia hæc ſint voces; multo tamen hic plura habent præſidia, quàm aliàs; dum loquuntur, aut in brutis animantibus, aut in effictis, ipſorum opera, corporibus. In his poſtremis, cùm nec animata ſint, nec viuentia; nulla apta ſunt organa, ad locutionem vocemque formandam. In brutis animantibus organa quidem ſunt locutionis, veruntamen non ita perfecta, vt in hominibus. In hominibus completa ſunt perfectaque. 10.

Hinc non malè doctiſsimus Toſtatus, in 8. Matth. qu. *114*. triplices Dæmonum locutiones in corporibus diſtinguit. Dæmones, *inquit*, poſſunt loqui per corpora tripliciter. Primò in ijs rebus, quæ nec per ſe poſſunt loqui; nec habent organa ad loquendum. Secundò in ijs, quæ per ſe non poſſunt loqui; habent tamẽ omnia, vel plurima locutionis organa. Tertiò per res, quæ organa habent, & per ſe quoque poſſunt loqui. Hæc Toſtatus. 11.

Quandocunque verò hæc fiunt, non verè voces ſunt, quæ audiuntur; 12.

untur; quemadmodum nec veræ voces ſunt, quas in aſſumptis corporibus formant Spiritus. licet ibi viua ſint hominis organa, quibus vtuntur: hic non viua; ſed vel ex aere condenſata, vel aliunde aſſumpta.

13. Sed nec tum norunt Obſeſsi. (quemadmodum diximus) quæ dicuntur. Vt ſoni, qui formantur, Dæmonum ſunt opera, ita, quæ per ſonos repræſentantur, non cogitationes aut conceptus ſunt obſeſſorum hominum, ſed obſidentium Dæmonum.

14. Hinc fit, vt nec vllum ſit hoc Obſeſſorum peccatum; ſi aut peierent, aut blaſphement, aut ſecreta, contra iuſtitiam Chriſtianamque charitatem reuelent. Quemadmodum in gladio, quo latro ad trucidandos homines vtitur, peccatum nullum eſt; ita nullum hic in Obſeſsis peccatum. Dæmones hic delinquunt; vt ibi latro.

15. Sed quid ſi ſuo peccato ad hanc miſeriam veniſſent mortales; numquid, quæ per ipſos committuntur peccata, ipſis imputabuntur: quemadmodum ebrijs homicidia? fornicationes? blaſphemiæ? &c. Reſpondeo non imputanda: nec horum nomine ſupplicium de ipſis à Deo ſumptum iri. *Alia ratio ebrietatis, quam ſequuntur homicidia, & fornicationes: alia carnificinæ Dæmonum, propria culpa contractæ. Ebrietas peccatum eſt: carnificina hæc non peccatum, ſed peccati pœna. Omnis culpa quæ ſecum alia peccata trahit, illos omnium ſequentium peccatorum reos conſtituit, qui culpæ ſunt authores, at pœna, ſi qua talis eſt, vt ad peccata inducat, reatum horum, ad eum, cui pœna inflicta eſt, non trahit. Ita Toſtatus* qu. 179. in 8. Matth. Nec malè. Quid enim; Si furtum alicui cauſa incarcerationis ſit, idcirco idem dicemus cauſam eſſe omiſsionis omnium officiorum, ad quæ legibus Chriſtianæ Iuſtitiæ tenetur? Sed nec per ſe peccata, quæ obſeſsi homines committunt, coniuncta ſunt cum Dæmonum carnificina: aut mox illam ſequuntur, atqui in hominem, ob delictum aliquod Dæmon poteſtatem accepit. quocirca quemadmodum peccata, quæ ebrietatem ſequuntur, quæ tamen nullo modo poſſunt præuideri futura, ebrijs non imputantur: ita neque illa, quæ per obſeſſos homines committuntur. Et hæc bene Toſtatus.

Finis primæ partis Diſputationis de Dæmoniacis.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDA PARS DISPVTATIONIS DE DÆMONIACIS, IN QVA

QVI SINT OBSESSI; EX QVIBVS SIGNIS OBSESSI deprehendantur; quæ ipſorum conditio, & quas ob cauſas Dæmonum tyrannidem patiantur, &c. explicantur.

CAPVT XVIII.

An Catechumeni, & qui Baptiſmatis Sacramento nondum ſunt initiati, à Dæmonibus obſideantur.

QVEMADMODVM de obſidentibus Dæmonibus multa fuerunt, quæ difficultatem habuerunt magnam: ita haud pauca ſunt, quæ de Obſeſsis hominibus diſputantur, & in controuerſiam vocantur. De his altera præſentis Diſputationis pars erit. 1.

Ad quatuor autem ſumma Capita reuocari poſſe omnia videntur. Quorum primò, de certis quibuſdam hominibus diſſeritur, & quæritur, ſintne verè Obſeſsi. ſecundo, inquiruntur ſigna, quæ Obſeſſos produnt. tertio explicatur miſeria & infelix Obſeſſorum conditio. quarto cauſæ inueſtigantur, ob quas tyrannidem hanc in mortales exerceant Spiritus. 2.

Primò Capite de quatuor hominum generibus præcipuè diſputatio eſt. Principio ſunt *Infantes*, atque omnes, qui Baptiſmatis ſacramento nondum ſunt initiati. Deinde *Sagæ* atque *Malefici*, qui hominum generi, Dæmonũ opera, maxima detrimenta afferre ſolent. Tertio *Diuinatores*, qui futura prędicũt, atq; occulta reuelãt. Quartò *Hæretici*, & à Chriſtiana religione, ſiue fide *Apoſtatæ*. De ſingulis inquirimus.

Contra *primos* grauiſsimum argumentum præbent Exorciſmi, quibus Catholica Eccleſia, antequam eos Baptiſmi ſacramento 4
initiat, vtitur. Primùm enim Sacerdos, eos afflando, ſic loquitur:

Exi

Digitized by Google

Exi ab ijs immunde Spiritus, Satana, & da locum Spiritui ſancto paraclito. Mox deinde oratio ad Deum inſtituitur, qua rogatur, vt *diſrumpat omnes Satanæ laqueos, quibus miſeri alligati ſunt.* Adiunguntur & hæ Orationes: *Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim imperat tibi, maledicte, damnate, atque damnande; qui pedibus ſuis ſuper mare ambulauit, & Petro mergēti dextram porrexit. *Item:* Ergo maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam; & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto, filio eius, & Spiritui ſancto; & recede ab hoc famulo Dei, &c. Vide Agendam Salsburg.

5. In hac cauſa, vt illud primùm dicatur, certum eſt Dæmones in *infantes* hos, atque adeo omnes, non baptizatos, ius & poteſtatem aliquam habere. Diſertiſsimis id verbis docet ſacra Tridentina Synodus, Seſſ. 5. dum aſſerit omnes homines, cùm in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, factos eſſe immundos; natura filios iræ, ſeruos peccati, atque adeo veniſſe in poteſtatem Diaboli, & mortis.

6. Sententiam Concilij confirmant ſacræ literæ. Docet Saluator *Ioan. 14.* *Principem huius mundi veniſſe, & in ſe non habere quicquam.* Dum Se excipit; in reliquos aliquid habuiſſe inſinuat. Idem docet non ſemel homines per ipſum *à poteſtate Dæmonum liberandos.* An à poteſtate Dæmonum liberari potuerunt, qui ſub Dæmonum poteſtate non fuerunt?

7. Cum Saluatore conſentit Gentium Doctor Paulus. Sic enim lo- *Coloſ. 1.* quitur: *Chriſtus eripuit nos de poteſtate tenebrarum; & tranſtulit in regnum dilectionis Filij ſui.* Docet idem Chriſtum *tuliſſe de medio Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis: & affixiſſe illud cruci, ſicq; expoliaſſe Principatus & Poteſtates.*

8. Non deſunt etiam ad hanc rem confirmandam Prophetarum Oracula, qui Chriſtum, vt liberatorem & redemptorem nobis commendant. Proferimus ex multis vnum. *Confitemini*, inquit Regius *Pſal. 106.* Propheta, *Domino, quoniam bonus; quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant qui redempti ſunt à Domino; quos redemit de manu inimici: de regionibus congregauit eos.*

9. Pluribus opus non eſt, Doctorum omnium, poſt Apoſtolos (vt Eccleſiæ hoſtis Petrus Abailardus, apud Bernardum, Epiſt. ad Innocent. teſtatur) hæc ſententia eſt; *Diabolum Dominum, & poteſtatem ſuper homines habere, & iure eos poſsidere; propterea, quòd ex libertate arbitrij, quam habebant, ſponte Diabolo conſenſerint.*

10. Duo autem potiſsimum hac poteſtate in miſeros mortales poſſunt Diaboli. Primò, poſſunt omnes, ſi quidem ex hoc ſæculo, non per

per Chriſtum redempti, diſcedant, in infernum detrudere. Deinde poſſunt viuentibus plurimùm incommodare: frequentius ipſos decipere: ad idololatriam, ſuperſtitionem, aliaque grauia & enormia crimina potentiùs inflectere. Ob hanc cauſam non immeritò à Domino, *Principes mundi*, ab Apoſtolo *Rectores mundi*; ab Hilario *Mundi potentes* dicti ſunt. Vide Andream Vegam, lib. 2. cap. 3. & 4. de Iuſtificatione.

Veruntamen, quamuis hanc in *Infantes*, & omnes, nondum regeneratos, poteſtatem Dæmones habeant: non tamen illos *obſidere*, aut *poſſidere* dicendi ſunt. Neque enim idcirco nobis homines *obſidere* Dæmones dicuntur, quia in ipſos poteſtatem aliquam habent, ſed quia in ipſis corporibus latitant: &, vt in ijs hominibus moleſti ſint, facultatem à Deo acceperunt. 11.

Sed nec quiſquam adeò deſipit, vt vel *Infantes*, vel nondum baptizatos in obſeſſorum numero habeat. Quantus, Deus bone, Obſeſſorum foret numerus? quot opus ad omnes conſtringendos catenis? quot vinculis? præſertim ſi poteſtate ſua vti Dæmones vellent? 12.

Adde quod omnes omnino peccatores à Dæmonibus obſideri, liceret dicere. Quid ita? quia in hos, non minor (ne maiorem dicam) ipſorum, quàm in nondum baptizatos poteſtas eſt. Cui verò, vel per ſomnium, in mentem venit; vt omnes peccatores pro Obſeſſis habeat? 13.

Solet certis ſignis deprehendi, quòd in hominibus lateant Nequam Spiritus. Hæc ſunt, ſi futura prædicant: vel ſi certa reuelent; ſi diuerſis loquantur linguis; ſi labores humanis viribus ſuperiores perferant, &c. An hæc in Infantibus? Quamdiu hæc in Infantibus, in infidelibus, in quibuſque peccatoribus, non deprehendimus; nequaquam Obſeſſos dicemus: quamuis, propter peccatum, ſummam etiam in ipſos poteſtatem habeant Dæmones. 14.

Quorſum igitur Exorciſmi? Cur *exire* ab Infantibus iubetur Diabolus? cur *diſcedere*, & *locum dare* Chriſto? Ridet, vt pleraque alia Chriſtianæ Religionis exercitia, hanc, ab Apoſtolorum temporibus receptam in Eccleſia, exorcizandi Dæmonia, conſuetudinem Ioannes Caluin. Lib. 4. cap. 19. §. 24. Vult eſſe prorſus inanem & fictitiam: At cum Sanctiſsimorum Patrum haud leui iniuria: quorum pro hoc ritu ſunt grauiſsima teſtimonia. Audiamus ex pluribus vnū aut alterum. Chryſoſtomus ſic loquitur. Hom. de Adam & Eua. Cùm ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitę ingrediuntur; quam, Exorciſmis & exufflationibus Clericorum, Spiritus ab illis immundus abigatur, & deinceps vaſa illius eripiantur. 15.

tur. In eandem ſententiam loquitur Cyrillus, Hieroſolymorum Epiſc. Catech. 2. Inſufflationes Sanctorum, & nominis diuini inuocatio, tanquam vehementiſsima quædam flamma, vrit Dæmones, & in fugam conuertit. Hi Græci ſunt. Addamus ipſis ex Latinis tres; primus ſit Optatus Milleuitanus. Is ſic habet, Libr. 4. contra Parmen. Omnis homo, qui naſcitur, ſine Spiritu, mundus eſſe non poteſt. ſub poteſtate Dęmonis eſt: quem neceſſe eſt ante ſalutare lauacrū excludi. Non aliud habet Rabanus Maurus, lib. 1 de Inſtitut. Clericorum. Exorcizatur, inquit, Diabolus, vt ſuam nequitiam agnoſcens, & iuſtum ſuper ſe Iudicem timens; recedat ab homine: nec iam contendat eum arte ſua ſubuertere, ne baptiſmum conſequatur. Conſentit cum omnibus B. Auguſtinus, qui hæc habet, lib. 1. de Symbolo, ca. 1. Sicut noſtis, fratres chariſsimi, paruuli exſufflantur; & exorcizantur; vt pellatur ab ijs Diaboli poteſtas inimica; quæ decepit hominem, vt poſsideret homines: Non ergo creatura in Infantibus exorcizatur, aut exſufflatur; ſed ille, ſub quo ſunt, qui peccato naſcuntur. Ita Patres.

Quæramus etiam ex Caluino, Quidnam ſit, quod hîc damnandum cenſeat? An, quòd credamus Diabolum in Energumenos, & non baptizatos pueros, poteſtatem aliquam habere: An, quod ipſi, vt hos relinquat, imperemus? Primum, iure damnare nequit. Id Eccleſiæ Doctores: id D. Paulus: id Chriſtus ipſe aſtruit. Si ſecundum damnat: omnino fateatur oportet, in Chriſti Eccleſia, in Dæmonia poteſtatem nullam eſſe.

17. At forſitan exiſtimat ridiculum eſſe, vt ab homine *exire* dicatur, qui in homine αὐτοπροσώπως non fuit? Ridiculum hoc non eſt. Non præcipitur, vt ex corpore, quod obſidet, diſcedat. Præcipitur, ne poteſtate, quam in hominem habet, vtatur: hoc eſt; præcipitur, vt exeat effectu, atque operatione, qui extra hominem eſt autoproſopia. præcipitur, vt ſuum ius, quod in hominem habet, reſignet; & illud Chriſto, qui per proprium ſanguinem hominem redemit, tradat.

18. Noua non eſt, nec inuſitata hæc loquendi forma. Nunquid à Pharaone dicitur *egreſſus* Moyſes? Nunquid, vt à ſe *exiret* Dominus, rogauit Petrus? An igitur aut Moyſes in Pharaone, aut Dominus fuit in Petro? Ibi etiam res eſſe dicuntur; vbi imperium habent, & poteſtatem exercent. Inde *exire* dicuntur; vbi imperio & poteſtate priuantur. Sed ad ſecundos.

CAP.

CAPVT XIX.

An Sagæ atque Malefici à Dæmonibus obſideantur.

DE *Sagis* atque *Maleficis* etiam quæſtio eſt. Hos à Dæmoni- 1.
bus poſsideri quidam ſibi prorſus perſuaſerunt. Argumé-
tum ſumunt ex *purgatione aquæ frigidæ*. Exiſtimant enim,
quòd ſi de *maleficio* ſuſpectæ mulieres in aquam conijcian-
tur, & ſupernatent; maleficij ſint reæ: ſi ſubſidant; ſint innocentes.
Et ita quidem maleficas, aut innocentes deprehendi volunt. ſed ta-
men, quòd ſupernatant, accidere putant ex eo; quòd in corpore Dia-
bolum, à quo obſeſſæ ſint, habeāt; qui cum ſit igneæ, aut aereæ, vt di-
cunt, naturæ, efficit; vt maleficarum corpora nequaquam ſubſidant,
ſed in aquis ſupernatent. Ita nuper quidam edito in lucem libello.

Verùm in hac ſententia, & multi ſunt errores, & magni. Primus 2.
eſt, quòd *purgationem aquæ frigidæ* probet. Nullo modo illa licita eſt:
non ſine Dei ſummæ contumelia admittitur. Optimè Stephanus,
Romanæ ſedis Epiſcopus, ſic ſtatuit: Ferri candentis, vel aquæ fer-
uentis examinatione confeſsionem extorqueri à quolibet, ſacri non
cenſent Canones. & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum
non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. *2. q. 4.*
Conſuluiſti.

Secundus error eſt, quòd *Dæmones credant aërea, vel ignea eſſe na-* 3.
tura, & ob id leues, atq; in aquis ſupernatare. Neque aereæ, aut igneæ
naturæ ſunt Dæmones: neq; graues, aut leues. Spiritus ſunt, & quia
omnis, quæ ex corporibus eſt, concretionis expertes; nullas earum
qualitatum, quæ in corporibus ſunt, admittunt.

Tertius error eſt, quòd *eos, in quibus Dæmones ſunt, putent ſupernata-* 4.
re. An non in porcorum gregem immiſsi Dæmones, (quos ex ho-
mine quodam Dominus expulit) mox vniuerſos in profundum ma-
ris præcipites egerunt? Et ſi leuitas Dæmonum non permittit, vt
in aquis ſubſidant, qui fit, vt tot ipſorum millia intimis terræ viſce-
ribus includantur?

Quartus eſt, quòd *Maleficos & Sagas definiunt, qui ſupernatant.* Su- 5.
pernatarunt Sanctorum plurimi; qui ob Chriſti fidem, poſt alias,
quas ſuſtinuerant, grauiſsimas pœnas, in maria præcipitati ſunt;
nec quamuis maximis onerati ſaxis, mergi potuerunt: an fortè hos
in Maleficorum numero reponemus? Ex horum Sanctorum nu-
mero eſt Cerbæus, aliàs Peregrinus dictus, qui B. Gregorij tempore

CAPVT XX.

An Diuinatores ſint à Dæmonibus reipſa obſeſsi?

MAior fortaſsis difficultas eſt, de *Diuinatoribus*. Difficilius 1.
hos ab eorum ordine videmur poſſe abſoluere, qui *Ob-
ſeſsi* dicuntur; propterea, quòd argumenta, quæ Obſeſſos
produnt, apud hos certiora & maiora deprehendamus. 2.

Neque enim dubium vllum eſt, hanc certam ſatis regulam, qua
Obſeſsi dignoſcuntur, eſſe; ſi ea, quæ humana induſtria nequeunt
cognoſci, prædicant, & annuncient. Qua in re, cum videantur ex-
cellere Diuinatores: nulla fortaſsis illis iniuria facta dicetur, ſi in-
ter Obſeſſos numerentur.

Sed tamen in Obſeſſorum numero Diuinatores eſſe, dici non 3.
debet; niſi alia argumenta, quæ à Dæmonibus poſsideri conuincant,
producantur. Eſto vtriq; occulta reuelent; ſed tamen alio modo
Obſeſsi, alio Diuinatores. Loquuntur in Obſeſsis Dæmones, dum
occulta reuelant; in Diuinatoribus non item. Quæ referunt Diuina-
tores, loquuntur ipſi; licet, quæ loquuntur & referunt, à Dæmoni-
bus habeant.

Præterea, quæ per Obſeſſos loquuntur Dæmones, ignota prorſ- 4.
ſus ſunt ipſis Obſeſsis: quæ Diuinatores annunciant, Dæmonum
relatione ipſis innotuerunt, & perſpecta ſunt; non minus, atqui ea,
quæ hominum relatu, aut alia aliqua ratione perceperunt.

Accedit, quod Diuinatores, niſi prius Dæmones, conuenerint, 5.
& occulta expiſcati ſint; nulla ſciant, aut reuelare valeant. At hac
conſultatione Obſeſsi opus non habent: Ipſis, tanquam quibuſdam
inſtrumentis, Dæmones vtuntur, dum occulta reuelant.

In Diuinatione igitur homines opera Dæmonum vtuntur: in 6.
Obſeſsis, hominibus vtuntur Dæmones. In diuinatione Dæmo-
nes agunt Præceptores: in Obſeſsis rectores & motores. Diuinatio
non eſt ſine peccato hominum, qui diuinant: reuelatio ſecreto-
rum, quæ per Obſeſſos fit, ſine peccato eorum, qui ſunt obſeſsi ac-
cidit.

Hinc fit, vt (quemadmodum præcedenti Capite dictum eſt) de- 7.
terior conditio eſt *Sagarum* & *Maleficorum*, quàm Obſeſſorum;
ita quoque deterior fit *Diuinatorum*; propterea, quòd malum à *Dæ-
monibus* pati, malum non ſit (quod in Obſeſsis accidit:) grande au-
tem malum ſit, *Dæmonum*, in quacunque re, opera, auxilio, aut
conſilio vti; quod in Diuinatione locum habet.

Digitized by Google

quamuis reuelent. Poſteriores multis modis Dæmonum opera
percipiunt. vnde & tot diuinationum ſpecies, Chyromantia, Hy-
dromantia, Nigromantia & ſimiles; quas quoniam ad præſentem
Diſputationem non pertinent, pluribus perſequi neceſſe non eſt.
Legendus inter alios Toſtatus in 1. Regum, cap. 28. qu. 9.

Cæterum Diuinatorum diſtinctio, quam aſsignauimus, inepta 12.
non eſt. Sacrarum ſcripturarum nititur authoritate: quæ 1 Reg. 28.
duo genera diſtinguit illorum, qui *Spiritum* habent *Pythonem*. Qui-
dam enim ſimpliciter dicuntur illum *habere*: quidam *in ventre habe-*
re. priores familiares & aſsiſtentes ſpiritus habent, à quibus multis
modis, de occultis, inſtruuntur: poſteriores in corpore ſiue ventre,
& in prioribus homines loquuntur atque referunt, quæ à Dæmoni-
bus acceperunt: in poſterioribus plerumque ipſi in hominibus Dæ-
mones.

CAPVT XXI.

An Hæretici verè à Dæmonibus obſideantur.

Hæreticos paſsim malè audire, extra omnem cõtrouerſiam 1.
eſt. Magnam etiam eoſdem cum Dæmonibus habere con-
iunctionem vel communionem, hinc licet colligere, quòd
Marcionem Hæreticum D. Policarp. vocarit *primogenitum*
Diaboli, Hieronimo deſcript. Eccleſ. teſte: quòd *Apoſt.* Paul. dicat
eos *attendere Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*: quòd B. Ambro- 1. Tim. 4.
ſio, l. 2. de Cain, c. 4. comparet *Iudæ Iſcariotæ*, qui Satanæ fuit domi-
cilium: quod miniſtri ſint mendacij *cuius pater eſt Diabolus*. Ioan. 8.

Sed & quàm plurimi eorum cum Diabolo egerunt, vel ab eo- 2.
dem, tanquam à Magiſtro, ſua dogmata acceperunt. Hoc docent
de Simone Mago Egeſippus, & Cyrillus: de Baſilide Theodoretus: *Lib. 3. de Ex-*
de Marcione Innocentius; de Menandro *Epiphanius*: de Theodo- *cid. Catech. 6.*
to *Euſebius*: de Carpocrate Tertullianus: de *Buda* Cyrillus: de Mon- *Lib. 1 Fabul.*
tano rurſus Euſebius; de *Maſsiliano* Theodoretus: de *Eutyche* idem: *lib. 3. cap. 3.*
de Berengario Polydorus Vergilius. *Hæreſ. 22. lib.*

Noſtro etiam tempore id de ijs, quos ex ſe procreauit, ipſemet *5. cap. 16.*
Lutherus teſtatur: de Caroloſtadio, inquam, libro contra Corolſta- *Lib. de anim.*
dium: de Oecolampadio, Libro de Miſſa angulari: de *Anabaptiſtis*, *Catech. 6.*
libro contra ipſos. *lib. 5. cap. 33.*

Teſtantur idem de *Dauide* Georgio Baſilienſis Prædican- *lib. 4. fab.*
tes, in Hiſtoria de ipſo: de *Andrea* Oſiandro *Eraſmus Alber.* *ibidem lib. 9.* *hiſtor. Ang.*

Digitized by Google

ciſsimorum teſtimonio confirmatus eſt, dubium animum depoſuit. Dialog 3. Dubitantij Coloniæ 60. Et nos oculati huius teſtes ſumus Audiuimus huius ſectæ Sartorem Scripturas ſacras crepantem: vidimus Ruſticum eaſdem legentem: & tamen neuter vllo Mag'ſtro fuerat vſus, anno 60. Coloniæ.

Quis verò dubitare poteſt ab inhabitante maligno Spiritu rem hanc proficiſci? Neque enim *eſca*, vel *potus* ſumptus hanc virtutem habet; vt diuinarum Scripturarum ſcientiam inſtillat. res per ſe clara eſt. Neque Deus eſt, qui hanc illis doctrinam confert: cùm fidei atque Religionis eius ſint hoſtes, agantq́; vitam impuriſsimam. Cùm igitur eandem labore non habeant, nec vllius hominis inſtitutione; à quo, niſi ab inhabitante habebunt Spiritu? & Spiritu Nequam? 9

Præterea, quæ cauſa eſt, vt mox, poſtquam ad Catholicorum caſtra redierint, ne verbum illorum, quæ antea nouerant, teneant? neſciant etiam legere, qui prius, quando in hæreſi degebãt, cum quibuſuis legendo poterant certare? Scilicet tum ipſos Dæmon deſeritum ſe relinquentes, ſibi relinquit. 10

Hinc eſt, vt non immeritò in ſuſpicionem quidam veniant, vt putent non Anabaptiſtas propriè eſſe, qui *per ſe* loquantur Scripturas; ſed Dæmones in Anabaptiſtis loqui: quemadmodum, dum Obſeſsi peregrinum idioma ſonant; non ipſi; ſed Dæmones ſunt, qui voces & ſonos formant. 11

Sed forſitan, quia barbara, in Anabaptiſtis his, ſigna, cruciatus, quos alij Obſeſsi patiuntur, quidam non obſeruant, in Obſeſſorum loco ipſos non habent. At non neceſſe eſt, vt hæc ſigna *omnes* edant: non neceſſe, vt *omnes* tormenta à Spiritibus patiantur. etiam illi, qui omnium opinione Obſeſsi ſunt; in ſuis quandoque cruciatibus reſpirant, & à tormentis ſunt liberi. Etiam in illorum quibuſdam vix vllæ obſeruatæ ſunt moleſtiæ. In horum numero puella fuit, quam S. Germanus curauit. Hanc enim ſolùm templi aditu prohibebat Dæmon: & proditus verſipellis non fuiſſet, niſi adductę ad ſe S. Germanus manum impoſuiſſet: & impoſtor, edito clamore, ſibi vim inferri clamaſſet. Vide Fortunatum, Epiſcopum Pictauorum in Vita S. Germani, Cap. 27. 12

Qui hanc ſententiam fuerint complexi, *nouum quoddam Obſeſſorum hominum genus* conſtituent, quod ab alijs, quos *communiter* Obſeſſos dicimus, his rationibus differret. Primò, Illi plerunque inuiti Diabolum recipiunt, atq; ſæpe in peccati pœnam: hi eundem vltro admittunt, cùm maxima Dei offenſa. Secundò, illi ferè cruciatus patiuntur à Dæmonibus hi à cruciatibus ſunt prorſus liberi. Tertiò, 13

Digitized by Google

Sunt qui *ex feris, & agreſtibus moribus* putant colligi poſſe Dæmones in humanis corporibus latere. Verùm nec hi ſunt ſine errore. Quamuis enim quandoque in Obſeſsis inueniantur; non tamen quotieſcunque inueniuntur, produnt Obſeſſos. Quàm barbari, & agreſtes fuerunt mores Regum quorundam Turcarum? an idcirco à Dæmonibus obſeſſos fuiſſe dicemus? 5.

Grauis quoque, atque *diuturnus ſomnus*; *morbi* præterea *nulla medicorum arte curabiles: internorum etiam viſcerum dolores*, certa hîc argumenta non ſunt. Alias illa, quàm in hominibus latentes Dæmones, poſſunt habere cauſas. Poſſunt viribus naturæ: poſſunt arte Maleficorum: poſſunt opera aſsiſtentium Dæmonum procurari. 6.

Peſsima quorundam hominum eſt conſuetudo, vt *in ore ſemper Dæmonem habeant*. Et fortè hos quis Obſeſſos dixerit; propterea, quòd alicubi dicatur: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Sed tamen quamuis haud procul à talibus Dæmones abſint, (quemadmodum exemplo egregio alicubi docet B. Gregorius) non tamen neceſſe eſt Obſeſſos dicamus. Non omnes, qui malè agunt, à *Dæmonibus* poſsidentur. 7.

Similiter à Dæmonibus obſeſsi non ſunt, qui *relicto vero Deo, ſe totos, quanti quanti ſunt, Dæmonibus conſecrant*: eorum mandatis in omnibus, etiam fœdiſsimis & crudeliſsimis, rebus parent. Sagarum iſta & Maleficorum officia ſunt, quos inter Obſeſſos numerandos non eſſe, ſuperius demonſtratum eſt, Cap. *19*. 8.

Reperiuntur, qui *nullo loco ſunt tuti*. vbique ſe moleſtantes Spiritus, quandoque etiam crudeliter in corpora ſæuientes, experiuntur: an fortè hi Obſeſsi dicendi ſunt? Non ſunt. Eſto non minus graues, imò grauiores etiam quandoque, quàm Obſeſsi, patiantur moleſtias: illæ tamen non ab inhabitantibus, ſed aſsiſtentibus Spiritibus afferuntur. 9.

Et qui præſentis vitæ pertæſi *crudeles ſibi manus afferunt*; & ſe vitæ huius vſura priuant, ad Obſeſſorum ordinem non neceſſariò pertinent. Si pertinerent, non illis ipſa, quam ſibi inferunt, mors vitio verteretur: non graues eius nomine in futura vita luerent pœnas: tribueretur mors Dæmonibus: nulla ipſorum hîc culpa eſſet. Iam verò & mors ipſis tribuitur: & grauiſsimos, meritò, in futura vita ſuſtinent cruciatus. 10.

An, qui *inuocatorum à ſe Dæmonum præſentiam percipiunt*; & ſibi, vt ab iiſdem abripiantur, imprecantur, *moxque abripiuntur*; ab iis, 11.

Digitized by Google

à quibus abripiuntur, poſsidentur? Poſſent, haud dubium, tales Diaboli obſidere; veruntamen non ſemper obſident. Non opus eſt: vt corpora ingrediantur, ſi illa aliò debeant transferre: Sed nec ingredi deſiderare credendum eſt illa, quæ mox relinquere oportet.

12. *Furia* fortaſsis latentis in homine Dæmonis argumentum eſt? Eſt aliquando: ſed non ſemper. Furia non à Dæmonibus ſolùm excitatur: cauſas quandoque in homine habet naturales: quandoque etiam opera perditorum hominum, adlaborantibus Diabolis, procuratur: denique & herbarum quarundam fit virtute.

13. *An obliuio rerum cognitarum?* Dæmonum opera quandoque hæc affertur: verùm etiam extra homines exiſtentes Spiritus huius poſſunt eſſe autores. Sed & hæc cauſas quoque poteſt habere naturales.

14. Quid quòd nec *occultorum reuelatio* ſatis magnum hîc argumentum præbeat? Diuinatores occulta reuelant: ſed tamen non à Dęmonibus poſsidentur omnes. Verùm de hoc aliâs, cap. 20.

15. Addo, quòd nec ipſa ſigna, quę in Obſeſsis ijs reperiuntur, quorum Euangelica hiſtoria meminit, certa & ſufficientia ſint Obſeſſorum hominum argumenta. Fuerunt quidam illorum cæci: alij ſurdi: alij muti: quidam in ſe, quidam in alios fuerunt crudeles. Obſeſſorum illa videbantur opera: at Obſeſſorum non erant ſigna, niſi fortè omnes cæcos, mutos, & ſurdos: omnes item barbaros, & crudeles homines ad Obſeſſorum claſſem reuocare velimus.

CAPVT XXIII.

Quæ & qualis Occultorum Reuelatio prodat latentes in hominibus Dæmones.

1. POST hæc, vera ſigna, ex quibus, *Vtrum à Dæmonibus homines obſeſsi ſunt*, deprehenditur, aſsignanda ſunt. *Duplicia* autem hæc eſſe videntur. Alia enim ſunt, quibus Spiritus *agere* videntur: alia quibus quippiam *pati*. Priora ſunt, vel intellectus; vel corporis: Poſteriora, vt plurimum rebus ſacris extorquentur. Intellectus ſunt Reuelatio occultorum, & Scientia linguarum: Corporis magnæ vires, grauia tormenta, atque his ſimilia. Sacræ res ſunt, Euangelium S. Ioannis: Sanctorum Reliquiæ: Exorciſmi: &c. Diſcutiamus ſingula.

2. Primum locum obtinet *Occultorum Reuelatio*; quæ hominum, qui

qui ea reuelant, ſcientiam latent. Cùm enim hanc à mente, ſiue Spiritu ſuggeri neceſſe ſit; ſi à priuato hominis ſpiritu non eſt: & ſi Deus, atque bonus Angelus huius cauſa non ſunt; quemadmodum aliquando non ſunt; neceſſe omninò eſt à malo Spiritu ipſam proficiſci.

Occulta hæc *duplicis ſunt generis*. Quædam latent quidem ipſos, qui reuelant; ſed tamen talia non ſunt, vt nullo modo ab iiſdem poſſint cognoſci: quædam ſunt, quæ impoſsibile eſt humano ingenio, & viribus aſſequi. 3.

Priora tribus temporum differentiis continentur. Nam aut præterita ſunt; vt res geſtæ: aut præſentia; quæ tamen ob locorum diſtantiam homines nequeunt ſcire: aut futura; quæ totum eſſe, quod habent, in ſuis cauſis habent. Poſteriora ſunt, quæ ex hominum pendent voluntate, & libero arbitrio. 4

In his omnibus Dæmones multa, quæ vel homines non cognoſcunt; vel non poſſunt cognoſcere, norunt optimè. Norunt res geſtas ab orbe condito. Norunt, quæ modò in remotiſsimis à nobis regionibus geruntur; quamuis hic nobis ſint præſentes. Norunt, quæ poſt plurima tempora euenient. 5.

Norunt quoque plurima, quæ à voluntate & libero perdent arbitrio; & homines cognoſcere, propemodum eſt impoſsibile. Et quid mirum? Cùm enim illa voluntatis noſtræ ſit conditio, vt affectus ſequatur corporis; moueatur etiam obiectis bonis; & ad naturæ pondus ſe accommodet ſæpe, non nouum eſt, ſi Dæmones quæ à voluntate pendent norint; cùm & hominum affectus probè cognoſcant; & ſciant, quæ menti obiecta ſint, bona; & ſingulorum propenſiones longa experientia obſeruarint. 6

Occulta igitur hæc, ſi per homines reuelentur; hoc eſt, ſi referantur res geſtæ: ſi manifeſtentur futura: ſi, quæ in remotiſsimis fiunt regionibus, ſignificentur: ſi hominum ſtudia & conatus occulti pateſiant: omnino oportet dicamus Spiritus alicuius hic operam adeſſe. 7.

Veruntamen non neceſſe eſt *ſemper* à malis Spiritibus hæc perfici; aut iis, qui in hominibus, per quos hæc reuelantur, ſuas ſedes habent. Poſſunt hæc à bonis Spiritibus reuelari. poſſunt reuelari à malis; & quidem iis, qui in hominibus nullum habent locum. Non minor, ſi non maior, eſt bonorum Angelorum, quàm malorum hic ſolertia, & ſagacitas; non minor cognitio. Quidquid poſſunt mali; poſſunt boni. Et mali, quemadmodum nec boni, non ad vnam aliquam, qua hæc faciunt, legem aſtricti ſunt. 8

Pro-

Digitized by Google

9. Prophetæ homines fuerunt, reuelârunt ſecreta; nunc præterita, nunc præſentia, nunc futura: qualiacunq; tandem illa fuerunt; ſiue humanam cognitionem omnino excederent, ſiue humana cognitio ad illa pertingere potuerit; dictante Spiritu hæc reuelârunt? Quo verò? Nequam. Nequaquam. *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*, inquit D. Petrus.

10. Quando igitur *hæc praui Spiritus produnt?* Quando nulla honeſta, vt hæc reuelentur, ſubeſt cauſa. Quando etiam quæ reuelantur, nunc in Dei cedunt contumeliam, nunc in proximi iniuriam. quę vt cauent diligenter boni Spiritus; ita ſtudioſè quærunt Spiritus Nequam.

11. Quòd ſi interdum in hac Occultorum Reuelatione, Dei honorem, aut proximi commodum quærere videntur Dæmones (vt exemplum puellæ, quæ B. Paulum tanquam veri Dei, & ſalutis præconem proclamauit, inſinuat) profectò non tam hæc illis propoſita ſunt: quàm vt ſpecie boni illudant, & fallant.

12. A malis igitur Spiritibus hæc fient, ſi abſit ratio honeſtatis: ſi ad Dei contumeliam, aut proximi iniuriam cedat Reuelatio. Veruntamen non mox neceſſe eſt ab *inhabitantibus* Spiritibus fieri. A familiaribus, quos habent quidam, hæc accipere poſſunt, & in homines ſpargere.

13. Quod verò ab inhabitantibus, & homines obſidentibus, fiant, ex *duobus* videtur rectè colligi. Primum eſt, ſi qui hæc reuelant, nullum cum Dæmonibus pactum habeant. Alterum, ſi in iiſdem ſigna obſeruata ſint alia: quæ quòd à Dæmonibus obſideantur, inſinuent. Talia plerunque ſunt interni cruciatus, vagi motus, proximis, & ſibi allata detrimenta, &c.

14. Et certè hac ratione plurimi innotuerunt. quidam etiam iam alijs ſignis proditi de ſe certiora dederunt indicia, ſed maximè illi; qui vel ſe non, niſi per Sanctos homines, eijciendos dixerunt: vel Sanctorum hominum præſentiam ferre non potuerunt: de quibus tamen Obſeſſi nihil ſcire potuerunt. In horum genere fuit, qui Gordiani Imperatoris filiam obſidebat; & non, niſi per S. Triphonem, ſe eijciendum affirmabat: de quo Metaphraſtes 1. Februarij: Item Ille, qui per Artemiam filiam Diocletiani Imperatoris, & per Iobiam filiam Saporis Imperatoris Perſarum, vnum clamabat eſſe Cyriacum, cui cedere cogeretur, apud Surium in Vita eius, Tom. quarto: & Ille qui Romæ cedere noluit ad imperium S. Benedicti, ſed ad Remigium Rhemenſem Epiſcopum, quaſi, appellauit; cuius in Vita Remigij meminit Hincmarus: Ille etiam, cuius tyranni-

rinnidem deſcribit Marcellinus, cap. 20. in Vita S. Svviberti; qui cùm à Paganis vrgeretur, vt diſcederet; tum ſe diſceſſurum affirmabat; quando Svvibertus, VVerdenſis Epiſcopus, exitum imperaret: præterea Ille, qui cùm Turonum ingrederetur S. Genoueſa, per Obſeſſum cœpit clamare, gemino ſe incendio torqueri: de quo Surius, Tom. 1. Deniq; Ille, qui Aredo, Sancto viro animam agente, per Obſeſſum clamare cœpit & dicere: *Currite ciues: exilite populi, exite obuiam Martyribus, Confeſſoribusq́, qui ad exequium B. Aredij conueniunt.* de quo vide Turonenſem, lib. 10. Franc. Hiſto. cap. 29.

Eadem Occultorum Reuelatio prodidit Spiritum Treuiris. de 15. quo Gregorius Turonenſis, lib. 8. Hiſtor. cap. 13. & poſt eum Cæſar Baronius, Tom. 7. ann. Domini 588. Res ſic ſe habet. Cùm Theodorum Maſsilienſem Epiſcopum (quem Guntheranus Rex captiuum abducere cupiebat) Treuiros veniſſe intellexiſſet, Magnericus Treuirorum Epiſcopus, ad templum S. Maximini ſe contulit; pro fratris Epiſcopi libertate Deum precaturus. Et ecce, mox eidem ab oratione ſurgenti Dæmoniaca occurrit, hiſce verbis aures eius diuerberans: *O ſceleſte, & inueterate dierum: pro inimico noſtro Theodoro orationem ad Deum fundis? Nos quotidie laboramus, & quibus rationibus eum Gallia pellamus, ſolliciti ſumus, & Tu eundem in Gallia ſeruare contendis?*

CAP. *XXIV.*

Quæ linguarum ſcientia: & an ſola illa, prodat inhabitantes in hominibus Dæmones.

SCIENTIA etiam *peregrinorum Idiomatum*, & *linguarum notitia* la- 1. tentes in hominibus Spiritus produnt. Et meritò. Res clara erit, ſi tria conſtituantur. *Primum* eſt, fieri naturaliter non poſſe; vt quam quis ignorat, vtatur lingua, aut idiomate. Alterum, Nullum idioma eſſe, quod ignorent, aut mox ſcire non valeant Dæmones. Tertium, Omnem actionem, quæ in hominibus obſeruatur, cauſam aliquam, à qua fiat, habere.

De *primo* nulla controuerſia eſt. Communis hic omnium eſt 2. ſenſus & conſenſus. Hunc confirmat magnus, quem in addiſcendis linguis ſuſcipimus, labor: Vt taceatur inter beneficia, quæ ſingulari Dei

ri Dei munere Apoſtolis olim collata ſunt, numerari donum linguarum.

3 Sic nec dubium eſt *idiomata omnia noſſe Dæmones*. Diſcunt illa homines conſuetudine eorum, cum quibus viuunt: quidni igitur Dæmones diſcerent, qui ſemper inter homines verſantur? obſeruant quæ loquuntur? notant quæ agunt?

4 Certiſsimum quoque eſt, *omnem, quæ in hominibus deprehenditur, actionem cauſam aliquam habere*. Cùm enim actio effectus & opus ſit agentis: agens autem in numero cauſarum conſtituatur, fieri nequit, vt aliqua, cuius nulla cauſa dari poſsit, detur actio.

5 Ab aliquo igitur eſt ſermo peregrinus in hominibus, qui illum ſonant. At à quo? Omnino à ſpiritu ſiue mente. Quid ita? quia ſermo omnis, eius, quod in mente, ſiue ſpiritu latet, nuntius eſt: Quapropter prorſus neceſſarium eſt, vt, ſicut fumus ignem, ita mentem prodat & ſpiritum ſermo.

6. A quo verò ſpiritu erit? profectò non ab humano. Homo non eſt, qui peregrinum format ſermonem. Quod non didicit, non loquitur homo: Peregrinum ſermonem non didicit: Peregrinum ergo ſermonem non loquitur. Hoc ſuperiùs conſtitutum fuit.

7. A Spiritu igitur *externo* eſt? Omnino eſt, & quidem Angelo, vel bono, vel malo. Angeli, vt cætera hominis membra; ita poſſunt impellere linguam, ita partes omnes, quæ ad vocem formandam ſunt neceſſariæ.

8. Verùm quemadmodum ſuperiùs, Cap. 23. demonſtratum eſt, ex fine bonos & malos Spiritus deprehendi, & diſtingui in Occultorum Reuelatione; ita hîc finis eſt, qui loquentes peregrina lingua in hominibus Spiritus prodit.

9. Loquebantur olim varijs linguis Apoſtoli: ſed diuino Spiritu inſtructi. quia ſic Chriſti regnum propagandum erat, & amplificandum: ſic Gentes ad Chriſti fidem conuertendæ. Non hoc propoſitum eſt, in Obsſeſi, malis Spiritibus, propriam gloriam, cum Dei iniuria, & hominum interitu quærunt verſipelles.

10. Eſt & aliud hîc diſcrimen. Non poterant vlla externa vi cogi Apoſtoli, vt varijs linguis loquerentur: Cogi poſſunt, & coguntur haud rarò, ab Exorciſtis, Obſeſsi, ſeu potius latentes in ipſis Dæmones, vt etiam inuiti loquantur.

11. Sed & Apoſtoli linguas, quibus loquebantur, reuera norunt: intelligebant etiam ſignificationes vocum. Loquuntur varijs linguis Dæmoniaci; ſed nec linguas norunt; nec, quid vocibus ſignificetur, intelligunt.

Nec

Hoc ſigno noſtris temporibus ſæpius Dæmones deprehendun- 12.
tur. Deprehenſus eſt eodem olim ille; qui Canditatum quendam Conſtantij Imperatoris poſſedit. quamuis enim Candidatus Francam tantùm, & Latinam noſſet; tamen B. Hilarioni Syro, quo ipſum rogabat, ſermone reſpondebat; & quidem ita perfectò, teſte Hieronymo, vt non ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod Palæſtini deeſſet eloquij. Hiero. in Vita Hilarionis. Sic deprehenſus & ille, qui in muliere Mediolanenſi, ad S. Bernardum adducta, latebat, quæ nunc Italica, nunc Ibera lingua loquebatur. Vide cap. 4. li. 2. Vitæ S. Bernardi. Et Noberto Præmonſtratenſi apud Ningellam verbum Dei prædicante, & puellam Dæmoniacam coram adductam exorcizante; Dæmon, irridens, Cantica Canticorum à principio vſque ad finem per os puellæ edidit: & ad verbum in Romana; deinde in Teutonica lingua interpretatus eſt. Ita Sigebertus circa annum Domini 1122.

13. Quocirca audiendus non eſt Leuinus Lemnius; qui libr. 2. cap. 2. de Occultis naturę, docet Melancholicos & phreneticos ex frequentiſsima humorum ebullitione, & vehemēti ſpirituum exagitatione poſſe varijs linguis loqui; quamuis ante earum nullam norint. Quomodo, quæſo, in ore eſt, quod non fuit in mente? Et in mente quomodo erit, quod non aliquando fuit in ſenſu?

14. Ad hoc Idiomatum ſignum referuntur, quæ cum ipſo magnam habent affinitatem. Primum eſt, *Scientia legendi*, nullo ſtudio comparata. Quemadmodum Linguarum cognitio ſine ſtudio non habetur; ita nec legendi Scientia: quocirca vt illa, ita quoque hæc inhabitantes Dæmones prodit.

15. Alterum eſt, ſine ſtudio atque labore parta, *Scientia ſcribendi*. Eadem huius, atque præcedentium duorum ratio eſt; quocirca non errant, qui hinc Obſeſſos homines definiunt.

16. Tertium eſt, *Cognitio rerum naturalium*, nec propria inuentione comparata; nec ab vllo magiſtro accepta. Sicut peritia linguarum; ita Scientia rerum naturalium, operam noſtram, ſtudium atque diligentiam requirit: quæ ſi deſint, non ſine ratione ipſa Dæmones authores habere putatur.

17. Quartum eſt, *Peritia cantandi* in eo, qui cantū non addidicit. Cum hac fortè non malè coniunxerim *Arithmeticam*; cùm magnam inter ſe coniunctionem habeant. Neutra hæc hominibus congenita eſt. quapropter ſi in hominibus inueniantur, nullo præcedente ſtudio: & nec Deum, nec bonos Angelos authores habeant; opera latentium in hominibus malorum Spirituum æſtimari poſſent.

Digitized by Google

CAPVT XXV.

De ſex generibus corporalium ſignorum, quæ quamuis non omnino prodant latentes in hominibus Spiritus: magnas tamen ſuſpitiones generant.

1. IN hominum *corporibus etiam ſigna quædam ſunt,* ex quibus latentes Spiritus deprehenduntur. Quamquam enim priora illa Spiritibus magis propria ſint;in corporibus tamẽ aliquando quædam efficiunt, quæ vix alios,quàm Dæmones, authores habere poſſunt.

2. In his primum eſt, *barbaræ & inconditæ voces*; clamores item, & vlulatus prorſus belluini. Quemadmodum enim, quos certò Obſeſſos eſſe ſcimus, has voces, clamores & vlulatus ſcimus edidiſſe; ita ex his in ſuſpicionem latentium Dæmonum non ſine ratione venimus.Sic ex latratu deprehenſi ſunt vtriuſque ſexus multi eſſe Obſeſsi in Alexandria; quorum meminit Sigebertus circa annum Domini 517. ſui Chron.

3. Alterum eſſe poteſt *horribilis & truculentus vultus,* quem qui de Dæmonio ſuſpecti ſunt, referunt. Quales enim ipſi ſunt Dæmones; tales formas plerunque affingunt. Quocirca cùm truces ſint & crudeles; vultum humanum ita interdum deformant, vt ſummum intuentibus horrorem incutiat. Talis vultus prodidit Dæmonem,latentem in muliere, cuius Capite 46. mẽtionem faciemus:& quem ſanctiſsimus Bernardus eiecit. Siquidem ita miſeræ vultum deformabat,vt monſtro,non homini eſſet ſimilis. Huc referrem os ſpumans, & ſtridorem dentium,quæ Spiritum prodiderunt, à S. Laurentio Iuſtiniano, Venetorum Patriarcha, profligatum, de quo Bernardus Iuſtinianus, in Laurentij Iuſtiniani Vita, cap. 8.

4. Sit tertium, *membrorum,* vt ita dicam, *ſtupor quidam & functionum ferè omnium vitalium priuatio, atque perpetua quædam q. ſomnolentia.* Quemadmodum aliquando ſe furia, atque nimia corporis agitatione; ita interdum hac contraria tarditate, & ſtupore Spiritus manifeſtant. Et muti ferè atq; ſurdi ſunt Spiritus, qui hoc ſigno deprehenduntur. Potuit & ille deprehendi, qui puellam quandam templo prohibebat. de quo Theſ. 5. cap. ſequentis.

Ad

Ad hæc accedit *ſumma inquietudo*. qualis eorum eſt, qui vno aliquo loco nequeunt conſiſtere: & ſolitudines quærunt; & deſertis locis delectantur. Neque enim pauci, etiam noſtris temporibus, inueniuntur, quos his modis Dæmones exercent. Exercuerunt autem olim illos, quorum Euangeliſta Matthæus, cap. octauo, meminit, qui ſæui nimis vias obſidebant, & tranſeuntibus moleſti erant.

Poteſt his quintum addi; *vires*, ſcilicet in *corpore humano non humanæ*. Tales ſunt eorum, qui quaſuis lacerant veſtes; vincula diſrumpunt, frangunt catenas, onera item ad quæ hominum robur non ſufficit, geſtant. Vix hæc minorem, quàm quæ ſuperioribus Capitibus allata ſunt, obſeſsi hominis fidem faciunt. 6.

Ad has vires refero agilitatem. & currendi pernicitatem, humanas vires ſuperantem. Talis indicauit Spiritum mulieris cuiuſdam Mediolanenſis vetulæ, quæ ad S. Bernardum adducta, ſcamnum, in quo ille ſedebat trãſilijt: addidit quoque ſe quoſcunque equos curſu æquare poſſe, eorumq́ue dorſa ſine adminiculo tranſilire. Vide cap. quarto, libr. 2. Vitæ Bernardi.

Refero & robur illius, qui à Nicetio Treuirenſi Epiſcopo iuſſus ex templo extrahi, columnam ita valide apprehendit, vt loco moueri non potuerit, etiam à decem viris. Hiſtoriam vide cap. 32. Theſi vltima.

Refero voracitatem illius, cuius in Hiſtoria Sanctorum Patrum, Sect. XIII. meminit Theodoretus, qui quamuis in die triginta gallinas comederet, *appetitionem tamen*, vt ipſe loquitur, *non poterat extinguere ſatietate*, & poſt à S. Macedonio aqua benedicta curatus, parua aliqua gallinæ particula, fuit contentus. Tanta, ſi non maior fuit voracitas, cuius Palladius mentionem facit in Vita Abbatis Macarij, Sect. 17. qui trium modiorum panes comedere ſolebat, & eoſdem mox eructans reſoluebat in vaporem: ſæpe etiam, ſi panes deeſſent, commedebat ſua excrementa, & lotium bibebat, &c. 7.

Denique *perſecutiones, cruciatus atque tormenta*, quæ quidam patiuntur magnum hic argumentum faciunt, vt ſi, verbi cauſa, nunc in ignem deijciantur homines; nunc in aquam: nunc ex alto loco agantur præcipites; nunc ſe cultris lacerent, nunc laqueo atque alijs rationibus vitam ſibi adimere conentur. Huius generis Obſeſſum ſacra Scriptura proponit, Marci 9. 8.

Hæc atque his ſimilia ſigna à Dæmonibus *excitari poſſe* dubium non eſt: Paret illis ad nutum, vt in Scholis loquimur; materia cor-

poralis. Cùm igitur in materia corporali hæc fiant omnia; operaDæmonum fieri non temerè creditur.

9. Veruntamen omnino *certa, & indubitata hæc ſigna non ſunt.* Quoniam non Dæmones tantùm, verùm etiam, præter Dæmones, alios authores & cauſas habere poſſunt: quemadmodum de pleriſque Cap. vigeſimo ſecundo demonſtratum eſt: & ſequentibus aliquot exemplis docemus in ſignis, quorum Theſi 6. & 3. mentionem fecimus

In Maximino Imperatore: qui Alexandro Mãmeæ filio ſucceſsit, tantum virium fuit, vt equum pugno percuſſum, nudaret dentibus: & maiuſculas arbores diuideret manibus. C. Iunius tanti fuit roboris, vt carpenta vna manu comprehenſa, obnixus contineret, iumentis etiam contra nitentibus.

Celeritatis ſummæ fuit puer nouem annorum. Romæ, Coſſ. Fonteio & Vipſano; quoniam à meridie ad veſperam, perpetuo curſu, conficiebat octoginta milia paſſuum. Sic Romæ ſub Cæſaribus inter ſpectacula populo exhibita productus eſt, qui per aduerſum parietem, felis modo repẽdo ſcanderet. Hi quamuis magnarum virium; ſummi roboris, & celeritatis atque agilitatis ſtupendæ fuerint; non tamen pro Obſeſsis habiti ſunt.

Nec habiti ſunt, qui ob edacitatem atq; ingluuiem celebres facti ſunt; ſcilicet, ſupradictus Maximinus Imperator, qui quadraginta libras carnis vno die elitabat (alij 60. ſcribunt) potabatque vini amphoram, adeò vbertim ſudante corpore, vt calice ſudor colligeretur; impleueritque vno die collectus ſudor tres ſextarios. Hæc Sabellicus Tom. 4. Exemplorum libro 2. ca. 9. & 10.

Sic truculentus vultus & facies diabolica non ſemper obſidentem Dæmonem indicat, vt 3. Theſis docet, vehementi imaginatione matris concipientis quis eundem poteſt habere, aliáve de cauſa. Quidam Buſcoducenſis (teſte VVairo, de Incantationibus, lib. 1. cap. 12.) nondum depoſita Cacodæmonis perſona, quam in fabula paulo ante adumbrauerat, vxorem ſuam cognouit, & illa grauida facta, talem poſtea partum edidit, qualem ipſa maritum perſonatum conſpexerat.

Narrat Petrus Meſſ. part. 2. variarum lectionum, cap. 7. de Cippo quodam Rege, quòd inter dormiendum è fronte nata ſint illi cornua, cùm commiſſos interdiu tauros, ſomnians altius animo agitaſſet. Similia de alijs ſignis dici poſſunt. quocirca id dictum. *Certa atque omninò indubitata hæc ſigna non eſſe.*

10. Si tamen non ex infirmitate, aliave cauſa naturali; aut triſtitia aliqua

aliqua, profectò eſſe conſtaret; nec hominum quorundam nocendi libidine ablata: multa quoque ex ijs concurrerent: denique accederent illorum plerique, quorum Capitibus præcedentibus mentio facta eſt, haud leue argumentum ſubminiſtrabunt.

CAP. XXVI.

De ſignis, quæ ad Rerum Sacrarum vſum in Dæmoniacis obſeruantur, & latentes in ipſis Spiritus produnt.

PRæter ſigna, quæ Dæmonum quaſi *actiones* ſunt, de quibus hactenus, alia inueniuntur, quæ ipſos ex eo produnt, quòd ad verba quædam prolata, aut res aliquas adhibitas *pati* videantur; & ij, qui Obſeſsi ſunt, trepident, concutiantur, in voces prorumpant, & omnino ſibi vim inferri, magnis argumentis demonſtrent.

Ad hæc ſigna elicienda, quamuis ſint, qui res quaſdam profanas valere velint; nos tamen *Sacras* vtiliùs & rectiùs adhiberi credimus: de quibus etiam hoc Capite. 2.

Sacrarum autem rerum hic duplex eſt vſus. Nunc Obſeſsi quædam iubentur proferre: nunc quædam ipſis ſilentibus adhibentur. 3. Prioris generis ſunt Inuocatio diuini nominis, aut alicuius Sanctorum Dei: Nominis Ieſu prolatio: Pſalmi, aut alicuius piæ orationis recitatio. Si enim hæc facere recuſent, de Dæmonio, non ſine cauſa ſuſpecti ſunt. Poſterioris generis ſunt, ſi concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blaſphement, poſtquam Sanctorum ipſis adhibitæ Reliquiæ: aut admotæ cereæ imagines, quas Agnus Dei dicimus: aut Crux fronti fuerit impreſſa: aut Aqua luſtrali aſperſi ſint: aut ſanctiſsimum Christi corpus, in Euchariſtiæ Sacramento, exhibitum: aut etiam in aurem ipſorum peregrina, quam non norunt, lingua, inſuſurratum fuerit illud: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti; & oblitus es Domini Creatoris tui:* Denique, ſi exorciſmos intentatos, vel non ferant, vel impatienter ferant.

His & ſimilibus ſignis Dæmones prodi dubium nullum eſt. 4. Exemplum huius in Vita S. Bernardi legitur, lib. 2. cap. 3 apud *Surium*, Tom. 4. fol. 800 Adducebat *Pater* filium, puerum adhuc, ad S. Virum, ſignificans grauiter ipſum torqueri, quotieſcunque vel Eccleſiam ingrederetur: vel Aqua conſecrata aſpergeretur: vel

ctum fuerit. *Hæc ipſis inuiſa & moleſta eſſe*: & præterea, *Non poſſe fieri, vt aut exhorreſcat Christianus homo, vbi hæc adhibentur: aut difficilem ſe præbeat*, ſi vt ipſis religioſè vtatur; vel orationes quaſdam recitet, imperatur.

Et quidem Dęmones illa non ferre certum eſt. Neque enim ſolum trepidant ad has machinas ipſis admotas; verùm etiam (quod inuiti admodum faciunt) quandoque ſedes ſuas relinquunt, & ſe grauiter torqueri, haud obſcuris argumentis ſignificant. Pulchrum huius exemplum refert Rupertus Tuitienſis, in Vita S. Hereberti, Colonienſis Epiſcopi. Accidit Dæmoniacum quendam per varia Sanctorum loca, recuperandæ priſtinæ incolumitatis cauſa circumduci: ſed fruſtra. Tandem ad S. Herebertum venitur. Hic eum iubet adeſſe ſupplicationi, quæ in palmarum Domini ſolemni ritu apud Catholicos, peragitur. In hac cum Antiphona de Chriſti triumpho contra Diabolum cantatur, Dęmoniacus clamare atque vociferari. Iubet Antiphonam repeti Antiſtes; ſed repetitam non ferens Spiritus, obſeſſum reliquit hominem. Verùm de hoc argumento cap. 44. & ſequentibus 7.

Vt verò homines hæc horreant, quis credat? Horrebit forſitan Chriſtianus homo, ſi Pſalmũ Miſerere, vel dicat, vel dici audiat? Si orationem recitet Dominicam, vel quamcunque aliam? piam tamen? Si videat aut tangat ſanctorum Reliquias? Si ipſo præſente legantur Exorciſmi? Si Diabolo objiciatur, quod Deum creatorem ſuum reliquerit? 8.

Reperiantur hoc tempore tam deploratæ ſalutis Mortales; vt ex iam dictis quædam ferre nolint, putentque eſſe ſuperſtitioſa; quis tam eſt perditus, vt non ferat Dæmonibus improperari, quod *Deum creatorem ſuum reliquerunt?* Cùm igitur ad hanc orationem exhorreſcant Obſeſſi: cùm hanc adhibentes mendacij arguant; quis dubitabit, quin trepidatio, &, quæ mox audiuntur, blaſphemiæ, latentes Dæmones prodant? 9.

Non leue dixerim hoc ab his *Signis* petitum argumentum. forſitan etiam tale, quod cùm quibuſuis alijs conferri comparariúe valeat. In alijs enim, qui Dæmones ſunt, qui agunt; poſſunt illa, quæ in corporibus fiunt, dici non ab inhabitantibus, ſed aſſiſtentibus Spiritibus fieri: hîc quia patiuntur; omnino in ipſis corporibus reſidere dici videtur debere, in quibus, quòd patiantur, ſignis quibuſdam demonſtrant. 10.

Porrò, quemadmodum ſigna hæc Dæmones produnt, ita Dæmonum non hominum, in quibus ipſa notantur & obſeruantur, ſunt 11.

Digitized by Google

ſunt opera. Dæmones ſunt, qui hos tremores & trepidationes excitant. Dæmones, qui vociferantur, & vlulatus edunt. Dæmones, qui in aurem inſuſurrantes ſacra verba, mendacij arguunt. Obſeſsi nihil hîc, niſi membra ſua, inuiti, & quandoque ignorantes, accommodant. Et hactenus de Signis.

12. Et hactenus quidem de his ſignis, ex quibus, vt plurimùm, Dæmones deprehenduntur. Non negauerim interim Sanctis quibuſdā hominibus aliunde obſidentes Dæmones innoteſcere; & imprimis *diuina reuelatione*. De S. Parthenio refert Metaphraſtes 7. Februarij, quod cùm quidam ipſum tranſeundo ſalutaſſet, ſalutantem non reſalutarit, idcirco, quòd in eodem occultum cognoſceret latere Spiritum. Qua re alia, niſi *diuinitus ſibi facta reuelatione?* Sic rogatus aliquando Theodorus Archimandrita, vt Principis cuiuſdam filiam, quæ 18. annis ex graui morbo decumbebat, iuuaret; malum primùm dixit (diuinitus ſcilicet inſtitutus) à latente cacodæmone allatum: deinde ſanitatem profligato Spiritu reſtituit. Teſtis huius eſt Georgius presbyter in eius Vita, apud Surium Tom. 2. Forſitan & ſanctiſsimus Paulus hac ratione agnouit Spiritum, in puella, cuius B. Lucas meminit, Neque enim ſola confeſsio eius, qua Apoſtolum Apoſtolique ſocium *Dei ſeruos, qui viam ſalutis annuntiarent*, confitebatur, ſufficiens ſignum Spiritus obſidentis eſſe potuit: & Apoſtolum potuit latere, quòd eadem *quæſtum magnum ſuis dominis diuinando fecerit*. Lege cap. 16. Actuum Apoſtolorum.

CAPVT *XXVII.*

De Obſeſſorum hominum miſera conditione, ob mala, quæ Dæmones partim corporibus, partim animabus afferunt.

1 MIſeros eſſe homines, qui à Spiritibus Nequam obſidentur, dubium non eſt. *Vnde* miſeria hæc ſit, ſiue accidat, inquirendum eſt. In priori enim omnes conſentiunt, qui vel ſciunt, quid ſit homines eſſe obſeſſos; vel aliquando Obſeſſos viderunt. Quis vnquam fuit, qui Obſeſsis non condoluit? ipſorum non miſertus? Hinc non immeritò Dominus cuidam, quem à legione immundorum Spirituum liberauerat, præcepit, vt ad ſuos reuerſus *narraret; quanta ipſi Deus feciſſet*, quando à miſeria, quam Spiritus Nequam afferebant, abſoluit, Lucæ 8.

Miſe-

Miſeria verò ex *duorum altero* ſemper eſt. Ex *malis*, quæ hominibus afferuntur: & *bonis*, quibus priuantur. Vbi vel nullum affertur malum; vel nullius boni iactura ſit; quamuis ſibi *miſeri* quidam videantur, reuera tamen *miſeri* non ſunt. 2.

Nunc, quoniam *reuera miſeri* ſunt Dęmoniaci, videndum eſt, vtrum vel mala patiantur; vel bonorum faciant iacturam; vel ſimul cum bonorum iactura, aduerſa & mala ſuſtineant. 3.

Nec opus multis. *Mala* Obſeſsis afferri certum eſt: *Bonis* ipſos priuari certum eſt: duobus igitur nominibus ſunt *miſeri*. 4.

Verùm, quoniam & *malum* multiplex eſt; & *bonorum* varia ſunt genera: quot & quibus *bonis* miſeros homines priuant Dæmones? Quot etiam, & quæ *mala* ſunt, quæ adportant? Hoc ſecundum priùs diſcutiamus: poſtea alterum perſequemur. 5.

Mala igitur vel corporum ſunt, vel animarum. quæ & quanta Dæmones corporibus afferant, ſuperiùs demonſtratum eſt Capite ſexto dicamus igitur, quibus rebus incommodent *animabus*: ſiue quę ipſis mala inferant. 6,

Et quidam duplicia afferri fortaſsis dixerint, qui mores atq; ſtudia Obſeſſorum diligenter expendent. Vnum erit internus animi dolor; qui ex tanta, quantam Obſeſsi perpetiuntur, miſeria percipitur: alterum diuina offenſa, quam peccando Obſeſsi videntur incurrere. 7.

Ita forſitan quidam. Sed tamen, *vtrunque* hoc malum Obſeſsis Dæmones non afferunt. Iſti cauſa ſint doloris, & triſtitiæ, quam non paruam, ex tanta ſua miſeria homines percipiunt: ſed tamen *diuinam offenſam hominibus non conciliant*. propterea, quod hominibus, vt peccent, cauſa non ſint: nec hominibus peccatum vllo modo poſſit aſcribi, quod in ipſis reſidentes operantur Dæmones. 8.

Non negamus hoc loco, plurima peccata per Obſeſſos committi. Nunquid audimus blaſphemias? detractiones? conuitia? calumnias? Nunquid videmus mortem aliquibus interdum afferri? vulnera infligi? An forte hæc non peccata? Vtique Diuinam quoque hæc iram prouocant: ſed quamuis per Obſeſſos; non tamen ab Obſeſsis committuntur. 9.

Hæc omnia Dæmonum ſunt opera. Quapropter non miſeris Obſeſsis: ſed infelicibus Dæmonibus tribuenda, quemadmodum alias tribuimus iiſdem Reuelationem occultorum, Sermonẽ ignotum, Linguam peregrinam, Membrorum tremorem, atque his ſimilia. 10.

Vnum eſt, quod Obſeſſorum dicere poſſumus; quod, ſcilicet, 11.

Digitized by Google

ipſorum membris atque corporibus Nequam Spiritus vtantur: lingua ad formandam vocem: ore ad euomendas blaſphemias: manu ad mortem & vulnera afferenda,&c.

12. Sed tamen, nec tum ita membris hominum illi,quemadmodum iiſdem ipſi homines vtuntur. Dum ſuis vtuntur homines, actiones verè membris poſſunt tribui. ipſi illa ad agendum mouent: & verè membra agunt.Dum ijs in Obſeſsis vtuntur Spiritus, nec propriè ijs operationes poſſunt tribui: nec verè ipſa ſunt, quæ agunt membra: ſed aguntur potius, & impelluntur ab inhabitantibus Dæmonibus.

13. Hæc cauſa eſt, vt *peccatum hominum non ſit,* quodcunque tandem hic committitur: ſed nec hominibus vitio vertatur, aut dedecori, qualecunque etiam flagitium committitur: quemadmodum vitio non datur ſecuri, quod illa latro ad homines trucidandos vtatur.

14. Hæc cauſa eſt, vt *ad reſarcienda damna non teneantur Obſeſſi;* ſi quæ per illos allata ſunt. Sicuti non ipſi ſunt qui peccant: ita nec ipſi damna afferunt,aut corporibus,aut fortunis.Quod ſi qui ad damnorum reſtitutionem, quæ per Obſeſſos afferuntur, tenentur; illi tenentur,ad quos Obſeſſorum cura, quouis modo, ſpectabit; & quorum negligentia(quam cauere poterant, & debebant) damna allata ſunt.

15. Hæc deniq; cauſa eſt, cur *de Obſeſſis ſupplicia non ſumantur,* quamuis maxima per ipſos committantur flagitia. An fortè iuſta ſunt ibi ſupplicia, vbi nulla delicta? Si pro quantitate delictorum quantitas debet eſſe ſuppliciorum; nulla erunt ſupplicia, vbi nulla(quòd hic accidit) ſunt delicta.

16. Porrò quamuis à peccatis Obſeſſos liberemus: non liberamus tamen ab *omnibus.* Quædam ſunt, quæ ipſi committunt, à quibus non minus, quàm non Obſeſsi, ſunt excuſandi. Talia ſunt, quæ & per ipſos, & ab ipſis fiunt, & propria ipſorum voluntate perpetrantur.

17. Neque enim ſemper moleſti ſunt Obſeſsis Dæmones. Quandoque ſibi relinquuntur, & moleſtias nullas patiuntur. Tunc, quemadmodum poſſunt apud Deum mereri bene; ita & diuinam iram proprijs peccatis prouocare poſſunt.

18. Ex auctore igitur operum peccata Dæmonum & Obſeſſorum diſtinguenda ſunt. Si Dæmones habent auctores, Dæmonum ſunt: non hominum peccata. At hominum ſunt, non Dæmonum; quorum ipſi homines cauſa exiſtunt.

Errant

Errant igitur plurimum, qui quæcunque ab Obſeſsis hominibus flagitia fieri conſpiciunt, illa mox ipſis Obſeſsis tribuunt, hincque Obſeſſorum miſeriam metiuntur. Quàm eſſet miſera ipſorum conditio, ſi quæcunque per Obſeſſos fiunt, ipſorum culpa fiunt? Quomodo Deum à peccato excuſabimus, qui iuſtiſsimas ob cauſas Mortales huic miſeriæ, vt à Dæmonibus poſsideantur, ſæpè ſubijcit. 19.

Et ſancti quidam viri, Deoque chariſsimi inueniuntur, qui Dæmonum carnificinam, in ſuorum peccatorum vindictam, à Deo poſtularunt; an fortè etiam poſtularunt, vt Deum peccatis offenderent? & hæc illis pro peccatorum expiatione exercitatio & vexatio tribueretur; quam ſine Dei grauiſsima offenſa ſuſtinere non eſſet poſsibile?

Errant quoque, qui omnia, quæ per Obſeſſos fiunt, Dæmonibus obſidentibus tribuunt; omnibus cenſent veniam dandam. Non omnia Dæmonibus tribuenda. Non omnibus venia danda. Pleraque contriti cordis ſignificatione, ſacramentali confeſsione, dignisque pœnitentiæ fructibus ſunt expianda. 20.

Errant, qui culpas ipſas partiuntur; partimque cenſent Dæmonibus, partim Obſeſsis tribuendas. Quamuis fortè in aliquibus partitio hæc locum habere poſsit; non tamen habet in omnibus. Quædam totæ Dæmonibus ſunt tribuendæ: quædam Obſeſsis totæ. 21.

Dictis addendum eſt, quod quamuis peccatorum Dæmones in Obſeſsis hominibus cauſa non ſint; nec vllam per ſe culpam ipſis affricent; ad peccata tamen multum eoſdem poſsint promouere, & impellere. Nec mirum. Si poſſunt, quos non poſsident; quidni poterunt, quos poſsident. 22.

Quot verò impellunt ex ijs, quos non poſsident? Id Chriſti ſatis ſuperque docet oratio; dum *Principes huius mundi* ipſos vocat. Docet oratio B. Pauli, qui & *Principes vocat poteſtatis aëris*, & operari dicit, *in filios diffidentiæ.* Docet ſanctiſſ. Auguſtinus, qui appellat *cupiditatum* Ioan. 12.
Principes, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit. De agone Chriſt. Ephes. 2.
cap. 1. 23.

Et ad quot, quamque diuerſa impellunt peccata? Excitant in alijs odium fraternum quoniam, vt Apoſtolus loquitur: *qui odit* 1. Ioan. 3.
fratrem ſuum, homicida eſt: & Diabolus homicida fuit ab initio. In alijs Ioan. 8.
ſtudium mentiendi: hinc Diabolus *mendax* dicitur à Domino, *& pater eius.* In alijs libidinem: ob quam cauſam ab eodem Domino dicitur *Spiritus immundus.* In alijs ſuperbiam: hinc Dæmon dicitur Luc. 11.
Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. In alijs auaritiam: propter quod de Iob 41. 24.

Iuda auaro dicitur; *vnus ex vobis Diabolus eſt.* In alijs iracundiam: vt ob Iohan.6.
Ephe ſ.4. id optimè admonuerit Apoſtolus curandum, ne *ſol occidat ſuper iracundiam, ne ſit locus datus Diabolo.* In alijs dolum & deceptionem, vt Apoſtolus indicat, cùm *Elymam Magum* vocat *filium Diaboli.* Act.13.

25. Hæc poſſunt in non Obſeſſos Spiritus. Poterunt eadem in miſeros Obſeſſos. Non minor eſt in hos, vt diximus, quàm in non Obſeſſos, ipſorũ poteſtas. Quid, quod in hos plus poſſe videri debeãt? tum quia à pluribus & maioribus bonis poſſeſſos à ſe, impedire valent: tum etiam, quia in vires illas, quas peccando voluntas ſequitur, maiores poſſunt facere impreſsiones.

26. Vtroque enim modo ad peccatum calcar addi, dubium nullum eſt. Priori quidem, quia virtutum officia haud parum impediunt peccata: quapropter dum in his homines impediuntur, ad vitia quaſi inuitantur. Poſteriori verò, quia arduum eſt, & difficile voluntati, vt aliam ingrediatur viam, quàm ad quam apparentis, boni ſpecie, aut appetitus atque affectuum impulſu inuitatur.

27. Iam verò, dictis rationibus in Obſeſſos plurimùm poſſunt Dæmones. Poſſunt in virtutum ſtudio impedire. poſſunt in illas facultates, ad quas ſe voluntas accommodat, magnos impetus facere. Prius illud ſequenti capite demonſtrabitur: poſterius intelligit, qui eas meminerit Dæmonum eſſe vires, vt & ſpecie apparentis boni poſsint facultates, quas *Cognoſcitiuas* dicimus, dementare; & mirabiles in corpore atque appetitus facultatibus motus ciere.

28, *Tribus* igitur *modis* ad peccata Obſeſſos promouebunt Dæmones. Vno indirectè, duobus directè. Indirectè, dum à bonis vel auocant, vel impediunt: Directè, primò, dum ſpecie fallacis boni inuitant: deinde dum, vt voluntatem ad peccandum inclinent, potentias inferiores appetitiuas, & prauos in homine motus in ſubſidium aſſumunt.

29. Sed tamen ita promouent, vt ſuam voluntati libertatem nunquam demant: nullam etiam ei de in neceſs tatem imponant. Valeãt viribus Impoſtores quàm maximis; tantis non valent, vt hominum voluntates, quò delectat, poſsint impellere.

30. Et quamuis maximas ex omni parte machinas adhibeant: plena tamen eſt libertas voluntati: non ea tantum ratione, quod cogi non poſsit: ſed etiam, quod conatibus Dæmonum valeat non aſſentiri: valeat ſe opponere: valeat ſuperior eſſe: valeat contraria virtutum ſtudia exercere.

31. Hinc ſequitur ex hac Dæmonum vexatione Dæmoniacos poſſe que-

ſe quaſtum facere. Quommodo verò? ſi impotentibus Dæmonum conatibus reſiſtant;& dum ad peccata vrgentur,in peccata non conſentiant. Hic,vt difficilior victoria;ita ſpecioſior triumphus,& merces copioſior. Atque hoc de *malis*,quæ per Spiritus Nequam Obſeſsis hominibus afferũtur,dictum ſit. Nunc quibus *bonis* per eoſdem priuentur,videamus.

CAPVT *XXVIII.*

De Obſeſſorum miſera conditione, ob bona,quibus per Dæmones priuantur.

QVamuis *bonorum* genera multa ſint, de quibus tamen præſentis Capitis inquiſitio eſt,ad duo prima poſſunt reuocari. Quædam enim ſunt futuræ vitæ.quædam præſentis. Futuræ vitæ ſunt gaudia regni cælorum; huius, quæcunque ad futuræ illius vitæ conducunt. 1.

*P*oſteriora hæc in *triplici* ſunt ordine.primò ſunt habitus Theologici, Spiritus S.dona atque imprimis fides, ſecundò ſunt exercitia virtutum,quę bona opera dicimus.tertiò,eſt vſus Sacramentorum, præcipuè verò,ſacroſanctiſsimæ Eucharistiæ. 2.

De his quæſtio eſt. Quæritur; *Vtrum his omnibus Obſeſſos homines priuent Spiritus*;ita ſcilicet,vt ad vitam æternam aditus ipſis ſit præcluſus;orbentur Chriſtiana fide:non poſsint quidquam boni,quod illis conducat ad vitam æternam: Non etiam ſint admittendi ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum;atque alia Chriſtianæ religionis myſteria. Quod res eſt,breuiter definimus. 3.

Spe vitæ æternæ non priuant Dæmones dæmoniacos. Non idcirco, quia aliquis Obſeſſus eſt,à regno cælorum eſt excluſus. Aſſertioni facilè credunt,qui regni illius norunt illas eſſe leges,vt nullum repellat, niſi quem conſcientia peccati alicuius lethalis grauat:à quo cum liberi eſſe poſsint ij,quos Dæmones inhabitant; omninò credendum eſt,non ijs aditum ad cælum eſſe præcluſum. 4.

Fide Obſeſſos priuat Daniel Toſſanus Profeſſor Heydelbergenſis, (Epiſt.ad Petrum Thyręum.) ſed *malè*. Si ſaluari non poſſunt,qui fide carẽt (*ſine fide enim impoßibile eſt placere Deo*) ſaluari autem poſſunt Dæmoniaci,dum ex hac vita diſcedunt; quomodo dici poteſt, ipſos carere fide? 5. *Heb.13.*

Et quid eſt, quod fide priuat? An Spirituum tanta eſt in homines poteſtas;vt & corpora,quę ingrediuntur poſsint vexare,& mentem ſuo decore, atque lumine ſpoliare? Poſsint quiduis in corpus; 6.

Digitized by Google

in animam poſſunt nihil. Solus Deus eſt, qui in animas, quemadmodum & Spiritus omnes, plenum abſolutumque habet imperium.

7. Quæ fidei, eadem *aliorum habituum*, qui in anima ſunt, ratio eſt. vt non fide, ita nec ijs priuare poſſunt Dæmones. Quod ſi quando horum iacturam Obſeſſi faciunt, proprijs hoc ipſorum fit demeritis; non vi atque efficacitate Spirituum.

8. In *virtutum exercitio* quoque eadem Obſeſſorum, atq; non Obſeſſorum conditio eſt. Non peccant ſemper non Obſeſſi. Nec peccant ſemper Obſeſsi. Poſſunt tam hi, quàm illi virtutum Theologicarum, atque Moralium exercere officia. Poſſunt actus edere, quibus diuinam ſibi miſericordiam concilient; quibus gratiam augeant; quibus gloriam eiuſq; augmentum acquirant; prout conditio ſtatus eorum, à quibus opera hæc proficiſcuntur, permittit.

9. An fortè ab Altaris Sacramento arcendi ſunt Dæmoniaci? Non ſunt. Patrum pro ipſis eſt ſentẽtia. Eis, inquit, Caſsianus, teſte D Thoma 3. p. q. 80 ar. 9. qui ab immundis vexantur Spiritibus, Communionem ſacroſanctam, à ſenioribus noſtris nunquam inuenimus interdictam. Hic locum habet, quod in Arauſicano Concilio habetur, canone 3. Amentibus quæcunque pietatis officia conferenda ſunt. 26. 46. cap. Qui recedunt. Nec deeſt hic exemplum Virginis, quæ, porrecta Euchariſtia, etiam à malo, quod Dæmon afferebat, eſt liberata. Aſcribimus illud hic ad longum ex Proſpero Aquitanico; quia pluribus locis in hac Diſputatione ſeruire poteſt. Noſtris, *inquit*, temporibus Aſparo V.C. Conſule Carthagini conſtituto, hoc ſignum diabolicum menſtruoſumq;, quod illic accidit, quis ignorat? Quædam iuuencula, Araba natione, ancillæ Dei habitum geſtans, cùm in balneo lauans, ſimulachrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret, & ſeipſam, eiq; ſe conſimilans, domicilium ſe Diabolo præbuit. Statim ille Leo, qui rugiens circuit, quem quærebat inuenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum, nullum potum, traijciens, per ſeptuaginta fermè dies, totidemque noctes ieiunium ſibi Diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpacia auferri poſſe ſperantes: dum iuge malum vlterius tolerare non poſſunt; ſimul cum filia ſe ingeſſerunt Sacerdoti: quæ acta erant fideliter indicantes. Hoc tantùm puella fatebatur, auem quandam noctis medio comparere, quæ ſibi ore, neſcio, quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis, videre puellam nullis indicijs diurni ieiunij fœdatam: nullo pallore ſeu tabe, vel debilitate coniectam; quin potius robuſtam

buſtam ſucco viſcerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quæ dicebantur; habito conſilio in monaſterio puellarum, in quo Reliquiæ S. Stephani ſitæ ſunt, ſacerdos puellam ſimul & Præpoſito commendauit. Illic prima tãtùm die apparuiſſe illam auem aſſeruit, ſibique increpaſſe, quòd neque fame, neque ſiti compulſa illum appeteret locum, quò ſibi accedere non liceret: Per duos ſanè hebdomadas nihil cibi vel poculi ſumens in monaſterio manſit. Accidit autem, vt quintus decimus Dominicus illuceſceret dies, aſcendente nobiſcum ſacerdote, vt matutinum illic Sacrificium ſolito offerretur. Puellam Præpoſitus ad altare perduxit; eo inceſſu & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis poculiſque mulieres aduenire. Sed vt ſe illa proſtrauit altari, clamore fletus ſui cunctis aſtantibus gemitus lachrymaſque induxit, quibus tantum auferendum malum præſens plebs Dominum exorabat: erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto igitur Sacrificio, cùm eadem inter cæteras breuem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet, ſemihora mandens traijcere non valuit, nondum illo fugato, de quo Apoſtolus dicit (1. Cor. 10.) Quæ conſonantia Chriſti ad Belial? & iterum (2. Corinth. 6.) Non poteſtis calicẽ Domini bibere, & calicem Dęmoniorum. Manu igitur faciem eius ſuſtentante Sacerdote, ne Sanctum proijceret; à quodam Diacono ſuggeſtum eſt, vt Calicem ſalutarem gutturi eius Pontifex applicaret. quid factum eſt? Statim locum illum, quem Diabolus obſederat: Saluatoris imperio reliquit: Sacramentum, quod ore geſtabat, cum laude Redemptoris tranſglutiuiſſe puella clamauit. Hinc lætitia: hinc voces in gloriam Dei, quod poſt octoginta & duos dies diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici. Hactenus Proſper, de Promiſſ. & Prædicat. Dei dimid. Temp. cap. 6.

Aliorum mentionem facit Caſſianus, iam à nobis citatus, & Collat. 7. cap. 30. cùm oſtendiſset ſacram Communionem Obſeſsis non negandam, ſic loquitur: Hoc namque modo (porrecta ſcilicet Euchariſtia) curatum & Abbatem Andronicum nuper aſpeximus, alioſque quàm plures. Sacroſancta Communio, inquit ibidem, ad purgationem ac tutelam corporis animæque prouenire credenda eſt: quæ ab homine percepta eum qui in membris eius inſidet Spiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut quodam exurens fugat incendio. Ibidem oſtendit obeſſe Obſeſsis dilatam Communionem.

Digitized by Google

nionem. Magis namque magis, inquit, inimicus inſultabit offenſo, cùm enim à cæleſti medicina viderit ſegregatum: tantoque durius ac frequentiùs attentabit; quanto eum à Spirituali remedio longius ſenſerit abdicatum. Ita Caſsianus.

10. Verùm quamuis Obſeſsis Communionem ſacram porrigi poſſe dicamus; non dicimus tamen *omnibus* porrigendam; ſed nec *quouis tempore*, quibus alioqui permitti poteſt, porrigendam. Obſeſſorum quidam ſunt, quos ab ineunte ætate Dæmones poſſederunt, & moleſtare nunquam deſierunt, qui præter externam hominis formam, vix quidquam hominis habent: hos quia à beſtijs non multùm dixerimus differre, à Communione cenſemus arcendos. Adultorum eſt hic cibus. Poſtulat; vt nullus, niſi probatus, accedat. quòd cùm in Obſeſsis deſideretur: non iudicamus ad Dominicam menſam illos admittendos.

11. Sunt alij, qui tantas moleſtias à Spiritibus non patiuntur; ſed quandoque requiem habent: ſibi interdum relinquuntur; ſibi ſunt præſentes. Hi, quia hunc cibum ab alio valent diſcernere; & ad eundem ſe cum reuerentia ſuſcipiendum præparare, libere poſſunt ad ipſum, cum fructu, percipiendum accedere: veruntamen tunc temporis, quando Dæmones moleſti non, ſunt nec vlla Sacramento irreuerentia timetur. Hinc Timotheus Alexandrinus in ſuis Reſponſionibus, Capit 3. dicit Obſeſſos communicandos eſſe, *non ſingulis diebus, ſed ſtatis temporibus.*

Quocirca quòd Dionyſius Areop. cap. 3. de Eccleſ. Hier. dicit *Energumenis non dandum hoc Sacramentum*; de non baptizatis intelligendum eſt ex ſententia S. Thomæ 3. p. q. 80. a. 9. ad 2. Et quod Can. 39. Concilij Elibertini habetur. *Energumenum, qui ab erratico Spiritu exagitatur, nec nomen quidem ad altare cum oblatione eſſe recitandum*, accipiendum eſt de eo, qui propter pub'ica ſcelera, publicè etiam à Dæmonibus vexatur, & ab Eccleſia excommunicatur; iuxta illud D. Pauli Corinth. 5. *Iudicaui tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* ita Soarez ad ar 9. q 80 3 p. S. Thomæ.

12. Minor eſt de *alijs Sacramentis* difficultas Si de peccatis commiſsis dolere poſſunt; ſi facere propoſitum melioris vitæ: ſi coram Sacerdote facere peccatorum confeſsionem; quidni abſolutionis beneficium, in Pænitentiæ Sacramento percipient?

13. Sic, ſi *baptizati* nondum ſunt Obſeſsi; poſſunt baptizari: præſertim, ſi, dum ſibi præſentes fuerunt, Sacramentum Baptiſmi petiuerunt. Poſſunt quoque baptizari, etſi baptiſmum nunquam petiuerunt:

runt; modò Chriſtianis parentibus nati ſint, & ratione tantùm nunquam valuerunt, vt Baptiſmum petere potuerint. Si Chriſtianorum infantibus Baptiſmus conferri poteſt, his non poteſt?

Ex dictis ſequitur Conditionem Obſeſſorum non eſſe omnium miſerrimam. Multi ſunt, qui; quamuis non videantur, multò tamen ſunt Obſeſsis miſeriores. 14.

Deterior eſt Conditio *Infidelium*; ſiue illi Hæretici ſint, ſiue Pagani, ſiue Iudæi. Deſtituti ſunt hi ſummo maximeq; neceſſario bono, fide, quo *ſine impoßibile eſt placere Deo*: hac Obſeſsi deſtituti non ſunt. 15.

Deterior quoque eorum conditio eſt, *qui in peccati ſunt lethalibus*. Nullum hi ad vitam æternam ius habent. Omne, quod habuerunt, per peccatum amiſerunt. Hoc priuati non ſunt Obſeſsi. Poſſunt Dei gratia eſſe inſtructi, atque, vt filij Dei, hac ratione caſtigari, abſque vlla ſalutis æternæ, & humanæ felicitatis iactura. Vide Caſsianum Collat. 7. cap. 25. 16.

Deterior etiam eſt eorum, *qui per Eccleſiaſticam Cenſuram à Chriſti corpore ſeiuncti ſunt*; non idcirco ſolùm; quia ad Sacramenta percipienda non admittuntur; quæ Obſeſsis negata non ſunt; verùm etiam, quia bonorum, quæ in Chriſti Eccleſia omnibus fidelibus communia ſunt, fructu priuantur, & in ſalutis diſcrimine, niſi ad Chriſti Eccleſiam redeant, verſantur; quæ in Obſeſſos non cadunt. 17.

Parua igitur, vel nulla, eſt Obſeſſorum miſeria. dicit aliquis, ſi ex *bonorum* iactura, quam Obſeſsi faciunt, illa peti debet. Quid ita? quoniam hactenus demonſtratum eſt, & nullo *bonorum* triplicium quæ poſuimus, ipſos priuari; & præterea multò meliorem eſſe conditionem Obſeſſorum, quàm aliorum aliquorum; quos tamen nos omnino infelices iudicamus. 18.

Eſto, ſint alij Obſeſsis infeliciores; ſed tamen non idcirco ipſorum nulla miſeria. Etſi minor ſit, aliqualis tamen eſt. Non etiam Obſeſſos priuent Dæmones ijs *bonis*, quorum meminimus; priuant tamen *bonis*, *& priuant multiplicibus*. 19.

Duplicia, præcedenti Capite, mala diſtinximus, Corporis & Animæ: diſtinguimus iam *duplicia bona*: nam & Corporis quædam ſunt, & quædam Animæ. Si Dæmones animæ bonis non priuant; profectò *Corporis* priuant. Res clara eſt eorum exemplis, quos Obſeſſos accepimus. 20.

Sed & in *Anima* bonis miſeri detrimenta patiuntur· & quidem illis ipſis, de quibus initio præſentis Capitis quæſtio fuit inſtituta. quod qua ratione fiat ſequentibus demonſtramus. 21.

L Non

22. Non eſt adempta *Spes vitæ æternæ* per Dæmones Obſeſsis: ita ſuperius Theſi 4. Sed tamen, qui propter grauia crimina ipſi ſibi cauſa fuerunt, vt hanc Dæmonum carnificinam ſuſtineant; & iuſto Dei iudicio Spiritibus Nequam relinquuntur; nec tantum ſpacij à vexatione liberum habent, vt ad ſe aliquando redeant, & de commiſsis peccatis pœnitentiam agant; in præſentiſsimo ſalutis diſcrimine verſantur.

23. *Fide* non priuant obſeſsos ipſi Dæmones. ita Theſi 5. Veruntamen quoſdam ne ad fidem animum adijciant, impediunt: alios etiam, qui fide inſtructi ſunt, ne fidei actus, cum ſuo emolumento, eliciant, retardant.

24. Quæ fidei, eadem eſt *aliorum habituum* ratio. Nam quibus impedimento Dæmones ſunt, ne fidem Chriſtianam complectantur; illos quoque, ne reliquos, qui vel fidem ſequuntur, vel cum fide coniuncti ſunt, habitus obtineant, impediunt. Et quemadmodum quoſdam retardant, ne fidei actus exerceant; ita ne reliquarum virtutum qualeſcunque etiam illæ ſint.

Quod igitur diximus, Theſ. 7. in *virtutum exercitio* Obſeſſorum, & non Obſeſſorum eandē conditionem eſſe; ea ratione dictum eſt, ne hoc ipſo, quia Obſeſsi ſunt, hominibus virtutum officia interdicta crederentur. quoniam, non quicunque obſeſsi ſunt, à virtutum ſchola ſunt excluſi, quamuis magna detrimenta perſæpe patiantur.

25. Quid, quòd præcipua *bonorum* iactura, quam patiuntur Dæmoniaci, ex *virtutum officijs* petatur? Norunt qui in Catholica religione probè inſtituti ſunt, haud parua ad animas lucra ex virtutum ſtudio prouenire. Norunt magnam meſſem in animarum horrea inuehi, per Iuſtitiæ Chriſtianæ officia. Quando igitur ab his Dæmoniacos Dæmones auocant: quando in his impediunt, vel retardant; magnis bonis mortales, Dæmonum malitia, priuari negari non poteſt.

26. Sed fortè virtutum ſtudia non valent impedire Spiritus. Quidni valerent? Valent optime, & valent non vno, ſed multis modis. Nam *principio* multa ſunt, quæ non niſi corporum miniſterio exercentur. hæc, quoniam corpora in ſua poteſtate habent Dæmones, ipſorum opera & poſſe impediri, & frequenter impediri, extra omnem controuerſiam eſt. *Deinde*, mentem præſentem eadem poſtulant, &, vt cum ratione atq; iudicio fiant, requirunt. at mens, cū ad phantaſmata (in quæ haud parum poſſunt Spiritus) in ſuis operationibus recurſum habere debeat; tam facilè perturbabitur, & impedie-

pedietur; quàm eſt facilè à Spiritibus hominis phantaſiam perturbari. Requirunt *tertiò* operam voluntatis; ſine qua nihil prorſus in homine rectè peragitur. At in hanc quidem per ſe nihil poſſunt Dæmones: ſed tamen, quia ipſa in corpore eſt; corporis commodis iuuatur, & detrimentis retardatur. quapropter, qua ratione corporibus incommodant Spiritus, eadem voluntatem impediunt.

Ex dictis perſpicuum eſt, quæ in tertio bonorum genere, *Sacramentorum* inquam *vſu*, detrimenta Dæmoniaci capere poſſunt. Cùm enim hæc, vt plurimùm, ſint vel actus virtutum; vel cum virtutibus coniuncta; eadem in Sacramentorum vſu detrimenta patientur Dæmoniaci; quæ in ipſis ſentiunt virtutum officijs. Hæc de *bonis*, quibus Obſeſſi priuantur. 27.

CAP. XXIX.

An ſemper ſuæ miſeriæ & tyrannidis, quam patiuntur, Obſeſſi à Dæmonibus, ſint cauſa.

DE cauſa, ob quam homines à Dæmonib. obſidentur, quæſtio eſt; atque, *Vtrum ipſimet ſuorum malorum authores ſint*, in controuerſiam vocatur, quanquam propriè non tam hoc, quàm Vtrum *ſemper* authores ſint, quæritur: & ſi non ſemper ipſi; quibuſnam cauſis ipſorum miſeria aſſcribenda ſit. 1.

Vnum igitur eſt, quod hoc loco quaſi ponitur; alterum, quod in controuerſiam vocatur: tertium, quod ſe vltro quaſi inſinuat, & reſponſionem poſtulat. Ponitur Obſeſſos quandoq; malorum ſuorum eſſe cauſam. Quæritur, An etiam ſine ſuo merito hæc aliquando patiantur. Ad hæc accedit, vt, quoniam ſine Dei prouidentia hîc nihil fit, explicemus, quantum conſequi poſſumus, eiuſdem prouidentiæ cauſas, quando abſque vlla ſua culpa mortales Dæmonum tyrannidem patiuntur. 2.

Hypotheſis certa eſt. Conſtat frequentiſsimè accidere, vt *propter peccata ſua Dæmonum carnificinam ſuſtineant homines*. Tradidit *Sathanæ Corinthium* quendam D. Paulus, propterea; quòd inceſtum commiſiſſet. Idem Paulus *Satanæ tradidit* Hymenæum & Alexandrum, ob blaſphemias. 3. 1. Corinth. 5. 1. Tim. 4.

De Maria Magdalena teſtatur hiſtoria Euangelica, pluribus locis, Dominum *ſeptem Dæmonia* eieciſſe: & quamuis diſertis verbis cauſam non aperiat, ob quam fuerit Obſeſſa: peccatis tamen ſuis id ipſam meruiſſe, inſinuat, dum *peccatricem* compellat: vt de Patrum ſententia hîc nihil. 4. Marc. vltimo Luc. c. 53.

bat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiuſmodi, quæ ſolent morituræ Virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet; perrexit Memphim; vt confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Igitur poſt annum doctus ab AEſculapij Vatibus, ſubter limen domus puellæ, tormenta quædam verborum, & portentoſas figuras, ſculptas in æris Cyprij lamina, defodit. Illicò inſanire Virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad Monaſterium, Seni (*Hilarioni*) traditur, vlulante ſtatim, & confitente Dæmone: Vim ſuſtinui, inuitus ſum adductus. Quàm bene Memphis ſomnijs homines deludebam? O cruces, O torméta, quæ patior? Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non exeo, niſi me Adoleſcens, qui tenet, dimiſerit. Tunc Senex, Grandis, ait, fortitudo tua; qui lino, & lamina ſtrictus teneris. Dic, Quare auſus es ingredi puellam Dei? Vt ſeruarem, inquit, eam virginem. Tu ſeruares proditor caſtitatis? Cur non potius in eum, qui mittebat, es ingreſſus? Vt quid, reſpondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris Dæmonem. Noluit autem Sanctus iubere ſigna perquiri, ne aut ſolutis incantationibus Dæmon receſsiſſe videretur; aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem. aſſerens fallaces eſſe Dæmones, & ad ſimulandum callidos. Seuerè autem, reddita ſerenitate, increpuit Virginem. cur feciſſet talia, per quæ Dæmon intrare potuiſſet. ita B. Hieronymus.

Egregiè Hypoteſin hæc exempla confirmant. ſed non minus ratio. Quid mirum, ſi per Dæmones, in præſenti vita, Deus peccata vindicet; quæ per Dæmones, in futura vita eſt vindicaturus? 10.

Quid mirum, ſi in homines immittat Spiritus Nequam, qui pœnas, ob malè actam vitam exigant; quando non raró Spiritus excitauit, vt (quamuis non in hominibus, ſed extra homines poſiti) extrema mala, atque adeò mortem infelicibus afferrent? Optimè dictum eſt à Pſalmographo, quòd *mittat indignationem iræ ſuæ, per Angelos malos.* 11.

Non vna ratio peccata vindicandi Deo eſt, varias habet. Nunc pugnant pro ipſo elementa & cælum: nunc armat ſæuas beſtias. Vtitur etiam Spiritibus aliquando bonis, aliquando malis. Et quidni? *Nónne pro ipſo pugnaturus eſt totus terrarum orbis?* 12.

Hinc bene B. Auguſtinus 4 Ciuit. ca. 34. *Dæmones*, inquit, *niſi quos fallendo deceperunt, poſſidere non poſſunt.* & rurſus: *Poteſtas inimica vincit, aut ſubiugat neminem; niſi ſocietate peccati.* lib. 10. de Ciuit. Dei. cap. 22. Bene quoque Dæmon, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, 13.

inter-

interrogatus à Triphone, viro ſancto: Cur puellam intraſſet, reſpondit; Dæmones in illos habere poteſtatem, qui opera ijſdem grata exercent: qualia ſunt, inquit, cultus ſimulachrorum, blaſp[illegible], adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes, &c. Metaphraſtes in Triphone
14. 1. Februarij.

Idem confirmat B. Auguſtini ad obiectionem, quam ſibi facit reſponſio: Dicit aliquis, inquit, ſi ligatus eſt Diabolus, vt eſt; quare adhuc tantum præualet? Verùm eſt, reſpondet, fratres chariſsimi, quia multum præualet: ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim, tanquam canis catenis innexus, & neminem poteſt mordere; niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Ita B. Auguſtinus, Serm 197. de Tempore. Idem Caſsianus, Coll. 7. cap. 24. Conſtat, inquit, immundus Spiritus non aliter poſſe in illos, quorum corpora obtenturi ſunt, penetrare; niſi prius eorum mentes cogitationeſque poſſederit. Quos cum timore ac memoria Dei, vel ſpirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præſidio, ac munitio diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in ijs veluti in poſſeſsione ſibi tradita præſumentes. Ita Caſſianus.

CAPVT XXX.

Ob quas ſuas culpas Obſeſſi patiantur tyrannidem Dæmonum.

1. CVlpæ aliæ Lethales ſunt, aliæ Veniales. Illæ diuinam vindictã prouocant; & *Mortales*, quia mortem animæ afferunt, dicuntur: hæ nomen à venia, quam facilè obtinent ſortiuntur. Vtrumque genus varium eſt, & multiplex; prout contingit Deum varijs multiſque modis offendere.

2. De his quæritur, *Quænam ſint, quæ Dæmonibus oſtium, vt homines ingrediantur, patefaciunt*; an Lethales tantum, an etiam Veniales: Et ſi vel alteræ, vel vtræque; *Omnéſne* illius generis id præſtent: an potius in ſingulis generibus *certa ſint*, & determinatæ. Res, quia difficultatem non ita magnam habet, breuiter expedienda eſt.

3. Certum eſt *ob Lethales homines à Dæmonibus poſsideri*. Docent hoc omnia propemodum ſuperioris Capitis exempla: tam illa, quæ ſacræ literæ: quàm, quæ prophanæ Hiſtoriæ ſubminiſtrant: quocirca longiori probatione opus non eſt.

Cer-

Certum quoque Veniales culpas Dęmonibus hominesingrediendi occaſionem præbuiſſe. *Corporaliter traditas Satanæ, inquit Caſsianus*, Coll. 7. cap. 25. vel infirmitatibus magnis, etiam viros ſanctos nouimus, pro leuiſsimis quibuſque delictis. Fortè hoc probat exemplum puellæ, quòd alias cap. præcedente ex B. Hieronymo adduximus. Fortè etiam alterius, cuius Proſper Aquitanicus meminit; quæ cùm in balneo quoddam Veneris ſimulachrum nimis impudicè intuita eſſet, ſeſque eidem aſsimulaſſet; mox à Diabolo obſeſſa eſt; & ita vexata, vt Nequam Spiritus gutturis meatus occuparet, facultatem ſumēdi cibū & potum ad ſeptuaginta dies adimeret. Vide c. 28.

Quod ſi de harum Veniali culpa dubium eſt: certè dubium non eſt de Abbatis Moyſis, & Virginis cuiuſdam monialis: quorum ille, teſte Caſsiano, libr. 7. Coll. cap. 27. poſſeſſus fuit, propter impatientiam, & duriùs prolatum verbum: hæc propter leuiorem gulam, vt habet B. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. Sed exempla non noſtris, verùm ipſorum verbis aſſcribamus. De Moyſe igitur ſic Caſsianus, Coll. 7. cap. 27. Cùm eſſet, *inquit*, Moyſes ſingularis & incomparabilis vir, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulit, quadam ſcilicet opinione prętentus, tam diro confeſtim eſt traditus Spiritui, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria ſe Dominus intuliſſe; ne ſcilicet in eo vel momētanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atq; aucto remedio demonſtrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs Nequam Spiritus ab eo fugatus abceſsit. Hæc Caſsianus. 4.

De Virgine ſequentia B. Gregorius, 1. Dialog. c. 4. Quadam die, inquit, vna Dei famula hortum ingreſſa, quæ lactucam conſpiciens concupiuit, eamque ſigno Crucis benedicere oblita, auide momordit. ſed correpta à Diabolo, protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem P. Equitio ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxq; vt hortum ijdem Pater ingreſſus eſt, cœpit ex eius ore, quaſi ſatis faciens, ipſe qui hanc arripuerat Diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa & momordit me. Qui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt diſcederet: & locum in omnipotentis Dei famula non haberet, qui protinus abſceſsit nec eum vltra contingere præualuit. Hæc Gregorius. 5.

Et quamuis Venialia, leuia peccata ſint; & à venia, diximus, quam facilè obtinent, nomen habeant; nulla tamen ſit homini- 6.

bus

11. Altera eſt *Sacroſanctæ Euchariſtiæ abuſus*. Pro hac ibidem afferet exempla Cyprianus: referẽs & viros,& mulieres à Spiritibus malis obſeſſos fuiſſe,quod ſine Confeſsione, atque Pœnitentia peccatorum, ad menſam Domini acceſsiſſent. Fortè cùm his quidam Corinthiorum coniungendi ſunt, 1.Corinth.11. quos infirmatos & morbis ſubiectos recenſet Apoſtolus, idcirco quòd non probati Sacramentis altaris communicarent.

12. Tertia eſt *Blaſphemia*, Hæc Dæmonibus oſtium aperuit,qui Alexandrum & Hymenæum ſunt ingreſsi. Refert quoque Gregorius Turonenſis,de Gloria Confeſſorum,cap.67.Maurum fuiſſe, qui cum ſeruum ſuum ad Baſilicam S. Lupi (apud Tricaſsinorum Campaniæ vrbem ſepultus iacet)fugientem inſequeretur,& iam eſſet aſſecutus:blaſphemias euomuerit in S. Lupum:ſed exemplo diuinam vltionem ſenſerit.Nam & lingua,qua blaſphemias effudit, obriguit, &(vtique à Dæmone poſſeſſus)horrendo mugitu totam ędem compleuit,tertiaq;e die,cum grauiſsimo cruciatu,vitam finiuit.

Addimus huic aliud,quod ex Cedreno paucis verbis repetit Cæſar Baronius,Tom.7.circa annum Chriſti,630 Eo tempore, inquit, Græci quidam in domo cuiuſdam prandentes,eò prolapſi ſunt;vt in Virginem Deiparam,conuitia & execrationes iacerent.Horum reliqui ilico à malis ſpiritibus correpti, pœnas dederunt. Eandem blaſphemiam ex alijs cauſis vnam recenſet Dæmon,qui per Triphonem eſt eiectus:de quo Theſ.12.cap 29. Certè blaſphemi digni ſunt, vt à Spiritibus Blaſphemiæ occupentur.

13. Quarta eſt *peccatum Superbia*.Nonne conuenit, vt qui eſt *Rex ſuper omnes filios Superbiæ*,in ſuperbis ſedem habeat? Iob.14. in ipſos poteſtatem exerceat?Conuenire docet magno ſuo malo ſuperbiſsimus Aſſyriorũ Rex,Nabuchodonoſor,vt alios innumeros prætermittam. Daniel.4.

Ad Superbiam referrem,quæ ex illa ſequitur,*inobedientiam* : quæ & ipſa aditum Dæmonibus præbuit. Teſtis eſt vir profeſsione religioſus;ſed moribus admodum difficilis;quem mox Spiritus Nequam ingreſſus dicitur,poſtquam Popponis Stabulenſis, Abbatis ſui mandatum implere contempſit:quemadmodum in Popponis Vita ſcribit Euerhelmus,Abbas Altimontenſis,cap.18.

14. Quinta eſt *Luxuria*. Ob hanc Corinthius ab Apoſtolo traditus eſt Satanæ. 1.Cor.5. Fortè ob eandem ſeptem Dæmoniorum tyrannidem paſſa eſt Magdalena. Marc.vlt. Ob eandem,ſi non Obſeſsi,profectò interfecti viri ſeptem,qui Saram expetierunt. Tob.6. Sed & puella quædam, quia impudentius Veneris ſimulachrum aſpexit, eidemque ſe conformauit, à Dæmone obſeſſa eſt,vt notauit Proſper Aquitanicus. Hiſtoriam ſuperius

perius recenſuimus. Et in Vita Simeonis Sali refert Leontius, Neapoleos Cypri Epiſcopus: quòd quidam ob conſuetudinem ſtupri à Dæmone fuerit arreptus; quem Simeon inflicta alapa curauerit.

Fortè hic locum habet matrona nobilis, cuius B. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 10. meminit, quam Dæmon in publica ſupplicatione inuaſit; quòd *carnis*, vt ipſe loquitur, *voluptate victa, à viro ſuo non abſtinuerit*; quando ſequenti die Oratorium S. Sebaſtiani proceſsionem
Luc. 11. cum alijs peractura intrauit. Commodum Dæmonum domicilium
Iob. 40. ſunt Luxurioſi. Sunt enim & dicuntur *Spiritus immundi:* amant *loca humida: non inueniunt requiem in aridis.* Virtus eorum in *lumbis* & *vmbilico*.

15. Sexta *Liuor & Inuidentia.* Teſtis huius eſt primus gentis Iſacidæ
1. Reg. 16. Rex, Saul: qui quoniam in innocentiſsimum, optimeque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiaque flagrauit; à Domini Spiritu reli-
Sap. 2. ctus eſt, & à Nequam poſſeſſus. Et, ſi *inuidia Diaboli peccatum intrauit in mundum*, ab inuidis abhorrere poſſunt Dæmones? Vide pro hac re exempla apud Liſiardum Epiſcopum, in Vita Arnolphi, ca. 24. 38. 41. 42. apud Surium Tom. 4.

16. *Auaritia* etiam inter culpas eſt, ob quas Dæmones facilem aditum habent. Poſſet hoc forſitan recentibus nouiſque exemplis doceri; ſed
Ephes. 5. his opus non eſt, cùm magnum argumentum Apoſtolus præbeat; tum, quando docet *Auaritiam eſſe Idolorum ſeruitutem*; tum, quando aſſerit in *laqueos Diaboli, atque varias tentationes incidere*, qui diuitijs ſtudent, & ſectantur pecunias.

17. Ad has accedit, quæ *Sanctis hominibus affertur perſecutio* Ob hanc à
1. Tim. 3. Dæmonibus Obſeſsi plurimi: inter alios etiam Geilana Franconiæ Duciſſa, ob necem S. Kiliano procuratam, teſte Sigeberto circa annum Domini 697. Et, quidni Diabolos ſocios habeant, & hoſpites; qui ſanctos viros, Dæmonum hoſtes, cane peius & angue oderunt? Huc pertinet calumnioſa eorundem accuſatio, & maledictio, quæ ſimilibus modis ſunt vindicata, vt patet in Vita B. Gregorij Agrigẽtini, apud Surium, mẽſe Nouemb. & Danielis Stylitę, apud eundẽ menſe Decemb.

18. Addiderim dictis *filiorum in parentes impietatem*. Veriſimile eſt hos facilè perpeti obſidentes Dæmones: quoniam ſæpe extra ſe poſitos experiuntur carnifices. Rem vno exemplo Alexandri ab Alexandro verbis probamus. *Res admiratione digna eſt, inquit, libr. 4. Genial. dierum cap. 19. quam recens admiratione comperimus Romæ.* Quippe nota res eſt. Cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis, & obſcuris natalibus adoleſcens, veſanus & furioſus (cuius praui mores & vita facinoroſa fuerat) in parentem grauibus iurgijs conuiciatus
foret;

Digitized by Google

foret; poſt iurgia immodica, cum furijs agitatus, aduocato Dæmone, cui ſe deuouerat homo ille improbus & impurus; furore cæcus & amens diſceſsiſſet,& Romam petere cœpiſſet, eo conſilio:vt aliquod dirum facinus in patrem moliretur; dum iter faceret, Dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba & capillo, veſteque obſoleta & ſquallida, obuiam habuiſſe. quò cùm ſimul pergerent, illum interrogaſſe iuuenem(quem animo anxio & ſollicito videbat) quid tam triſtis incederet; atque ille,cùm quid iurgij cum patre fuiſſet, quodque aliquid ſceleſti facinoris patrare cuperet, reſpondiſſet; Dęmonem illum ſe quoque ſimili caſu percitum fuiſſe dicere: proinde pergerent, & ſuas iniurias vltum irent. Cumque nocte appetente ad vrbem applicuiſſent, in proximo hoſpitio diuertiſſe, atque in cubiculum, quod à caupone vtrique exhibitum fuit, haud multò poſt, cubitum iuiſſe. Cumque vna cubarent, peſtem illam immanem, cùm illum ſomno oppreſſum videret, infeſtis manibus iugulum hominis apprehendiſſe, vt eliſis faucibus necaret, quem iam oppreſsiſſet, ni expergefactus ille, Dei opem & auxilium aduocaſſet: quo audito furiam illam deterrimam ſtridore & tumulto maximo, tantoque impetu cubiculum, vnde euaſit, dicitur colliſiſſe, vt tigna & tectum euerterit, tegulaſque penitus perfregerit. Ita Alexander.

Sed magis ad rem facit exemplum, quod in Vita S. Parthenij refert Metaphraſtes, 7. Februarij. Ad hunc enim cùm parentes filium ſuum, qui grauem Dæmonis carnificinam patiebatur, adduxiſſent, & pro eiuſdem incolumitate inſtantius precarentur: Sinite, dicebat Parthenius, torqueatur, paricida eſt. parentibus vobis ſæpe moleſtùs fuit; & quam eidem optaſtis, iuſtam ſuſtinet caſtigationem. Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum, Regis filio refert Sigibertus,circa annum Domini 873. quod à Dæmonio grauiter in pręſentia Patris,& optimatum eius ſit vexatus:& in vexatione confeſſus; hoc ſibi ideo contigiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

Decima culpa eſt *Iurgium atque Conuitium*. Hæc enim cùm ſine irato animo non ſint, & quandam quaſi coriunctam furiam habeant; optimè homines ad Dæmonum domicilium diſponere videntur. Quid, quod inter furioſum atque Obſeſſum vix vlla videatur eſſe diſtantia: Quidquid ſit: ab his non ita procul abeſſe Dæmones alio exemplo, idem Alexander ibidem demonſtrat, quod eiuſdem quoque verbis aſſcribimus. *Autor eſt*, inquit, Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem authoritatemque 21.

temque pluribus in rebus expertus didici: qui ſerio mihi retulit, quòd cum in monaſterio & ſacris ædibus, quæ in Lucanis montibus ſunt, cum pluribus, iurgatus foret, & poſt immodica conuitia & rixas, animo perturbatio inde ſe proriperet; cùm per nemora iter ſolus intenderet, ſpeciem hominis vultu tetro, nigra barba, promiſsis tunicis, vultu aſpectuque deformi, & ſæuo, obuiam habuiſſe. quem cum compellaret, quid ipſe ſolus per diuia errabundus incederet, dixit; equum, quo vectabatur amiſiſſe, atque in proximos campos illum euaſiſſe credere; cumque per ſinus inuios equum vnà quæſitum pergerent; ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni, & formidabiles redundabant, deueniſſe. Et cum monachus, vt aquam traijceret, calceos ſibi eximere appareret, illum magnopere coegiſſe, & tandem peruiciſſe, vt ſuper ſpatulas ſuas aſcenderet, potiuſque à ſe, qui corpore maior erat, vectaretur, qui acquieſcens, cùm ſuper illius ſpatulas, vt ſuccollaretur, monachus aſcenderet, illeque iam aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, ſed tetra & deformi ſpecie cõſpexit. quo animaduerſo horribili terrore percitus, Deum, vt ſibi præſto eſſet, acclamauit. Mox Dęmonem & diram illã ſpeciem, diuino audito verbo, ſtridore querulo, & vi maxima, quanta dici poteſt, ita è conſpectu abijſſe dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliſerit, ac perfractis ramis funditus euerterit. Et hoc Alexander.

200. Vndecima culpa eſt, *Dei contemptus, ſiue Religionis, & Pietatis neglectus.* Cùm enim duo ſint Domini, quibus ſeruire neceſſe eſt; Deus, & Dæmon: ad Dæmonis caſtra accedunt, quicunque Deum; ſummum bonum, deſerunt. Pro hac re facit exemplum, quod iam ſecundò citatus affert Alexander de Iuuene quodam, quem horribili ſpecie infeſtis manibus Diabolus inuadere quærebat, quia, vt verbis Alexandri vtar, conſtabat prauis illum moribus & inciuilibus cum Dei contemptu diu vixiſſe.

Cùm Dei religioniſque contemptu coniungo *iniuriam rebus Eccleſiæ, quæ Dei dicere poſſumus, illatam.* Pro quo quamuis multa dari poſſint exempla, nobis tamen ſufficiunt duo, quæ Gregorius Turonenſis ſubminiſtrat. Refert is lib. 3. cap. 12. de rebus geſtis Francorum, accidiſſe ſub Theodorico Francorum Rege, quod pars exercitus eius ad Briuatenſem quendã viam infeſta proruperit: & quia in templo magnam hominũ multitudinem cum facultatibus ſuis reſidere intellexit, ſpe prædæ, nulla templi religione prohibita, eò aduolarit; vim in templum fecerit, feneſtras confregerit, populi bona diripuerit: veruntamen haud impunè. Nam Rex quidem de- mul-

multis iuſtum ſupplicium ſumpſit: & qui primus corruptionis author fuit, manus quidem Regis, ſed non Dei effugit. Vltio diuina fugientem ſecuta eſt: & igne diuinitus delapſo miſerè conſumptus eſt. cætera turba, ad quàm prædæ aliqua pars peruenerat, à Dæmonibus correpti, diuerſis, ſed miſerandis modis perierunt. Hoc primum e x Gregorio exemplum.

Alterum recitat lib. 1. cap. 105. de Gloria Martyrum. hoc docet inuaſores Eccleſiæ S. Vincentij à Dęmonibus tortos expiraſſe. Erant hi de exercitu Regis Galliarum Chilperici, qui contra Gundebaldum Ducem arma ſumpſerat, Cum verò Eccleſiam S. Vincentij, in qua plebs ſe cum rebus ſuis tutam confidebat, vallaſſent, & aditum ad illam nō haberent: primum oſtijs templi ignem ſubijciunt; ſed conatu irrito: mox deinde ſecuribus viam ad templum ſibi faciunt: illudque ingreſsi, omnia cæde & rapina miſcent. ſed nec hi impunè. *Alij*, inquit Gregorius, à Dæmonibus correpti miſerandum ſpectaculum dederunt: alij in flumine Garumne necati: multi etiam à frigore occupati, diuerſis in partibus diuerſorum morborum genere vexati ſunt. Qui tertium Exemplum ex eodem Gregorio deſiderat, legat lib. 7 Hiſtor. cap. 21.

Timere etiam Dæmones poſſunt, *qui ſe Dæmonibus deuouent, &c. vt abripiantur ſibi precantur*. Nec immeritò Nonne iuſtè quis illius carnificinæ poteſt ſubijci; quem ſuum carnificem efflagitat? Et ſi plurimos obſiderunt Dæmones, qui non ſibi; ſed quibus alij, Dæmones ſunt imprecati; quid nouum, ſi eos ingrediantur, qui eundem & ſibi precantur, & precando grauiter diuinam maieſtatem offendūt? Vide Cap. 16. Habet pro hac re egregia exempla Ioannes Nider lib. 5. formicarij, 21.

Ad hos proximè *Magi & Diuinatores accedunt*, qui, ſi non ſe Dæmonibus deonuerunt, magna profectò & ſacrilega cum ijs habent pacta, & fœdera. Dæmones ijſdem miſeram aliquando mortem attuliſſe certum eſt. Eoſdem à Dæmonibus etiam interdum fuiſſe obſeſſos, probat hiſtoria ex B. Hieronym aliâs allata. Verum quidquid de his ſit, ſi iuſtum eſt, vt quo quis peccauit, eo puniatur, nullam his dicemus fieri iniuriam, ſi tortores experiantur, quorum ſimulata habberunt obſequiu. 22.

Dictis adiungo *Sacramenti Confirmationis contemptum*, vel neglectum. Nouimus non vnum, ſed plures; qui graues Dæmones moleſtias & perſecutiones ſuſtinuerunt, antequam Sacramento Confirmationis eſſent initiati; à quibus mox, percepto Sacramento, fue- 23.

runt liberari. Quidni verò vel tales ingrediatur Diabolus, vel ingredi poſtulabit, quibus alioquin eſt moleſtus?

24. Poſſunt iam à nobis recenſitis peccatis plura addi: ſed quoniam hæc præcipua exiſtimamus; & reliqua ad ipſa reuocari poſſunt, finem facimus; atque, *Vtrum etiam abſque culpa ſua homines à Dæmonibus poßideantur*, inquirimus.

CAPVT XXXI.

Homines quandoque non ob proprias; ſed aliorum culpas Dæmonum tyrannidem perpeti.

1 ALiquando homines abſque vlla ſua culpa à Dæmonibus poſsideri, clara eſt confeſsio Beatorum Auguſtini, & Hieronymi. B. Auguſtinus ſic loquitur, libr. 21. de Ciuitate Dei, ca. 18. Graue iugum filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ matrem omnium, vſque adeo impleri eſt neceſſe; vt ipſi paruuli, per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo ſolum tenebantur vinculo iam ſoluti, multa patientes, nonnulli incurſiones Spirituum malignorum patiantur. S. Hieronymi hæc oratio eſt, Epiſtola ad Paulam, de dormitione Bleſillæ. Quæ cauſa eſt, inquit, vt ſæpe bimuli, trimuliue, & vbera materna lactentes, à Dæmonio corripiantur? Inuiſibilia hæc, addit inſcrutabili Altiſsimi iudicio ſunt relinquenda.

2. His B. Hieronymi bimulis, & trimulis, & Auguſtini infantibus adiungimus Puerum, cuius Hiſtoriam pluribus retulimus Theſi 4. cap. 26. Puerum quoque, quem à ſæuiſsimo Dæmone liberauit B. Macarius, de quo Palladius in Vita Macharij: illum quoque, cuius in hiſtoria S. Parthenij fit mentio; in quo quamuis poſt multos annos ſe prodidit; à pueritia tamen latuit occultus Dæmon; teſte Metaphraſte 7. Februarij: Præterea Toloſenſem Puellam, à qua Dæmonium expulit S. Remigius, à S. Benedicto rogatus, de qua in Vita S. Remigij Hincmarus, apud Surium. To. 1. fol. 283 Infantem quoque, Dominicum nomine, quem Bertholphus, Abbas Bobienſis ab infeſto Spiritu liberauit, teſte Iona, in Bertholphi Vita, apud Surium Tom 4. Denique illum, cuius meminit S. Marcus Euangeliſta, cap. 9 hiſtoriæ Euangelicæ, qui Dæmonis grauiſsimam vexationem ab infantia ſuſtinuit, quemadmodum Pater pueri Domino interroganti eſt confeſſus.

3. Cum B. Hieronymo dictiſque exemplis conſentit D. Chryſoſtomus

Digitized by Google

ſtomus. Nam in libris, quos de prouidentia ſcripſit, etiam in hoc diuinam prouidentiam cognoſcit, quòd *Sanctiores homines* aliquando Dæmones poſsideant; quos dum in peccatis volutarentur, & vitijs indulgerent, nulla aduerſitas moleſtabat. qua ratione quoque Theodorum quendam, quem Dæmonium poſsidebat, conſolatur.

Res hæc dubia non eſt; primò exemplo puerorũ, quos ob rationis defectũ non eſt poſsibile peccare; & tamẽ quandoque à Dęmonibus obſideri, non ſolùm quotidiana probant exempla: verum etiã per ſuos trimulos bimuloſq; & materna vbera lactẽtes. B. Hieronymus. 4.

Deinde huic ratio ſuffragatur. Neque enim in alio genere malorum eſt hoc, quod à Spiritibus affertur; quàm quæ *Pœnæ* mala dicimus. At non neceſſe eſt hæc proprijs meritis irrogari. *Neque hic peccauit, neque parentes eius,* loquebatur Dominus de quodam *qui orbitatem oculorum, grauiſsimum pœnæ malum, patiebatur.* 5.

Accedit ad hæc Eremitæ cuiuſdam iudicium. Dicitur ille à Deo poſtulaſſe & impetraſſe; vt per menſes aliquot eius corpus ab inhabitante Dæmonio aſſligeretur, propter periculum peccati, quod timebat, ſuperbiæ. Cognouit, profectò, vir pius non ſemper præteritis & commiſsis peccatis tribui Dæmonum torturam; ſed quandoque admitti; ne in peccata homines incidant, Deumque offendant. Vide Sulp. in Vita Martini dialog. 1. 6.

Quanta ſanctiſsimo Iob mala attulit Diabolus, non in fortunis ſolùm: verum etiam in corpore? An fortè ipſius culpa omnia? *Sanctum & rectum* fuiſſe docet Scriptura. Et qui hæc potuit, extra Iob corpus conſtitutus, Dæmon: eadem non poſſet, Iob inhabitans, quamuis ſine vlla Sancti viri culpa? 7.

Scimus dixiſſe B. Auguſtinum, *Dæmones non poſsidere homines, niſi quos fallendo deceperint.* Dixiſſe quoque *inimicum neminem ſubiugare niſi ſocietate peccati:* (Vide Theſin 12. ca. 29) Sed attendit Sanctiſsimus Pater, non quid fieri neceſſe eſt; ſed quid, vt plurimum, fieri aſſolet. Atque ita intelligendus eſt locutus fuiſſe Dæmon, quem S. Triphon coegit cauſam dare, cur Gordiani Imperat. filiam ingreſſus eſſet. Quando enim docuit Dæmones in eos poteſtatem non habere, *qui in Deum ſunt pij.* quid, vt plurimum accidat, ſignificat. Quamquam & dici poſſet B. Auguſtinus de ea poteſtate Dęmonis locutus, quam in homines accepit, ratione peccati, quod committunt: quam profectò magnam habent, quamuis corpora ipſa non poſsideant. Ex his patet quid ad Caſsianum reſpondendum. 8.

Interim, quam, non ob propriam culpam, tyrannidem Dæmonũ, ſemper Obſeſsi patiuntur: illã non patiuntur ſemper ſine culpa. 9.

Quem-

Quemadmodum aliorum culpa alijs. malorū pœnæ poteſt eſſe cau-
ſa; ita poteſt alijs Dæmonum tyrannidem & carnificinam accerſere.

Quod dicimus,non violat leges iuſtitię Nonne in bonis,quę quis
10. poſsidet;*ullè poteſt puniri? Et homines quidam,nonne quorundam hominum ſunt bona?filij parentum?ſerui dominorum,inferiores ſuperiorum.

11. Sed vtrum quod Iuſtitiæ leges non violat,ſi fieret;etiam aliquando fit?Dæmonum nequidam,non ob ſua;ſed aliorum peccata vexationes experti?Experti. Rem exemplis docemus. Superius,ca. 6.tria ex Cæſario attulimus; his quartum addimus ex Vita Zenonis Martyris deſumptum:Ibi mater,cùm febrienti filio poculum aliquoties præbuiſſet,nec filius petere deſiſteret;impatientia victa; eidem poculum offert,& cum poculo Dæmonium imprecatur; moxque ille à Dæmone miſerè cœpit torqueri. Vide Surium *25* Maij. Addimus quintum,cælebris illius Dæmoniacæ Laudanenſis, Gallia, ann. *1566* liberatæ;& ſextum alterius *Motenſis* in *Hannonia*.ann.*1584*.quę ambæ in poteſtatem Dæmonum, mala parentum imprecatione venerunt. Septimum licet petere ex *Vita* S.Reginæ Hungarię Eliſabeth per Iacobum Spirenſem deſcripta,Cap.30.

Surius 25. Maij.

12. Conſtitutum igitur ſit,& *poſſe* homines abſque ſua; ſed tamen ob aliorum culpam,Dæmonum tyrannidem perpeti; & præterea ſæpe *reipſa* perpeti. *At qui ob quorum?* Difficile hoc forte explicatu. Ita tamen,ni fallimur,ſe res habet; quod quamuis quibuſuis in quibuſuis Deus exempla ſuæ vindictæ poſsit oſtendere; poſsit etiam quoſuis per quorumcunque ſupplicia à peccatis deterrere;nullos tamen propriè hoc ſupplicij genere,tanquam iuſta pœna,ob aliorum culpas afficere iudicandus eſt:niſi qui cum ipſis,qui culpas dederunt,quadam ratione coniuncti ſunt.

13. Vindicabit parentum peccata in filijs : Dominorum in ſeruis
Exod.20. Superiorum in ſubditis: Mariti in vxore, & contra *Deus noſter Deus eſt.Zelotes, vindicans peccata parentum in tertiam,& quartam generationem.*

CAP.

CAPVT XXXII.

Fieri quandoque, vt abſq; vlla ſua culpa Dæmonum cruciatus in obſeſsis corporibus ſuſtineant Mortales: ſed tamen non ſine magnis diuinæ prouidentiæ rationibus.

IN huius Capitis ingreſſu B. Hieronymi, ſuperiori Capite allatam conſtituimus ſententiam. *Quæ cauſa eſt*, inquit, vt ſæpe bimuli trimuliúe, & vbera materna lactantes à Dæmonio corripiantur? Inuiſibilia hæc inſcrutabili altiſsimi Dei iudicio ſunt relinquenda. Docet Sanctiſsimus vir, hac ſententia; non tantùm aliquando accidere, vt abſque vlla ſua culpa Mortales à Dæmonibus poſsideantur; verùm etiam abſque *omni* culpa. Hinc non iudicat multum cogitationes hic fatigandas: diuinam potius vult prouidentiam admirandam & prædicandam. 1.

Et ita ſe prorſus res habet. Fit haud rarò, vt *abſque vllo hominum demerito patiantur homines, non hanc ſolum, de qua agimus, Dæmonum carnificinam, verum etiam alia quæcunque mala*, quæ vel corporibus poſſunt incommodare, vel fortunis. In quibuſdam malis vix alias cauſas, quam diuinam prouidentiam poſſumus inuenire. 2.

Et profectò multas hic diuina prouidentia poteſt habere cauſas; quando nulla hominum culpa, hanc carnificinam Dæmonibus vel permittit, vel præcipit. Scilicet, vel hic propoſitum eſt homines inſtruere: vel à vitijs deterrere, & ad virtutum ſtudia incitare vel ſtatuere exemplum patientiæ: vel maioribus bonis aptos & capaces ad futuræ vitæ reddere, gaudia. 3.

Inſtruit duobus modis. Nam principiò hinc intelligunt, præter corpora, *Spiritus quoſdam eſſe*, omnis concretionis expertes; quòd Sadducæi inficiabantur. Deinde colligunt mirum non eſſe, ſi *animam corporis expertem poſsideret*, quæ etiam quemadmodum Spiritus immortalis ſit & æterna; & poſt hanc vitam, aliam viuendi rationem ſit ingreſſura. Vide Toſtatum Abulenſ. in 8. Matthæi q. 12. 4.

Deinde hic, in imagine quaſi, ob oculos ponuntur *extremi illi cruciatus atque tormenta*, quæ poſt hanc vitam reprobos manent: fitque ipſorum conſideratione, vt mortales fugiant peccata, quibus Dæmonum imperium & carnificinam olim in futura vita demerentur. 5.

6. Agnoſcunt etiam, *quantum Spirituum immundorum erga humanum genus ſit odium*; cùm tanta in miſeros homines, atque innocentes etiam, barbarie ſæuiunt. quæ meditatio hoc habet emolumenti, vt prorſus animos Mortalium(niſi fortè deploratæ ſint ſalutis) à Spiritibus auertat, & omnem cum ijſdem ſocietatem, atque communionem diſſoluat.

7. Poſſunt & hinc homines diſcere; *quidnam in anima eorum, qui Lethalia peccata perpetrarunt, Dæmones efficiant.* Quæ in corporibus fiunt, indicia eorum ſunt, quæ in anima accidunt. An non rupta vincula, in obſeſsis Euangelicis, argumentum ſunt, eos qui cum peccatis fœdus habent, rumpere omnia honeſtatis vincula; quæ, ne peccent, prohibere poſſunt? Et quòd quidam hominum ſocietatem fugiant, atque in montibus cum feris degant; nonne communione Sanctorum, quæ in Eccleſia eſt, ipſos demonſtrat priuari? Quod verò alios lædere dicantur; nonne magnum argumentum eſt, peccatores non ſibi ſolùm; ſed alijs quoque detrimenta afferre; ſi non alijs rebus; ſaltem malo, quod præbent exemplo?

8. Denique hac ratione bonos exercet Deus De hoc dubium eſt nullum. Vt alijs rationibus; ita hac ſuos Deus poteſt probare. Qui poteſtatem Dæmonibus facit, vt extra iuſtos conſtituti, ipſos affligant: poteſt etiam facultatem dare, vt corpora ingrediantur, & ſuam tyrannidem exerceant.

9. Et quemadmodum ſuos, hac ratione, probat Deus: ita & ipſorum auget merita, & maioribus atque pluribus modis ſe ijſdem obſtringit. Vt taceam, quod vniuerſo mundo virtutis Suorum præbeat egregia exempla, atq; imprimis patientiæ.

Præter iam dictas, alias poteſt diuina prouidentia habere cauſas. Hoc ex Gregorij Turonenſis deſumpta, ſequenti Hiſtoria docemus. Theodorico, inquit, Francorum Rege defuncto, Theobertus filius eius ſucceſsit. qui cùm multa iniquè exerceret, multa etiã permitteret, quæ impedire oportebat, à S. Nicetio, Treuirenſi Epiſcopo, arguebatur. Aduenit autem dies dominicus. Et ecce Rex cum his, qui à Nicetio, communioni abeſſe iuſsi erant, Eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lecionibus, ait Sacerdos: Non hîc Miſſarum ſolemnia conſummabuntur, niſi communione priuati prius abſcedant. Hic, Rege renitente, ſubitò exclamat vnus ex populo arreptus à Dæmone, iuuenis adhuc puer, cœpitque valida inter ſupplicia torturæ ſuæ, & Sancti virtutes, & Regis crimina proclamare. Epiſcopũ aſſerebat caſtum, Regem adulterum. Epiſcopum Chriſti timore humilem: Regem gloria regni ſuperbum Epiſcopum ſacerdotio impol-

pollutum à Deo in poſterum præferendum: Regem ab auctore ſceleris ſui velociter elidendum. Cumque Rex timore perculſus peteret, vt puer Energumenus ab Eccleſia eijceretur; dixit Epiſcopus: Prius illi, qui ſecuti ſunt, id eſt, inceſti, homicidæ, adulteri ab hac Eccleſia extrudantur: & hunc Deus ſilere iubebit. *Et* ſtatim *Rex* iuſsit omnes hos, qui Sacerdotis ſententia dnamati fuerant, egredi de *Ec*cleſia. Quibus expulſis iuſsit Sacerdos Dæmoniacum foras extrahi: ſed cùm apprehenſa columna, euelli à decem viris non poſſet; Sanctus Dei ſub veſtimento ſuo (propter iactantiam videlicet euitandam) faciens Crucem relaxari præcepit. Qui protinus corruens cùm his, qui eum trahere nitebantur, poſt paululum ſanus erectus eſt. *De*inde poſt acta ſolemnia requiſitus, nunquam reperiri potuit; nec vllus ſciuit, vnde venerit, aut quò abierit. *Hęc* Gregorius in Vita Nicetij, & poſt eum Cęſar Baronius, Tom. ſeptimo, anno Chriſti, 530. fol. 146.

Cæterùm ex hic omnibus (quæ *30. 31.* & *32.* Capitibus dicta ſunt) manifeſtè perpenditur, inquit Caſsianus Coll. cap. *28*, non debere eos abominari, vel deſpici: quos iſtis Spiritibus nequitiæ tradi videmus, quia duo hæc credere nos immobiliter oportet. primò, quòd ſine *Dei* permiſſu nullus ab ijs omnino tentetur. ſecundò, quòd omnia quæ à Deo nobis inferuntur ſiue triſtia ad præſens, ſeu læta videantur; velut à pijſsimo patre clementiſsimoque medico pro noſtris vtilitatibus irrogentur: & idcirco eos, veluti pedagogis traditos humiliari, vt diſcedentes ex hoc mundo purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui ſecundùm *A*poſtolum traditi ſunt in præſenti *S*atanæ, in interitum carnis, vt *S*piritu ſalui fiant, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti *Ita* Caſsianus. II.

Finis ſecundæ partis.

PARS

interrogatus à Triphone, viro ſancto: Cur puellam intraſſet, reſpondit; Dæmones in illos habere poteſtatem, qui opera iiſdem grata exercent: qualia ſunt, inquit, cultus ſimulachrorum, blaſphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes, &c. Metaphraſtes in Triphone 1. Februarij.

14. Idem confirmat B. Auguſtini ad obiectionem, quam ſibi facit reſponſio: Dicit aliquis, inquit, ſi ligatus eſt Diabolus, vt eſt; quare adhuc tantum præualet? Verùm eſt, reſpondet, fratres chariſsimi, quia multum præualet: ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim, tanquam canis catenis innexus, & neminem poteſt mordere; niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Ita B. Auguſtinus, Serm 197. de Tempore. Idem Caſsianus, Coll. 7. cap. 24. Conſtat, inquit, immundus Spiritus non aliter poſſe in illos, quorum corpora obtenturi ſunt, penetrare; niſi prius eorum mentes cogitationeſque poſſederit. Quos cum timore ac memoria Dei, vel ſpirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præſidio, ac munitio diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in ijs veluti in poſſeſsione ſibi tradita præſumentes. Ita Caſſianus.

CAPVT XXX.

Ob quas ſuas culpas Obſeſſi patiantur tyrannidem Dæmonum.

1. CVlpæ aliæ Lethales ſunt, aliæ Veniales. Illæ diuinam vindictã prouocant; & *Mortales*, quia mortem animæ afferunt, dicuntur: hæ nomen à venia, quam facilè obtinent ſortiuntur. Vtrumque genus varium eſt, & multiplex; prout contingit Deum varijs multiſque modis offendere.

2. De his quæritur, *Quænam ſint, quæ Dæmonibus oſtium, vt homines ingrediantur, patefaciunt*; an Lethales tantum, an etiam Veniales: Et ſi vel alteræ, vel vtræque; *Omnéſne* illius generis id præſtent: an potius in ſingulis generibus *certæ ſint*, & determinatæ. Res, quia difficultatem non ita magnam habet, breuiter expedienda eſt.

3. Certum eſt *ob Lethales homines à Dæmonibus poſſideri*. Docent hoc omnia propemodum ſuperioris Capitis exempla: tam illa, quæ ſacræ literæ: quàm, quæ prophanæ Hiſtoriæ ſubminiſtrant: quocirca longiori probatione opus non eſt.

Cer-

Certum quoque Veniales culpas Dęmonibus hominesingrediendi occaſionem præbuiſſe. *Corporaliter traditas Satanæ, inquit Caſsianus*, Coll. 7. cap. 25. vel infirmitatibus magnis, etiam viros ſanctos nouimus, pro leuiſsimis quibuſque delictis. Fortè hoc probat exemplum puellæ, quòd alias cap. præcedente ex B. Hieronymo adduximus. Fortè etiam alterius, cuius Proſper Aquitanicus meminit; quæ cùm in balneo quoddam Veneris ſimulachrum nimis impudicè intuita eſſet, ſeque eidem aſsimulaſſet; mox à Diabolo obſeſſa eſt; & ita vexata, vt Nequam Spiritus gutturis meatus occuparet, facultatem ſumẽdi cibũ & potum ad ſeptuaginta dies adimeret. Vide c. 28.

Quod ſi de harum Veniali culpa dubium eſt: certè dubium non eſt de Abbatis Moyſis, & Virginis cuiuſdam monialis: quorum ille, teſte Caſsiano, libr. 7. Coll. cap. 27. poſſeſſus fuit, propter impatientiam, & duriùs prolatum verbum: hæc propter leuiorem gulam, vt habet B. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. Sed exempla non noſtris, verùm ipſorum verbis aſſcribamus. De Moyſe igitur ſic Caſsianus, Coll. 7. cap. 27. Cùm eſſet, *inquit*, Moyſes ſingularis & incomparabilis vir, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulit, quædam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus Spiritui, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria ſe Dominus intuliſſe; ne ſcilicet in eo vel momẽtanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atq; aucto remedio demonſtrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs Nequam Spiritus ab eo fugatus abceſsit. Hæc Caſsianus. 4.

5. De Virgine ſequentia B. Gregorius, 1. Dialog. c. 4. Quadam die, inquit, vna Dei famula hortum ingreſſa, quæ lactucam conſpiciens concupiuit, eamque ſigno Crucis benedicere oblita, auide momordit, ſed correpta à Diabolo, protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem P. Equitio ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxq; vt hortum ijdem Pater ingreſſus eſt, cæpit ex eius ore, quaſi ſatis faciens, ipſe qui hanc arripuerat Diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa & momordit me. Qui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt diſcederet: & locum in omnipotentis Dei famula non haberet, qui protinus abſceſsit nec eum vltra contingere præualuit. Hæc Gregorius.

6. Et quamuis Venialia, leuia peccata ſint; & à venia, diximus, quam facilè obtinent, nomen habeant; nulla tamen ſit hominibus

Altera eſt *Sacroſanctæ Eucharistiæ abuſus.* Pro hac ibidem afferet exempla Cyprianus: referēs & viros, & mulieres à Spiritibus malis obſeſſos fuiſſe; quod ſine Confeſſione, atque Pœnitentia peccatorum, ad menſam Domini acceſsiſſent. Fortè cùm his quidam Corinthiorum coniungendi ſunt, quos infirmatos & morbis ſubiectos recenſet Apoſtolus, idcirco quòd non probati Sacramentis altaris communicarent. 11. 1.Corinth. 11.

Tertia eſt *Blaſphemia*, Hæc Dæmonibus oſtium aperuit, qui Alexandrum & Hymenæum ſunt ingreſsi. Refert quoque Gregorius Turonenſis, de Gloria Confeſſorum, cap. 67. Maurum fuiſſe, qui cum ſeruum ſuum ad Baſilicam *S.* Lupi (apud Tricaſsinorum Campaniæ vrbem ſepultus iacet) fugientem inſequeretur, & iam eſſet aſſecutus: blaſphemias euomuerit in S. Lupum: ſed exemplo diuinam vltionem ſenſerit. Nam & lingua, qua blaſphemias effudit, obriguit, & (vtique à Dæmone poſſeſſus) horrendo mugitu totam ędem compleuit, tertiaque die, cum grauiſsimo cruciatu, vitam finiuit. 12.

Addimus huic aliud, quod ex Cedreno paucis verbis repetit Cæſar Baronius, Tom. 7. circa annum Chriſti, 630 Eo tempore, inquit, Græci quidam in domo cuiuſdam prandentes, eò prolapſi ſunt; vt in Virginem Deiparam, conuitia & execrationes iacerent. Horum reliqui ilico à malis ſpiritibus correpti, pœnas dederunt. Eandem blaſphemiam ex alijs cauſis vnam recenſet Dæmon, qui per Triphonem eſt eiectus: de quo Theſ. *12.* cap *29.* Certè blaſphemi digni ſunt, vt à Spiritibus Blaſphemiæ occupentur.

Quarta eſt *peccatum Superbiæ*, Nónne conuenit, vt qui eſt *Rex ſuper omnes filios Superbiæ*, in ſuperbis ſedem habeat? in ipſos poteſtatem exerceat? Conuenire docet magno ſuo malo ſuperbiſsimus Aſſyriorũ Rex, Nabuchodonoſor, vt alios innumeros prætermittam. 13. Iob. 14. Daniel. 4.

Ad Superbiam referrem, quæ ex illa ſequitur, *inobedientiam*: quæ & ipſa aditum Dæmonibus præbuit. Teſtis eſt vir profeſsione religioſus; ſed moribus admodum difficilis; quem mox Spiritus Nequam ingreſſus dicitur, poſtquam Popponis Stabulenſis, Abbatis ſui mandatum implere contempſit: quemadmodum in Popponis Vita ſcribit Euerhelmus, Abbas Altimontenſis, cap. *18.*

Quinta eſt *Luxuria.* Ob hanc Corinthius ab Apoſtolo traditus eſt Satanæ. Fortè ob eandem ſeptem Dæmoniorum tyrannidem paſſa eſt Magdalena. Ob eandem, ſi non Obſeſsi, profectò interfecti viri ſeptem, qui Saram expetierunt. Sed & puella quædam, quia impudentius Veneris ſimulachrum aſpexit, eidemque ſe conformauit, à Dæmonio obſeſſa eſt, vt notauit Proſper Aquitanicus. Hiſtoriam ſu- 14. 1.Cor. 5. Marc. vlt. Tob. 6.

M perius

Digitized by Google

perius recenſuimus. Et in Vita Simeonis Sali refert Leontius, Neapoleos Cypri Epiſcopus: quòd quidam ob conſuetudinem ſtupri à Dæmone fuerit arreptus; quem Simeon inflicta alapa curauerit.

Fortè hic locum habet matrona nobilis, cuius B. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 10. meminit, quam Dæmon in publica ſupplicatione inuaſit; quòd *carnis*, vt ipſe loquitur, *voluptate victa, à viro ſuo non abſtinuerit*; quando ſequenti die Oratorium S. Sebaſtiani proceſsionem
Luc. 11. cum alijs peractura intrauit. Commodum Dæmonum domicilium
Iob. 40. ſunt Luxurioſi. Sunt enim & dicuntur *Spiritus immundi*: amant *loca humida: non inueniunt requiem in aridis*. Virtus eorum in *lumbis & vmbilico*.

15. Sexta *Liuor & Inuidentia*. Teſtis huius eſt primus gentis Iſacidæ
1. Reg. 16. Rex, Saul: qui quoniam in innocentiſsimum, optimeque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiaque flagrauit; à Domini Spiritu relictus eſt, & à Nequam poſſeſſus. Et, ſi *inuidia Diaboli peccatum intrauit in*
Sap. 2. *mundum*, ab inuidis abhorrere poſſunt Dæmones? Vide pro hac re exempla apud Liſiardum Epiſcopum, in *Vita Arnolphi*, ca. 24. 38. 41. 42. apud Surium Tom. 4.

16. *Auaritia* etiam inter culpas eſt, ob quas Dæmones facilem aditum habent. Poſſet hoc forſitan recentibus nouiſque exemplis doceri; ſed
Ephes. 5. his opus non eſt, cùm magnum argumentum Apoſtolus præbeat; tum, quando docet *Auaritiam eſſe Idolorum ſeruitutem*; tum, quando aſſerit in *laqueos Diaboli, atque varias tentationes incidere*, qui diuitijs ſtudent, & ſectantur pecunias.

17. Ad has accedit, quæ *Sanctis hominibus affertur perſecutio*. Ob hanc à
1. Tim. 3. Dæmonibus Obſeſsi plurimi: inter alios etiam Geilana Franconiæ Duciſſa, ob necem S. Kiliano procuratam, teſte Sigeberto circa annum Domini 697. Et, quidni Diabolos ſocios habeant, & hoſpites; qui ſanctos viros, Dæmonum hoſtes, cane peius & angue oderunt? Huc pertinet calumnioſa eorundem accuſatio, & maledictio, quæ ſimilibus modis ſunt vindicata, vt patet in *Vita* B. Gregorij Agrigẽtini, apud Surium, mẽſe Nouemb. & Danielis Stylitę, apud eundẽ menſe Decemb.

18. Addiderim dictis *filiorum in parentes impietatem*. Veriſimile eſt hos facilè perpeti obſidentes Dæmones: quoniam ſæpe extra ſe poſitos experiuntur carnifices. Rem vno exemplo Alexandri ab Alexandro verbis probamus. *Res admiratione digna eſt*, inquit, *libr. 4. Genial. dierum cap. 19. quam recenti admiratione comperimus Romæ.* Quippe nota res eſt. Cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis, & obſcuris natalibus adoleſcens, veſanus & furioſus (cuius praui mores & vita facinoroſa fuerat) in parentem grauibus iurgijs conuiciatus foret;

Digitized by Google

foret; poſt iurgia immodica, cùm furijs agitatus, aduocato Dæmone, cui ſe deuouerat homo ille improbus & impurus; furore cæcus & amens diſceſsiſſet,& Romam petere cœpiſſet, eo conſilio:vt aliquod dirum facinus in patrem moliretur; dum iter faceret, Dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba & capillo, veſteque obſoleta & ſqualida, obuiam habuiſſe. quò cùm ſimul pergerent, illum interrogaſſe iuuenem(quem animo anxio & ſollicito videbat) quid tam triſtis incederet; atque ille,cùm quid iurgij cum patre fuiſſet, quodque aliquid ſceleſti facinoris patrare cuperet, reſpondiſſet;Dęmonem illum ſe quoque ſimili caſu percitum fuiſſe dicere: proinde pergerent, & ſuas iniurias vltum irent. Cumque nocte appetente ad vrbem applicuiſſent, in proximo hoſpitio diuertiſſe, atque in cubiculum, quod à caupone vtrique exhibitum fuit, haud multò poſt, cubitum iuiſſe. Cumque vna cubarent, peſtem illam immanem, cùm illum ſomno oppreſſum videret, infeſtis manibus iugulum hominis apprehendiſſe,vt eliſis faucibus necaret,quem iam oppreſsiſſet, ni expergefactus ille, Dei opem & auxilium aduocaſſet: quo audito furiam illam deterrimam ſtridore & tumulto maximo, tantoque impetu cubiculum, vnde euaſit, dicitur colliſiſſe,vt tigna & tectum euerterit, tegulaſque penitus perfregerit. Ita Alexander.

Sed magis ad rem facit exemplum, quod in Vita S. Parthenij refert Metaphraſtes, 7. Februarij. Ad hunc enim cùm parentes filium ſuum, qui grauem Dæmonis carnificinam patiebatur, adduxiſſent, & pro eiuſdem incolumitate inſtantius precarentur: Sinite, dicebat Parthenius, torqueatur, paricida eſt. parentibus vobis ſæpe moleſtus fuit; & quam eidem optaſtis, iuſtam ſuſtinet caſtigationem. Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum, Regis filio refert Sigibertus,circa annum Domini 873. quod à Dæmonio grauiter in pręſentia Patris,& optimatum eius ſit vexatus:& in vexatione confeſſus; hoc ſibi ideo contigiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

Decima culpa eſt *Iurgium atque Conuitium*. Hæc enim cùm ſine irato animo non ſint, & quandam quaſi coniunctam furiam habeant; optimè homines ad Dæmonum domicilium diſponere videntur. Quid, quod inter furioſum atque Obſeſſum vix vlla videatur eſſe diſtantia: Quidquid ſit: ab his non ita procul abeſſe Dæmones alio exemplo, idem Alexander ibidem demonſtrat, quod eiuſdem quoque verbis aſcribimus. *Autor eſt*, inquit, Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem authorita- 21.

Digitized by Google

temque pluribus in rebus expertus didici: qui ſerio mihi retulit, quòd cum in monaſterio & ſacris ædibus, quæ in Lucanis montibus ſunt, cum pluribus, iurgatus foret, & poſt immodica conuitia & rixas, animo perturbatio inde ſe proriperet; cùm per nemora iter ſolus intenderet, ſpeciem hominis vultu tetro, nigra barba, promiſsis tunicis, vultu aſpectuque deformi, & ſæuo, obuiam habuiſſe. quem cum compellaret, quid ipſe ſolus per diuia errabundus incederet, dixit; equum, quo vectabatur amiſiſſe, atque in proximos campos illum euaſiſſe credere; cumque per ſinus inuios equum vnà quæſitum pergerent; ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni, & formidabiles redundabant, deueniſſe. Et cum monachus, vt aquam traijceret, calceos ſibi eximere appareret, illum magnopere coegiſſe, & tandem peruiciſſe, vt ſuper ſpatulas ſuas aſcenderet, potiuſque à ſe, qui corpore maior erat, vectaretur, qui acquieſcens, cùm ſuper illius ſpatulas, vt ſuccollaretur, monachus aſcenderet, illeque iam aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, ſed tetra & deformi ſpecie cōſpexit. quo animaduerſo horribili terrore percitus, Deum, vt ſibi præſto eſſet, acclamauit. Mox Dęmonem & diram illā ſpeciem, diuino audito verbo, ſtridore quærulo, & vi maxima, quanta dici poteſt, ita è conſpectu abijſſe dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliſerit, ac perfractis ramis funditus euerterit. Et hoc Alexander.

200. Vndecima culpa eſt, *Dei contemptus; ſiue Religionis, & Pietatis neglectus.* Cùm enim duo ſint Domini, quibus ſeruire neceſſe eſt; Deus, & Dæmon: ad Dæmonis caſtra accedunt, quicunque Deum; ſummum bonum, deſerunt. Pro hac re facit exemplum, quod iam ſecundò citatus affert Alexander de Iuuene quodam, quem horribili ſpecie infeſtis manibus Diabolus inuadere quærebat, quia, vt verbis Alexandri vtar, conſtabat prauis illum moribus & inciuilibus cum Dei contemptu diu vixiſſe.

Cùm Dei religioniſque contemptu coniungo *iniuriam rebus Eccleſiæ, quæ Dei dicere poſſumus, illatam.* Pro quo quamuis multa dari poſſint exempla, nobis tamen ſufficiunt duo, quæ Gregorius Turonenſis ſubminiſtrat. Refert is lib. 3. cap. 12. de rebus geſtis Francorum, accidiſſe ſub Theodorico Francorum Rege, quod pars exercitus eius ad Briuatenſem quendā viam infeſta proruperit: & quia in templo magnam hominū multitudinem cum facultatibus ſuis reſidere intellexit, ſpe prædæ, nulla templi religione prohibita, eò aduolarit; vim in templum fecerit, feneſtras confregerit, populi bona diripuerit: veruntamen haud impunè. Nam Rex quidem de mul-

multis iuſtum ſupplicium ſumpſit: & qui primus corruptionis author fuit, manus quidem Regis, ſed non Dei effugit. Vltio diuina fugientem ſecuta eſt: & igne diuinitus delapſo miſerè conſumptus eſt. cætera turba, ad quàm prædæ aliqua pars peruenerat, à Dæmonibus correpti, diuerſis, ſed miſerandis modis perierunt. Hoc primum e x Gregorio exemplum.

Alterum recitat lib. 1. cap. 105. de Gloria Martyrum. hoc docet inuaſores Eccleſiæ S. Vincentij à Dęmonibus tortos expiraſſe, Erant hi de exercitu Regis Galliarum Chilperici, qui contra Gundebaldum Ducem arma ſumpſerat, Cum verò Eccleſiam S. Vincentij, in qua plebs ſe cum rebus ſuis tutam confidebat, vallaſſent, & aditum ad illam nõ haberent: primum oſtijs templi ignem ſubijciunt; ſed conatu irrito: mox deinde ſecuribus viam ad templum ſibi faciunt: illudque ingreſsi, omnia cæde & rapina miſcent. ſed nec hi impunè. *Alij*, inquit Gregorius, à Dæmonibus correpti miſerandum ſpectaculum dederunt: alij in flumine Garumne necati: multi etiam à frigore occupati, diuerſis in partibus diuerſorum morborum genere vexati ſunt. Qui tertium Exemplum ex eodem Gregorio deſiderat, legat lib. 7 Hiſtor. cap. 21.

Timere etiam Dæmones poſſunt, *qui ſe Dæmonibus deuouent, &c. vt abripiantur ſibi præcantur*. Nec immeritò Nonne iuſtè quis illius carnificinæ poteſt ſubijci; quem ſuum carnificem efflagitat? Et ſi plurimos obſiderunt Dæmones, qui non ſibi; ſed quibus alij, Dæmones ſunt imprecati; quid nouum, ſi eos ingrediantur, qui eundem & ſibi precantur, & precando grauiter diuinam maieſtatem offendũt? Vide Cap. 16. Habet pro hac re egregia exempla Ioannes Nider lib. 5. formicarij, 21.

Ad hos proximè *Magi & Diuinatores accedunt*, qui, ſi non ſe Dæmonibus deouerunt, magna profectò & ſacrilega cum ijs habent pacta, & fœdera. Dæmones iiſdem miſeram aliquando mortem attuliſſe certum eſt. Eoſdem à Dæmonibus etiam interdum fuiſſe obſeſſos, probat hiſtoria ex B. Hieronym aliâs allata. Verum quidquid de his ſit, ſi iuſtum eſt, vt quo quis peccauit, eo puniatur, nullam his dicemus fieri iniuriam, ſi tortores experiantur, quorum ſimulata habuerunt obſequiu. 22.

Dictis adiungo Sacramenti *Confirmationis contemptum*, vel neglectũm. Nouimus non vnum, ſed plures, qui graues Dæmones moleſtias & perſecutiones ſuſtinuerunt, antequam Sacramento Confirmationis eſſent initiati; à quibus mox, percepto Sacramento, fue- 23.

22. Non eſt adempta *Spes vitæ æternæ* per Dæmones Obſeſsis: ita ſuperius Theſi 4. Sed tamen, qui propter grauia crimina ipſi ſibi cauſa fuerunt, vt hanc Dæmonum carnificinam ſuſtineant; & iuſto Dei iudicio Spiritibus Nequam relinquuntur; nec tantum ſpacij à vexatione liberum habent, vt ad ſe aliquando redeant, & de commiſſis peccatis pœnitentiam agant; in præſentiſsimo ſalutis diſcrimine verſantur.

23. *Fide* non priuant Obſeſsos ipſi Dæmones. ita Theſi 5. Veruntamen quoſdam ne ad fidem animum adijciant, impediunt: alios etiam, qui fide inſtructi ſunt, ne fidei actus, cum ſuo emolumento, eliciant, retardant.

24. Quæ fidei, eadem eſt *aliorum habituum* ratio. Nam quibus impedimento Dæmones ſunt, ne fidem Chriſtianam complectantur; illos quoque, ne reliquos, qui vel fidem ſequuntur, vel cum fide coniuncti ſunt, habitus obtineant, impediunt. Et quemadmodum quoſdam retardant, ne fidei actus exerceant; ita ne reliquarum virtutum qualeſcunque etiam illæ ſint.

Quod igitur diximus, Theſ. 7. in *virtutum exercitio* Obſeſſorum, & non Obſeſſorum eandẽ conditionem eſſe; ea ratione dictum eſt, ne hoc ipſo, quia Obſeſsi ſunt, hominibus virtutum officia interdicta crederentur. quoniam, non quicunque Obſeſsi ſunt, à virtutum ſchola ſunt excluſi, quamuis magna detrimenta perſæpe patiantur.

25. Quid, quòd præcipua *bonorum* iactura, quam patiuntur Dæmoniaci, ex *virtutum officijs* petatur? Norunt qui in Catholica religione probè inſtituti ſunt, haud parua ad animas lucra ex virtutum ſtudio prouenire. Norunt magnam meſſem in animarum horrea inuehi, per Iuſtitiæ Chriſtianæ officia. Quando igitur ab his Dæmoniacos Dæmones auocant: quando in his impediunt, vel retardant; magnis bonis mortales, Dæmonum malitia, priuari negari non poteſt.

26. Sed fortè virtutum ſtudia non valent impedire Spiritus. Quidni valerent? Valent optime, & valent non vno, ſed multis modis. Nam *principiò* multa ſunt, quæ non niſi corporum miniſterio exercentur. hæc, quoniam corpora in ſua poteſtate habent Dæmones, ipſorum opera & poſſe impediri, & frequenter impediri, extra omnem controuerſiam eſt. *Deinde*, mentem præſentem eadem poſtulant, &, vt cum ratione atq; iudicio fiant, requirunt. at mens, cũ ad phantaſmata (in quæ haud parum poſſunt Spiritus) in ſuis operationibus recurſum habere debeat; tam facilè perturbabitur, & impedie-

pedietur; quàm eſt facilè à Spiritibus hominis phantaſiam perturbari. Requirunt *tertiò* operam voluntatis, ſine qua nihil prorſus in homine rectè peragitur. At in hanc quidem per ſe nihil poſſunt Dæmones: ſed tamen, quia ipſa in corpore eſt; corporis commodis iuuatur, & detrimentis retardatur. quapropter, qua ratione corporibus incommodant Spiritus, eadem voluntatem impediunt.

Ex dictis perſpicuum eſt, quæ in tertio bonorum genere, *Sacramentorum* inquam *vſu*, detrimenta Dæmoniaci capere poſſunt. Cùm enim hæc, vt plurimùm, ſint vel actus virtutum; vel cum virtutibus coniuncta; eadem in Sacramentorum vſu detrimenta patientur Dæmoniaci; quæ in ipſis ſentiunt virtutum officijs. Hæc de *bonis*, quibus Obſeſsi priuantur. 27.

CAP. *XXIX.*

An ſemper ſuæ miſeriæ & tyrannidis, quam patiuntur, Obſeßi à Dæmonibus, ſint cauſa.

De cauſa, ob quam homines à Dæmonib. obſidentur, quæſtio eſt; atque, ***Vtrum ipſimet ſuorum malorum authores ſint,*** in controuerſiam vocatur, quanquam propriè non tam hoc, quàm Vtrum *ſemper* authores ſint, quæritur: & ſi non ſemper ipſi; quibuſnam cauſis ipſorum miſeria aſſcribenda ſit. 1.

Vnum igitur eſt, quod hoc loco quaſi ponitur; alterum, quod in controuerſiam vocatur: tertium, quod ſe vltro quaſi inſinuat, & reſponſionem poſtulat. Ponitur Obſeſſos quandoq; malorum ſuorum eſſe cauſam. Quæritur, An etiam ſine ſuo merito hæc aliquando patiantur. Ad hæc accedit, vt, quoniam ſine Dei prouidentia hîc nihil fit, explicemus, quantum conſequi poſſumus, eiuſdem prouidentiæ cauſas, quando abſque vlla ſua culpa mortales Dæmonum tyrannidem patiuntur. 2.

Hypotheſis certa eſt. Conſtat frequentiſsimè accidere, vt *propter peccata ſua Dæmonum carnificinam ſuſtineant homines.* Tradidit *Sathanæ* 3. 1. *Corinth.* 5.
Corinthium quendam D. Paulus, propterea; quòd incæſtum commiſiſſet. Idem Paulus *Satanæ tradidit* Hymenæum & Alexandrum, ob blaſphemias. 1. *Tim.* 4.

De Maria Magdalena teſtatur hiſtoria Euangelica, pluribus locis, Dominum *ſeptem Dæmonia* eieciſſe: & quamuis diſertis verbis cauſam non aperiat, ob quam fuerit Obſeſſa: peccatis tamen ſuis id ipſam meruiſſe, inſinuat, dum *peccatricem* compellat: vt de Patrum ſententia hîc nihil. 4. *Marc. vltimo* *Luc. c.* 53.

Digitized by Google

bat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiuſmodi, quæ ſolent moriturae Virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet; perrexit Memphim; vt confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Igitur poſt annum doctus ab AEſculapij Vatibus, ſubter limen domus puellæ, tormenta quædam verborum, & portentoſas figuras, ſculptas in æris Cyprij lamina, defodit. Illicò inſanire Virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad Monaſterium, Seni (Hilarioni) traditur, vlulante ſtatim, & confitente Dæmone: Vim ſuſtinui, inuitus ſum adductus. Quàm bene Memphis ſomnijs homines deludebam? O cruces, O torméta, quæ patior? Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non exeo, niſi me Adoleſcens, qui tenet, dimiſerit. Tunc Senex, Grandis, ait, fortitudo tua; qui lino, & lamina ſtrictus teneris. Dic, Quare auſus es ingredi puellam Dei? Vt ſeruarem, inquit, eam virginem. Tu ſeruares proditor caſtitatis? Cùr non potius in eum, qui mittebat, es ingreſſus? Vt quid, reſpondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris Dæmonem. Noluit autem Sanctus iubere ſigna perquiri, ne aut ſolutis incantationibus Dæmon receſsiſſe videretur; aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem. aſſerens fallaces eſſe Dæmones, & ad ſimulandum callidos. Seuerè autem, reddita ſerenitate, increpuit Virginem, cur feciſſet talia, per quæ Dæmon intrare potuiſſet. ita B. Hieronymus.

Egregiè Hypoteſin hæc exempla confirmant. ſed non minus ratio. Quid mirum, ſi per Dæmones, in præſenti vita, Deus peccata vindicet; quæ per Dæmones, in futura vita eſt vindicaturus? 10.

Quid mirum, ſi in homines immittat Spiritus Nequam, qui pœnas, ob malè actam vitam exigant; quando non rarò Spiritus excitauit, vt (quamuis non in hominibus, ſed extra homines poſiti) extrema mala, atque adeò mortem infelicibus afferrent? Optimè dictum eſt à Pſalmographo, quòd *mittat indignationem iræ ſuæ, per Angelos malos.* 11.

Non vna ratio peccata vindicandi Deo eſt, varias habet. Nunc pugnant pro ipſo elementa & cælum: nunc armat ſæuas beſtias. Vtitur etiam Spiritibus aliquando bonis, aliquando malis. Et quidni? *Nónne pro ipſo pugnaturus eſt totus terrarum orbis?* 12.

Hinc bene B. Auguſtinus 4 Ciuit. ca. 34. *Dæmones*, inquit, *niſi quos fallendo deceperunt, poſſidere non poſſunt.* & rurſus: *Poteſtas inimica vincit, at ſubiugat neminem; niſi ſocietate peccati.* lib. 10 de Ciuit. Dei. cap. 22. Bene quoque Dæmon, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, 13.

 inter-

interrogatus à Triphone, viro ſancto: *Cur puellam intraſſet*, reſpondit; Dæmones in illos habere poteſtatem, qui opera ijſdem grata exercent: qualia ſunt, inquit, cultus ſimulachrorum, blaſphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes, &c. *Metaphraſtes in Triphone* 1. *Februarij.*

14. Idem confirmat B. Auguſtini ad obiectionem, quam ſibi facit reſponſio: Dicit aliquis, inquit, ſi ligatus eſt Diabolus, vt eſt; quare adhuc tantum præualet? Verùm eſt, reſpondet, fratres chariſsimi, quia multum præualet: ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim, tanquam canis catenis innexus, & neminem poteſt mordere; niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. *Ita B. Auguſtinus, Serm* 197. *de Tempore.* Idem Caſsianus, *Coll.* 7. *cap.* 24. Conſtat, inquit, immundus Spiritus non aliter poſſe in illos, quorum corpora obtenturi ſunt, penetrare; niſi prius eorum mentes cogitationeſque poſſederit. Quos cum timore ac memoria Dei, vel ſpirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præſidio, ac munitio diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in ijs veluti in poſſeſsione ſibi tradita præſumentes. Ita Caſſianus.

CAPVT XXX.

Ob quas ſuas culpas Obſeßi patiantur tyrannidem Dæmonum.

1. CVlpæ aliæ Lethales ſunt, aliæ Veniales. Illæ diuinam vindictã prouocant; & *Mortales*, quia mortem animæ afferunt, dicuntur: hæ nomen à venia, quam facilè obtinent ſortiuntur. Vtrumque genus varium eſt, & multiplex; prout contingit Deum varijs multiſque modis offendere.

2. De his quæritur, *Quænam ſint, quæ Dæmonibus oſtium, vt homines ingrediantur, patefaciunt*; an Lethales tantum, an etiam Veniales: Et ſi vel alteræ, vel vtræque; *Omnéſne* illius generis id præſtent: an potius in ſingulis generibus *certæ ſint*, & determinatæ. Res, quia difficultatem non ita magnam habet, breuiter expedienda eſt.

3. Certum eſt *ob Lethales homines à Dæmonibus poſſideri*. Docent hoc omnia propemodum ſuperioris Capitis exempla: tam illa, quæ ſacræ literæ: quàm, quæ prophanæ Hiſtoriæ ſubminiſtrant: quocirca longiori probatione opus non eſt.

Cer-

Certum quoque Veniales culpas Dæmonibus hominés ingrediendi occaſionem præbuiſſe. *Corporaliter traditas Satanæ, inquit Caſsianus,* Coll. 7. cap. 25. vel infirmitatibus magnis, etiam viros ſanctos nouimus, pro leuiſsimis quibuſque delictis. Fortè hoc probat exemplum puellæ, quòd alias cap. præcedente ex B. Hieronymo adduximus. Fortè etiam alterius, cuius Proſper Aquitanicus meminit; quæ cùm in balneo quoddam Veneris ſimulachrum nimis impudicè intuita eſſet, ſeque eidem aſsimulaſſet; mox à Diabolo obſeſſa eſt; & ita vexata, vt Nequam Spiritus gutturis meatus occuparet, facultatem ſumēdi cibū & potum ad ſeptuaginta dies adimeret. Vide c. 28.

Quod ſi de harum Veniali culpa dubium eſt: certè dubium non 4.
eſt de Abbatis Moyſis, & Virginis cuiuſdam monialis: quorum ille, teſte Caſsiano, libr. 7. Coll. cap. 27. poſſeſſus fuit, propter impatientiam, & duriùs prolatum verbum: hæc propter leuiorem gulam, vt habet B. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. Sed exempla non noſtris, verùm ipſorum verbis aſſcribamus. De Moyſe igitur ſic Caſsianus, Coll. 7. cap. 27. Cùm eſſet, *inquit,* Moyſes ſingularis & incomparabilis vir, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulit, quædam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus Spiritui, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria ſe Dominus intuliſſe; ne ſcilicet in eo vel momētanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atq; aucto remedio demonſtrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs Nequàm Spiritus ab eo fugatus abceſsit. Hæc Caſsianus.

De Virgine ſequentia B. Gregorius, 1. Dialog. c. 4. Quadam die, 5.
inquit, vna Dei ſamula hortum ingreſſa, quæ lactucam conſpiciens concupiuit, eamque ſigno Crucis benedicere oblita, auide momordit. ſed correpta à Diabolo, protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem P. Equitio ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxq; vt hortum ijdem Pater ingreſſus eſt, cæpit ex eius ore, quaſi ſatis faciens, ipſe qui hanc arripuerat Diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa & momordit me. Qui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt diſcederet: & locum in omnipotentis Dei ſamula non haberet, qui protinus abſceſsit, nec eum vltra contingere præualuit. Hæc Gregorius.

Et quamuis Venialia, leuia peccata ſint; & à venia, diximus, 6.
quam facilè obtinent, nomen habeant; nulla tamen ſit homini-

bus

Altera eſt *Sacroſanctæ Euchariſtiæ abuſus.* Pro hac ibidem afferet exempla Cyprianus: referēs & viros,& mulieres à Spiritibus malis obſeſſos fuiſſe;quod ſine Confeſsione, atque Pœnitentia peccatorum, ad menſam Domini acceſsiſſent. Fortè cùm his quidam Corinthiorum coniungendi ſunt,quos infirmatos & morbis ſubiectos recenſet Apoſtolus, idcirco quòd non probati Sacramentis altaris communicarent. 11. 1. Corinth. 11.

Tertia eſt *Blaſphemia*, Hæc Dæmonibus oſtium aperuit,qui Alexandrum & Hymenæum ſunt ingreſsi. Refert quoque Gregorius Turonenſis,de Gloria Confeſſorum,cap.67.Maurum fuiſſe, qui cum ſeruum ſuum ad Baſilicam S. Lupi (apud Tricaſsinorum Campaniæ vrbem ſepultus iacet)fugientem inſequeretur,& iam eſſet aſſecutus:blaſphemias euomuerit in S. Lupum:ſed exemplo diuinam vltionem ſenſerit.Nam & lingua,qua blaſphemias effudit, obriguit, &(vtique à Dæmone poſſeſſus)horrendo mugitu totam ędem compleuit,tertiaque die,cum grauiſsimo cruciatu,vitam finiuit. 12.

Addimus huic aliud,quod ex Cedreno paucis verbis reperit Cæſar Baronius,Tom.7.circa annum Chriſti,630 Eo tempore, inquit, Græci quidam in domo cuiuſdam prandentes,eò prolapſi ſunt;vt in Virginem Deiparam,conuitia & execrationes iacerent.Horum reliqui ilico à malis ſpiritibus correpti, pœnas dederunt. Eandem blaſphemiam ex alijs cauſis vnam recenſet Dæmon,qui per Triphonem eſt eiectus:de quo Theſ.12.cap 29. Certè blaſphemi digni ſunt, vt à Spiritibus Blaſphemiæ occupentur.

Quarta eſt *peccatum Superbiæ.* Nonne conuenit, vt qui eſt *Rex ſuper omnes filios Superbiæ*, in ſuperbis ſedem habeat?in ipſos poteſtatem exerceat?Conuenire docet magno ſuo malo ſuperbiſsimus Aſſyriorū Rex,Nabuchodonoſor,vt alios innumeros prætermittam. 13. Iob.14. Daniel.4.

Ad Superbiam referrem;quæ ex illa ſequitur,*inobedientiam*: quæ & ipſa aditum Dæmonibus præbuit. Teſtis eſt vir profeſsione religioſus;ſed moribus admodum difficilis;quem mox Spiritus Nequam ingreſſus dicitur,poſtquam Popponis Stabulenſis, Abbatis ſui mandatum implere contempſit:quemadmodum in Popponis Vita ſcribit Euerhelmus, Abbas Altimontenſis,cap.18.

Quinta eſt *Luxuria.* Ob hanc Corinthius ab Apoſtolo traditus eſt Satanæ. Fortè ob eandem ſeptem Dæmoniorum tyrannidem paſſa eſt Magdalena. Ob eandem,ſi non Obſeſsi,profectò interfecti viri ſeptem,qui Saram expetierunt. Sed & puella quædam, quia impudentius Veneris ſimulachrum aſpexit, eidemque ſe conformauit, à Dæmonio obſeſſa eſt:vt notauit Proſper Aquitanicus. Hiſtoriam ſu- 14. 1. Cor. 5. Marc. vlt. Tob. 6.

 perius

perius recenſuimus. Et in Vita Simeonis Sali refert Leontius, Neapoleos Cypri Epiſcopus: quòd quidam ob conſuetudinem ſtupri à Dæmone fuerit arreptus; quem Simeon inflicta alapa curauerit.

Fortè hic locum habet matrona nobilis, cuius B. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 10. meminit, quam Dæmon in publica ſupplicatione inuaſit; quòd *carnis*, vt ipſe loquitur, *voluptate victa, à viro ſuo non abſtinuerit*; quando ſequenti die Oratorium S. Sebaſtiani proceſsionem
Luc. 11. cum alijs peractura intrauit. Commodum Dæmonum domicilium
Iob. 40. ſunt Luxurioſi. Sunt enim & dicuntur *Spiritus immundi*: amant *loca humida: non inueniunt requiem in aridis*. Virtus eorum in *lumbis & vmbilico*.

15. Sexta *Liuor & Inuidentia*. Teſtis huius eſt primus gentis Iſacidæ
1. Reg. 16. Rex, Saul: qui quoniam in innocentiſsimum, optimeque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiaque flagrauit; à Domini Spiritu relictus eſt, & à Nequam poſſeſſus. Et, ſi *inuidia Diaboli peccatum intrauit in*
Sap. 2. *mundum*, ab inuidis abhorrere poſſunt Dæmones? Vide pro hac re exempla apud Liſiardum Epiſcopum, in Vita Arnolphi, ca. 24. 38. 41. 42. apud Surium Tom. 4.

16. *Auaritia* etiam inter culpas eſt, ob quas Dæmones facilem aditum habent. Poſſet hoc forſitan recentibus nouiſque exemplis doceri; ſed
Ephes. 5. his opus non eſt, cùm magnum argumentum Apoſtolus præbeat; tum, quando docet *Auaritiam eſſe Idolorum ſeruitutem*; tum, quando aſſerit in *laqueos Diaboli, atque varias tentationes incidere*, qui diuitijs ſtudent, & ſectantur pecunias.

17. Ad has accedit, quæ *Sanctis hominibus affertur perſecutio*. Ob hanc à
1. Tim. 3. Dæmonibus Obſeſsi plurimi: inter alios etiam Geilana Franconiæ Duciſſa, ob necem S. Kiliano procuratam, teſte Sigeberto circa annum Domini 697. Et, quidni Diabolos ſocios habeant, & hoſpites; qui ſanctos viros, Dæmonum hoſtes, cane peius & angue oderunt? Huc pertinet calumnioſa eorundem accuſatio, & maledictio, quæ ſimilibus modis ſunt vindicata, vt patet in Vita B. Gregorij Agrigētini, apud Surium, menſe Nouemb. & Danielis Stylitæ, apud eundē menſe Decemb.

18. Addiderim dictis *filiorum in parentes impietatem*. Veriſimile eſt hos facilè perpeti obſidentes Dæmones: quoniam ſæpe extra ſe poſitos experiuntur carnifices. Rem vno exemplo Alexandri ab Alexandro verbis probamus. *Res admiratione digna eſt, inquit, libr. 4. Genial. dierum cap. 19. quam recenti admiratione comperimus Romæ.* Quippe nota res eſt. Cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis, & obſcuris natalibus adoleſcens, veſanus & furioſus (cuius praui mores & vita facinoroſa fuerat) in parentem grauibus iurgijs conuiciatus

foret;

foret; poſt iurgia immodica, cùm furijs agitatus, aduocato Dæmone, cui ſe deuouerat homo ille improbus & impurus; furore cæcus & amens diſceſsiſſet,& Romam petere cœpiſſet, eo conſilio:vt aliquod dirum facinus in patrem moliretur; dum iter faceret, Dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba & capillo, veſteque obſoleta & ſqualida, obuiam habuiſſe. quò cùm ſimul pergerent, illum interrogaſſe iuuenem(quem animo anxio & ſollicito videbat) quid tam triſtis incederet; atque ille,cùm quid iurgij cum patre fuiſſet, quodque aliquid ſceleſti facinoris patrare cuperet, reſpondiſſet; Dęmonem illum ſe quoque ſimili caſu percitum fuiſſe dicere: proinde pergerent, & ſuas iniurias vltum irent. Cumque nocte appetente ad vrbem applicuiſſent, in proximo hoſpitio diuertiſſe, atque in cubiculum, quod à caupone vtrique exhibitum fuit, haud multò poſt, cubitum iuiſſe. Cumque vna cubarent, peſtem illam immanem, cùm illum ſomno oppreſſum videret, infeſtis manibus iugulum hominis appreh.ë diſſe, vt eliſis faucibus necaret, quem iam oppreſsiſſet, ni expergefactus ille, Dei opem & auxilium aduocaſſet: quo audito furiam illam deterrimam ſtridore & tumulto maximo, tantoque impetu cubiculum, vnde euaſit, dicitur colliſiſſe, vt tigna & tectum euerterit, tegulaſque penitus perfregerit. Ita Alexander.

Sed magis ad rem facit exemplum, quod in Vita S. Parthenij refert Metaphraſtes, 7. Februarij. Ad hunc enim cùm parentes filium ſuum, qui grauem Dæmonis carnificinam patiebatur, adduxiſſent, & pro eiuſdem incolumitate inſtantius precarentur: Sinite, dicebat Parthenius, torqueatur, paricida eſt. parentibus vobis ſæpe moleſtus fuit; & quam eidem optaſtis, iuſtam ſuſtinet caſtigationem. Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum, Regis filio refert Sigibertus, circa annum Domini 873. quod à Dæmonio grauiter in pręſentia Patris, & optimatum eius ſit vexatus: & in vexatione confeſſus; hoc ſibi ideo contigiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

21. Decima culpa eſt *Iurgium atque Conuitium*. Hæc enim cùm ſine irato animo non ſint, & quandam quaſi coniunctam furiam habeant; optimè homines ad Dæmonum domicilium diſponere videntur. Quid, quod inter furioſum atque Obſeſſum vix vlla videatur eſſe diſtantia: Quidquid ſit: ab his non ita procul abeſſe Dæmones alio exemplo, idem Alexander ibidem demonſtrat, quod eiuſdem quoque verbis aſſcribimus. *Autor eſt*, inquit, Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem authorita-

Digitized by Google

multis iuſtum ſupplicium ſumpſit:& qui primus corruptionis author fuit, manus quidem Regis, ſed non Dei effugit. Vltio diuina fugientem ſecuta eſt: & igne diuinitus delapſo miſerè conſumptus eſt. cætera turba, ad quàm prædæ aliqua pars peruenerat, à Dæmonibus correpti, diuerſis, ſed miſerandis modis perierunt. Hoc primum e x Gregorio exemplum.

Alterum recitat lib. 1. cap. 105. de Gloria Martyrum. hoc docet inuaſores Eccleſiæ S. Vincentij à Dæmonibus tortos expiraſſe. Erant hi de exercitu Regis Galliarum Chilperici, qui contra Gundebaldum Ducem arma ſumpſerat, Cum verò Eccleſiam S. Vincentij, in qua plebs ſe cum rebus ſuis tutam confidebat, vallaſſent, & aditum ad illam nõ haberent: primum oſtijs templi ignem ſubijciunt; ſed conatu irrito: mox deinde ſecuribus viam ad templum ſibi faciunt: illudque ingreſſi, omnia cæde & rapina miſcent. ſed nec hi impunè. *Alij*, inquit Gregorius, à Dæmonibus correpti miſerandum ſpectaculum dederunt: alij in flumine Garumne necati: multi etiam à frigore occupati, diuerſis in partibus diuerſorum morborum genere vexati ſunt. Qui tertium Exemplum ex eodem Gregorio deſiderat, legat lib. 7 Hiſtor. cap. 21.

Timere etiam Dæmones poſſunt, *qui ſe Dæmonibus deuouent, &c. vt abripiantur ſibi præcantur.* Nec immeritò Nonne iuſtè quis illius carnificinæ poteſt ſubijci; quem ſuum carnificem efflagitat? Et ſi plurimos obſiderunt Dæmones, qui non ſibi; ſed quibus alij, Dæmones ſunt imprecati; quid nouum, ſi eos ingrediantur, qui eundem & ſibi precantur, & precando grauiter diuinam maieſtatem offendũt? Vide Cap. 16. Habet pro hac re egregia exempla Ioannes Nider lib. 5. formicarij, 21.

Ad hos proximè *Magi & Diuinatores accedunt*, qui, ſi non ſe Dæmonibus deuouerunt, magna profectò & ſacrilega cum ijs habent pacta, & fœdera. Dæmones ijſdem miſeram aliquando mortem attuliſſe certum eſt. Eoſdem à Dæmonibus etiam interdum fuiſſe obſeſſos, probat hiſtoria ex B. Hieronym aliâs allata. Verum quidquid de his ſit, ſi iuſtum eſt, vt quo quis peccauit, eo puniatur, nullam his dicemus fieri iniuriam, ſi tortores experiantur, quorum ſimulata habuerunt obſequiu. 22.

Dictis adiungo Sacramenti *Confirmationis contemptum*, vel neglectũm. Nouimus non vnum, ſed plures; qui graues Dæmones moleſtias & perſecutiones ſuſtinuerunt, antequam Sacramento Confirmationis eſſent initiati; à quibus mox, percepto Sacramento, fue- 23.

ſtomus. Nam in libris, quos de prouidentia ſcripſit, etiam in hoc di-
uinam prouidentiam cognoſcit, quòd *Sanctiores homines* aliquando
Dæmones poſsideant; quos dum in peccatis volutarentur, & vitijs
indulgerent, nulla aduerſitas moleſtabat. qua ratione quoque Theo-
dorum quendam, quem Dæmonium poſsidebat, conſolatur.

Res hæc dubia non eſt; primò exemplo puerorũ, quos ob rationis 4.
defectũ non eſt poſsibile peccare; & tamẽ quandoque à Dęmonibus
obſideri, non ſolùm quotidiana probant exempla: verum etiã per
ſuos trimulos bimuloſq́; & materna vbera lactẽtes. B. Hieronymus.

Deinde huic ratio ſuffragatur. Neque enim in alio genere malo- 5.
rum eſt hoc, quod à Spiritibus affertur; quàm quæ *Pœnæ* mala dici-
mus. At non neceſſe eſt hæc proprijs meritis irrogari. *Neque hic pecca-
uit, neque parentes eius*, loquebatur Dominus de quodam *qui orbita-
tem oculorum, grauiſsimum pœnæ malum, patiebatur*.

Accedit ad hæc Eremitæ cuiuſdam iudicium. Dicitur ille à Deo 6.
poſtulaſſe & impetraſſe; vt per menſes aliquot eius corpus ab inha-
bitante Dæmonio aſſligeretur, propter periculum peccati, quod
timebat, ſuperbiæ. Cognouit, profectò, vir pius non ſemper præte-
ritis & commiſsis peccatis tribui Dæmonum torturam; ſed quando-
que admitti; ne in peccata homines incidant, Deumque offendant.
Vide Sulp. in Vita Martini dialog. *1*.

Quanta ſanctiſsimo Iob mala attulit Diabolus, non in fortunis 7.
ſolùm: verum etiam in corpore? An fortè ipſius culpa omnia? *San-
ctum & rectum* fuiſſe docet Scriptura. Et qui hæc potuit, extra Iob
corpus conſtitutus, Dæmon: eadem non poſſet, Iob inhabitans,
quamuis ſine vlla Sancti viri culpa?

Scimus dixiſſe B. Auguſtinum, *Dæmones non poſsidere homines, niſi* 8.
quos fallendo deceperint. Dixiſſe quoque *inimicum neminem ſubiugare
niſi ſocietate peccati*: (Vide Theſin *12*. ca. *29*) Sed attendit Sanctiſsimus
Pater, non quid fieri neceſſe eſt; ſed quid, vt plurimum, fieri aſſolet.
Atque ita intelligendus eſt locutus fuiſſe Dæmon, quem S. Triphon
coegit cauſam dare, cur Gordiani Imperat. filiam ingreſſus eſſet.
Quando enim docuit Dæmones in eos poteſtatem non habere, *qui
in Deum ſunt pij*, quid, vt plurimum accidat, ſignificat. Quamquam
& dici poſſet B. Auguſtinus de ea poteſtate Dęmonis locutus, quam
in homines accepit, ratione peccati, quod committunt: quam pro-
fectò magnam habent, quamuis corpora ipſa non poſsideant. Ex his
patet quid ad Caſsianum reſpondendum.

Interim, quam, non ob propriam culpam, tyrannidem Dæmo- 9.
nũ, ſemper Obſeſsi patiuntur: illã non patiuntur ſemper ſine culpa.

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum aliorum culpa alijs. malorũ pœnæ poteſt eſſe cauſa; ita poteſt alijs Dæmonum tyrannidem & carnificinam accerſere.

10. Quod dicimus,non violat leges iuſtitię Nonne in bonis,quę quis poſsidet;ulloꝯ poteſt puniri? Et homines quidam,nonne quorundam hominum ſunt bona? filij parentum? ſerui dominorum,inferiores ſuperiorum.

11. Sed vtrum,quod Iuſtitiæ leges non violat,ſi fieret;etiam aliquando fit? Dæmonum ne quidam,non ob ſua;ſed aliorum peccata vexationes experti? Experti. Rem exemplis docemus. Superius,ca. 6.tria ex Cæſario attulimus; his quartum addimus ex *Vita Zenonis* Martyris deſumptum: Ibi mater,cùm febrienti filio poculum aliquoties præbuiſſet,nec filius petere deſiſteret;impatientia victa; eidem poculum offert,& cum poculo Dæmonium imprecatur; moxq́ue ille à Dæmone miſerè cæpit torqueri. Vide Surium *25* Maij. Addimus quintum,cælebris illius Dæmoniacæ Laudanenſis, Gallia, ann. *1566* liberatæ;& ſextum alterius *Motenſis* in *Hannonia*,ann.*1584*.quę ambæ in poteſtatem Dæmonum, mala parentum imprecatione venerunt. Septimum licet petere ex *Vita* S. Reginæ Hungarię Eliſabeth per Iacobum Spirenſem deſcripta,Cap.30.

Surius 25. Maij.

12. Conſtitutum igitur ſit, & *poſſe* homines abſque ſua; ſed tamen ob aliorum culpam,*Dæmonum* tyrannidem perpeti; & præterea ſæpe *reipſa* perpeti. *At qui ob quorum?* Difficile hoc forte explicatu. Ita tamen,ni fallimur,ſe res habet; quod quamuis quibuſuis in quibuſuis Deus exempla ſuæ vindictæ poſsit oſtendere; poſsit etiam quoſuis perquorumcunq́ue ſupplicia à peccatis deterrere;nullos tamen propriè hoc ſupplicij genere,tanquam iuſta pœna,ob aliorum culpas afficere iudicandus eſt:niſi qui cum ipſis,qui culpas dederunt,quadam ratione coniuncti ſunt.

13. Vindicabit parentum peccata in filijs : Dominorum in ſeruis
Exod. 20. Superiorum in ſubditis: Mariti in vxore, & contra *Deus noſter Deus eſt. Zelotes, vindicans peccata parentum in tertiam,& quartam generationem.*

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

Fieri quandoque, vt abſq; vlla ſua culpa Dæmonum cruciatus in obſeſsis corporibus ſuſtineant Mortales: ſed tamen non ſine magnis diuinæ prouidentiæ rationibus.

IN huius Capitis ingreſſu B. Hieronymi, ſuperiori Capite allatam conſtituimus ſententiam. *Quæ cauſa eſt*, inquit, vt ſæpe bimuli trimuliúe, & vbera materna lactantes à Dæmonio corripiantur? Inuiſibilia hæc inſcrutabili altiſsimi Dei iudicio ſunt relinquenda. Docet Sanctiſsimus vir, hac ſententia; non tantùm aliquando accidere, vt abſque vlla ſua culpa Mortales à Dæmonibus poſsideantur; verùm etiam abſque *omni* culpa. Hinc non iudicat multum cogitationes hîc fatigandas: diuinam potius vult prouidentiam admirandam & prædicandam. 1.

Et ita ſe prorſus res habet. Fit haud rarò, vt *abſque vllo hominum demerito patiantur homines, non hanc ſolum, de qua agimus, Dæmonum carnificinam, verum etiam alia quæcunque mala*, quæ vel corporibus poſſunt incommodare, vel fortunis. In quibuſdam malis vix alias cauſas, quam diuinam prouidentiam poſſumus inuenire. 2.

Et profectò multas hic diuina prouidentia poteſt habere cauſas; quando nulla hominum culpa, hanc carnificinam Dæmonibus vel permittit, vel præcipit. Scilicet, vel hic propoſitum eſt homines inſtruere: vel à vitijs deterrere, & ad virtutum ſtudia incitare vel ſtatuere exemplum patientiæ: vel maioribus bonis aptos & capaces ad futuræ vitæ reddere, gaudia. 3.

Inſtruit duobus modis. Nam principiò hinc intelligunt, præter corpora, *Spiritus quoſdam eſſe*, omnis concretionis expertes; quòd Sadducæi inficiabantur. Deinde colligunt mirum non eſſe, ſi *animam corporis expertem poſsideret*, quæ etiam quemadmodum Spiritus immortalis ſit & æterna; & poſt hanc vitam, aliam viuendi rationem ſit ingreſſura. Vide Toſtatum Abulenſ. in 8. Matthæi q. 12. 4.

Deinde hic, in imagine quaſi, ob oculos ponuntur *extremi illi cruciatus atque tormenta*, quæ poſt hanc vitam reprobos manent: ſitque ipſorum conſideratione, vt mortales fugiant peccata, quibus Dæmonum imperium & carnificinam olim in futura vita demerentur. 5.

N Agnoſ-

6. Agnoſcunt etiam, *quantum Spirituum immundorum erga humanum genus ſit odium*; cùm tanta in miſeros homines, atque innocentes etiam, barbarie ſæuiunt. quæ meditatio hoc habet emolumenti, vt prorſus animos Mortalium (niſi forte deploratæ ſint ſalutis) à Spiritibus auertat, & omnem cum ijſdem ſocietatem, atque communionem diſſoluat.

7. Poſſunt & hinc homines diſcere; *quidnam in anima eorum, qui Lethalia peccata perpetrarunt, Dæmones efficiant.* Quæ in corporibus fiunt, indicia eorum ſunt, quæ in anima accidunt. An non rupta vincula in obſeſsis Euangelicis, argumentum ſunt, eos qui cum peccatis fœdus habent, rumpere omnia honeſtatis vincula; quæ, ne peccent, prohibere poſſunt? Et quòd quidam hominum ſocietatem fugiant, atque in montibus cum feris degant; nonne communione Sanctorum, quæ in Eccleſia eſt, ipſos demonſtrat priuari? Quod verò alios lædere dicantur; nonne magnum argumentum eſt, peccatores non ſibi ſolùm; ſed alijs quoque detrimenta afferre; ſi non alijs rebus; ſaltem malo, quod præbent exemplo?

8. Denique hac ratione bonos exercet Deus De hoc dubium eſt nullum. Vt alijs rationibus; ita hac ſuos Deus poteſt probare. Qui poteſtatem Dæmonibus facit, vt extra iuſtos conſtituti, ipſos affligant: poteſt etiam facultatem dare, vt corpora ingrediantur, & ſuam tyrannidem exerceant.

9. Et quemadmodum ſuos, hac ratione, probat Deus: ita & ipſorum auget merita, & maioribus atque pluribus modis ſe ijſdem obſtringit. Vt taceam, quod vniuerſo mundo virtutis Suorum præbeat egregia exempla, atq; imprimis patientiæ.

10. Præter iam dictas, alias poteſt diuina prouidentia habere cauſas. Hoc ex Gregorij Turonenſis deſumpta, ſequenti Hiſtoria docemus. Theodorico, inquit, Francorum Rege defuncto, Theobertus filius eius ſucceſsit. qui cùm multa iniquè exerceret, multa etiã permitteret, quæ impedire oportebat, à S. Nicetio, Treuirenſi Epiſcopo, arguebatur. Aduenit autem dies dominicus. Et ecce Rex cum his, qui à Nicetio, communioni abeſſe iuſsi erant, Eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lecionibus, ait Sacerdos: Non hîc Miſſarum ſolemnia conſummabuntur, niſi communione priuati prius abſcedant. Hîc, Rege renitente, ſubitò exclamat vnus ex populo arreptus à Dæmone, iuuenis adhuc puer, cœpitque valida inter ſupplicia torturæ ſuæ, & Sancti virtutes, & Regis crimina proclamare. Epiſcopũ aſſerebat caſtum, Regem adulterum, Epiſcopum Chriſti timore humilem: Regem gloria regni ſuperbum Epiſcopum ſacerdotio im-

Digitized by Google

pollutum à Deo in poſterum præferendum. Regem ab auctore ſceleris ſui velociter elidendum. Cumque Rex timore perculſus peteret, vt puer Energumenus ab Eccleſia eijceretur; dixit Epiſcopus: Prius illi, qui ſecuti ſunt, id eſt, incæſti, homicidæ, adulteri ab hac Eccleſia extrudantur: & hunc Deus ſilere iubebit. Et ſtatim Rex iuſsit omnes hos, qui Sacerdotis ſententia damnati fuerant, egredi de Eccleſia. Quibus expulſis iuſsit Sacerdos Dæmoniacum foras extrahi: ſed cùm apprehenſa columna, euelli à decem viris non poſſet; Sanctus Dei ſub veſtimento ſuo (propter iactantiam videlicet euitandam) faciens Crucem relaxari præcepit. Qui protinus corruens cùm his, qui eum trahere nitebantur, poſt paululum ſanus erectus eſt. Deinde poſt acta ſolemnia requiſitus, nunquam reperiri potuit; nec vllus ſciuit, vnde venerit, aut quò abierit. Hęc Gregorius in Vita Nicetij, & poſt eum Cęſar Baronius, Tom. ſeptimo, anno Chriſti, 530. fol. 146.

Cæterùm ex hic omnibus (quæ 30. 31. & 32. Capitibus dicta ſunt) manifeſtè perpenditur, inquit Caſsianus Coll. cap. 28, non debere eos abominari, vel deſpici: quos iſtis Spiritibus nequitiæ tradi videmus, quia duo hæc credere nos immobiliter oportet. primò, quòd ſine Dei permiſſu nullus ab ijs omnino tentetur. ſecundò, quòd omnia quæ à Deo nobis inferuntur ſiue triſtia ad præſens, ſeu læta videantur; velut à pijſsimo patre clementiſsimoque medico pro noſtris vtilitatibus irrogentur: & idcirco eos, veluti pedagogis traditos humiliari, vt diſcedentes ex hoc mundo purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui ſecundùm Apoſtolum traditi ſunt in præſenti Satanæ, in interitum carnis, vt Spiritu ſalui fiant, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti Ita Caſsianus. II.

Finis ſecundæ partis.

PARS

TERTIA PARS DISPVTATIONIS DE DÆMONIACIS, IN QVA

De varia poteſtate, & multiplicibus modis Dæmones ex humanis Corporibus eijciendi, eorumque efficacitate & his ſimilibus agitur.

CAPVT XXXIII.

Eſſe aliquam poteſtatem & virtutem, qua ex hominum corporibus eijciantur Dæmones.

1\. TErtia Diſputationis Pars circa modum, & rationem Spiritus Nequam, ex humanis corporibus, profligandi verſatur. In hac, ſi generatim loquamur, *tria* potiſsimum quæruntur. Primum eſt, *Sitne aliqua poteſtas*, qua ex hominibus Dæmones exigi valeant. Alterum, *penes quos* hæc poteſtas reſideat. Tertium, *Quibus* potiſsimum *rebus* nitatur.

2\. Primum Caput, quemadmodum & alia, partes continet plures. Neque enim tantùm demonſtrandum eſt, *Eſſe* aliquam talem poteſtatem; verum etiam definiendum, *Vnáne* ſit illa, an multiplex: & ſi multiplex, *Eadémne* omnium conditio; ſiue, quod inter illas diſcrimen: Quam etiam ob cauſam Eccleſiæ illa relicta, &c.

3\. Et quidem *eſſe aliquam talem poteſtatem*, nemo debet dubitare, qui vel mediocriter in Sacris literis eſt verſatus. Illæ, ſiquidem, & à *quo* ipſa collata ſit, demonſtrant: & *quibus* collata ſit: & *quam ob cauſam* collata ſit: & præterea, *quam non fruſtra* collata ſit; haud leuibus argumentis inſinuant. Marc. vlt.

4\. Docent *collatam eſſe à Chriſto Domino*. Nam quos ille in vniuerſum mũdum miſit, vt nouam in mundum lucem inferrent, cęleſtemque doctrinam docerent; hac voluit poteſtate eſſe munitos, & inſtructos;

Digitized by Google

ctos; vt quandocunque ita expedire iudicarent, Dæmones ex humanis corporibus eijcerent.

Docent *omnibus fidelibus, ſed tamen imprimis Apoſtolis, atque Chriſti Diſ-* 5.
cipulis eſſe communicatam. Dedi (loquitur ſuis Dominus) *vobis poteſta-*
tem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones; & ſuper omnem poteſtatem inimi- Luc. 10.
ci. & perfectò, ſi vllis, his imprimis illa erat communicanda; qui
& pluribus modis ſe Domino obſtrinxerant: & ſocij operis tam
excellentis, quod ipſe perfecturus in mundum venerat, erant futuri.

Docent ob *quem finem* ſit collata: vt, ſcilicet, hac ratione authori- 6.
tatem ſibi apud infideles facerent: & veritatem doctrinæ, quam aſ-
ferrent virtute miraculorum, & præcipue Dæmonum profligatione, aſtruerent.

Docent *non fruſtra* hanc Apoſtolis collatam fuiſſe poteſtatem. 7.
Nunquid non plurima, ex hominnm corporibus. Dæmonia eiecerunt? Infinita pro hac re, exempla ſuppeditant, qui eorum res geſtas
deſcripſerunt. Verum illa referre neceſſe non eſt: cum ſacra ſuppe- Act. 19.
tant. Nouimus à *S.* Paulo eiectum eſſe Spiritum Pythonem ex puella, quæ haud *paruum quæſtum ſuis Dominis diuinando faciebat.* Noui- Act. 15.
mus attactu ſudarij eiuſdem profligata Demonia. Nouimus omnium Apoſtolorum hanc communem eſſe vocem: *Domine, etiam in* Luc. 10.
nomine tuo nobis ſubijciuntur Dæmonia.

Poteſtas hæc Apoſtolis collata, cum Apoſtolis extincta non eſt: 8.
manſit ſequentibus temporibus, Neque enim ad Apoſtolos tantùm pertinet, quod dicitur: *Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, In nomine* Mar. vlt.
meo Dæmonia eijcient: Omnes Chriſtifideles hæc oratio comprehendit. Tamdiu hæc à Chriſto collata poteſtas perdurabit; quamdiu
erunt, qui Chriſti fidem profitebuntur.

Quanquam & aliud pro hac poteſtate argumentum Sacræ literæ 9.
ſubminiſtrent; dum docent futuros ſequentibus temporibus, qui
Demonia ſunt expulſuri, & tamen longe à Chriſti amicitia alieni. de Matth. 7.
quibus his verbis Dominus. *Multi dicent: Domine, Domine; Nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & virtutes magnas fecimus?* quibus dicitur:
Neſcio vos.

Si Patrum pro hac re ſententias omnes proferre voluerimus, 10.
haud dubium, moleſti erimus. Sed tamen non omnes prætereundi ſunt. Ex multis igitur paucos referimus. *Dæmones,* inquit Tertullianus. Ad Scapulam, cap. 2. non tantùm reſpuimus; verum etiam
reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus;
ſicut plurimis notum eſt. Cyprianus ad Demetr. ita habet; O, ſi

 audire

audire velles (ſic compellat Demetrianum Africæ Proconſulem) & videre quando à nobis adiurantur & torquētur ſpiritualibus flagris; & verborum tormentis de obſeſsis corporibus eijciuntur: quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes, venturum Iudicem confitentur. Veni, & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Ita Martyr Cyprianus. In eandem ſententiā loquitur Iuſtinus, de veritate Religionis Chriſtianæ. Eius, inquit, nominis (IESV) potentiam Dęmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi, per nomen Ieſu Chriſti, crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Iudææ procuratorem egit, adiurati nobis parent. Cum vtroque conſentit Lactantius; Libro enim 4. cap. 27 ſic loquitur. Sicut Chriſtus, cùm inter homines ageret, vniuerſos Dęmones verbo fugabat: ita nūc ſectatores eius, in nomine Magiſtri ſui, & ſigno paſsionis eius eos ab hominibus excludunt.

10. Noſtris quoque temporibus, in Chriſti, apud Catholicos, Eccleſia, hæc poteſtas eſt; & eadem illa, quæ à Chriſto ſuis primùm collata fuit Diſcipulis: & ſequentibus ſeculis perdurauit. quod quamuis quidam ſine ratione negent, probari tamen haud obſcurè inde poteſt; quòd eadem eſt apud Catholicos, quæ in Apoſtolis fuit & maioribus noſtris, orthodoxa fides: quòd idem Catholicis, quod olim illis fuit propoſitum, denique, quòd non aliæ ferè modò, quàm olim, ad Dæmones expellendos adhibeantur machinæ, & tormenta. Sed de his aliàs.

CAPVT *XXXIV.*

De quadruplici poteſtate, qua Dæmones ex hominum corporibus eijciuntur.

1. ESſe poteſtatem aliquam, qua Dæmones ex humanis corporibus pelli poſſunt, probatum eſt: *Vtrum vna illa, eademq́ue omnibus locis atque temporibus fuerit*; atque *Vtrum ſi multiplex, æquales omnium vires, omneſq́ue probari debeant*, non temerè quęritur: Quocirca nec ſine ratione hîc definitur.

Et præter illam, quam Chriſtus Eccleſiæ reliquit, de qua præcedenti Capite actum eſt, fuiſſe *aliam aliquem*, Dominus docere alicubi videtur. Cùm enim per ſummam contumeliam, quòd *in nomine Beelzebub Dæmonia eijceret*, ipſi obijceretur, hanc à ſe calumniam, exemplo filiorum Iudæorum, qui apud ipſos Exorciſtas agebant, & Dæmonia

monia eijciebant, remouit. *Filÿ,* inquit, *veſtri, in quo Dæmonia eÿciunt.*

Scio per *filios* hos, quoſdam Chriſti Apoſtolos intelligere, & putare; non alterius, quàm Chriſti Exorciſmi hîc fieri mentionem: ſed rectius ſentiunt, qui non Apoſtolos, ſed Exorciſtas Iudæorum, qui Chriſtum etiam multo tempore præceſſerunt, & Dæmonia eiecerunt, intelligunt. Neque enim, cùm aduerſus Iudæorum calumnias ſe Dominus defenderet, iam cum hac Dæmones eijciendi, poteſtate ad Euangelium prædicandum miſsi erant Apoſtoli. poſtmodum hæc ipſis conceſſa fuit. Accedit, quòd ſimilem calumniam Apoſtolos paſſuros Dominus ſignificauerit. *Si patremfamilias*, inquit, *Beelzebub vocauerunt. quanto magis domeſticos eius?* 3. Math. 10.

4. Sed fuerint hi, quicunque voluerint, fuiſſe præter illam, quam ſuis Dominus contulit, *aliam*, qua Dæmones pellerentur, poteſtatem, ex Ioſepho, Iudæorum Scriptore, clarum eſt: *Is* ſic loquitur, li. 8. Antiq. cap. 2. Præſtitit autem Deus etiam Salomoni, vt contra Dæmones artem, ad vtilitatem hominum, & eorum curas, ediſceret: & incantationes inſtituit, quibus adſtricti Dæmones, ne denuò redeant, effugantur. Et hæc cura hactenus apud Nos multum præualere dignoſcitur. Vidi enim quendam Eleazarum, de gente noſtra, præſente Veſpaſiano, & eius filiis, & tribunis, alioque ſimul exercitu, curãtem eos, qui à Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiuſmodi. Intulit naribus eius, qui à Dæmonio vexabatur, annulum habentem ſub ſignaculo radicem à Salomone monſtratam, deinde per nares odorantis Dæmonium abſtraxit, & repente cecidit homo. Poſtea id adiurauit, ne amplius rediret: Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens autem ſatisfacere, ac probare præſentibus Eleazarus hanc ſe habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut peluim aqua plenum: & Dæmoni imperabat, vt ab homine egreſſus, ea euerteret, & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquiſſet: quo facto ſapientia Salomonis cunctis innotuit. Hæc Ioſephus.

5. Addo, quòd non tantùm his à Salomone acceptis artibus Iudæi ad profligandos Dæmones vſi ſint; verùm etiam ad eandem rem adhibuerint *nomen Tetragrammaton.* Cui enim illud ſcire, aut fari licuiſſet, quemlibet eam facultatem, aduerſus Dæmonia, aſſecutum eſſe teſtatur Epiphanius, agens aduerſus Ebionæos, Cap. 30.

6. Præter has Dæmones eijciendi, iam recenſitas rationes, *quartam* poſſumus conſtituere, qua per Dæmones Dæmonia expellun-

tur.

tur: Hac Apollonius Tyanæus vſus eſt, & tot ſibi diſcipulos conſciuit, vt Euſebius octo libros aduerſus Philoſtratum, Apollonij præconem coactus fuerit conſcribere. Hac vſi Magi, de quibus apud Leonem *Africanum* legimus, qui poſt ductos aliquot circulos, & characteres in fronte Dæmoniaci, interrogatumque *Dæmonem*, eundem ab hominibus exigebant. Hac etiam illi vſi videntur, quorum Iuſtinus meminit, Oratione ad Gentiles. De ſimilibus locutus videtur Vlpianus, (lib. 1. ff. de var. & extraord. cognit.) cùm negat ijs, *qui incantarunt, qui imprecati ſunt, & qui exorcizarunt; de eorum mercede ius eſſe dicendum.* Non enim Chriſtiani erant, qui gratis, abſq; aliqua conuentione ſtipendij, huiuſmodi officium impendere conſueuerunt; ſed gentiles, impoſtores, & circulatores; qui vrbes circuibant, & ſuperſtitionibus vtebantur: eoque exercitio inſtar medicorum curātium corpora, quæſtum faciebant, & pecunias colligebant: teſte Baronio, Tomo primo, *Anal.* Denique hac vſi illi, quorum B. Gregorius libr. 1. Dialog. cap. 10. meminit: qui adductam ad ſe nobilem fœminam magicis ſuis incantationibus à Dæmonio liberare tentârunt: & ab illo quidem liberârunt; ſed interim integræ legioni immundorum *Spirituum* oſtium ad eandem ingrediendum aperuerunt. Miro enim Dei omnipotentis iudicio, inquit idem Grego. dum arte peruerſa vnus ab ea repellitur, in eam legio ſubitò intrauit. Cœpitq; ex hoc illa tot motibus agitari: tot vocibus, clamoribus perſtrepere, quot Spiritibus tenebatur.

7. De hac quarta ratione dubium nullum fuit, apud *Iudæorum* Scribas & Phariſæos. Hinc Chriſti miracula, & Dæmonum expulſionem eleuantes: *In principe Dæmoniorum Beelzebub*, inquiebant, *eijcit Dæmonia.* Sed nec res noua videri debet: cùm conſtet non æquales omnium Dæmonum vires eſſe; ſed alios alijs potentiores, & ob id facilè fiat, vt hi inferiores ſedibus ſuis pellant.

8. Et quamuis Dominus alicubi probari videatur fieri non poſſe, vt *Dæmones Dæmonia* pellant; niſi ſuum regnum velint diſſolutum; non tamen omninò negaſſe *Dæmones* hanc poteſtatem habere: quin imò indicaſſe hác exceptionem aduerſus rationem à ſe allatam produci poſſe inde poteſt colligi, quòd illa, non tanquam ſatis firma, non contentis; alias, quæ non ita facilem exceptionem haberent, in medium proferre voluerit. Quanquam & hoc dici poteſt, ſignificare voluiſſe Dominum inuitos *Diabolos* per ſocios nunquam pelli. Quando enim ad ſociorum imperium cedunt; non tam expelluntur; quàm ſponte egrediuntur.

9. Et poſterior hæc reſponſio magis placet: quod ita ſua vis conſtet

Domi-

Domini argumento; quo inſinuat Regnum Diabolorum diuiſum non eſſe;& in hominum perniciem conſpirare omnes. Tertiam quidam reſponſionem, pro robore Domini argumenti, afferunt; quaſi de actu, non de potentia locutus ſit Dominus; docueritq́; Dæmonem non expelli opera Dæmonis, non verò expelli non poſſe. Verùm vel hi exemplis ſuperantur, quæ aliàs attulimus: vel quam nos ſecundo loco dedimus probare debent reſponſionem: & admittere, vnum alteri nullam vim afferre, aut inuitum domicilio ſuo pellere.

Quam quæſo ob cauſam alter alterum renitentem pellet? An fortè, quia fortior hominem, quem inferior torquet, diligit? At omnium Vatinianum eſt erga Mortales omnes odium. Nullus eſt, qui cuiquam bene velit. An quia malè vult inferiori, eumq́; perſequitur? At eſto, non ſibi bene velint: minus tamen hominibus, quàm ſocijs fauent. An quia placet, vt per ſe torqueatur potiùs miſer homo, quam inferiorem Spiritum? At poſſunt multi eundem ſimul torquere, nec vnus alterum in hominis tortura impedit Vide Abulenſem. qu: 61. in 12. Matth. 10.

Ex dictis ſequitur *quadripartitam poteſtatem* Dæmones pellendi poſſe diſtingui. Vna poteſt dici *Chriſti*: altera *Dei*: tertia *Salomonis*: quarta *Diabolica*. Et hæc quidem ab ipſis, ferè, authoribus diſtinctio ſumitur. Alia eſſe poteſt, quæ ex ratione pellendi Dæmones accipitur. Ita dicemus aliam *Diuinam* eſſe, aliam *Naturalem*. Naturalis eſt, qua Dæmones vi Dæmonum pelluntur: Diuina, qua Dei munere & beneficio: vt in illa *Dei, Chriſti*, atque *Salomonis* contingit; &c. 11.

CAPVT *XXXV.*

De multiplici differentia inter quadruplicem poteſtatem expellendi Dæmones.

MVltiplex eſt *differentia* inter rationes; quibus, ſuperiori Capite *Dæmones* expelli diximus, & alia ab ipſarum authoribus: alia à forma: alia à ſubiectis: alia à finibus: alia ex alijs cauſis & circumſtantijs petitur. 1.

Priores tres, quas diuina authoritate niti diximus, *Deum habent authorem*, ſi tamen vnde primùm illæ profectæ ſint, velimus attendere. Hoc de illa, quam Chriſtus ſuis communicauit, dubium non eſt; cùm Chriſtum omnes verum Deum profiteamur. Conſtat quo- 2.

Digitized by Google

quę de illa, quę per inuocationem nominis Tetragrammaton Dæmonia pulſa ſunt. Nec poſſumus de illa Salomonis dubitare, cum & diuinitùs illam communicatam eſſe teſtetur Ioſephus: & omnis omnino poteſtas, qua Dæmones pelluntur, ſi modo licita ſit, diuina ſit. At hoc Diabolica ab his differt. Hæc enim, vt à Dæmone nomen habet, ita Dæmonem agnoſcit authorem.

3. *Forma* in omnibus alia atque alia eſt. *Dei.* nominis Tetragrammaton conſtabat inuocatione. *Salomonis* poſtulabat annulum habentem, ſubter ſignaculum, radicem à Salomone monſtratum; quem naribus eius, qui Obſeſſus erat, oportebat inferri. *Chriſti* olim præcipuè habebat eius nominis inuocationem; aut res tales, quæ ad eius diuinitatem aſtruendam, aut doctrinam confirmandum facerent. Nihil horum habuit *Diabolica*.

4. Etiam *ſubiectis* ſiue *miniſtris* differunt. *Diabolica* non penes quoſcunque; ſed illos, qui ſe Dęmonibus vouiſſet, fuiſſe videtur. *Dei* apud eos, quibus permiſſum erat vti nomine Tetragrammaton, vt Epiphanius inſinuat. *Salomonis* certos habuit Exorciſtas. At *Chriſti* quamuis præcipuè Apoſtolis, omnibus tamen omnino fidelibus initio communicata fuit.

5. *Fines* diuerſos fuiſſe in his diuerſis modis nemo dubitat. Neque enim vnquam idem Deo & Dæmonibus propoſitus eſt finis. Itaque in poteſtate, quæ à Deo eſt, diuini nominis gloria, & augmentum; hominum incolumitas & ſalus: & à miſeria libertas quæritur: in Diabolica, ſi fortè hoc poſtremum confertur, priora fruſtra exſpectantur.

6. Quòd ſi primordia atque *principia* poteſtatum harum inquiramus; etiam hinc aliquod diſcrimen licebit accipere. Poſtrema omnium eſt, quam Dominus ſuæ Eccleſiæ contulit: hac aliæ ſunt priores. Inter has, ſi ordo conſtituendus, poterit præponi illa Dei. Neq; enim veriſimile eſt Salomonis pręcedere; cùm ante Salomonem à Dæmonibus Mortales obſeſſos fuiſſe dubium non ſit: & credi debeat non defuiſſe ijs ſubſidia, quibus iuuarentur. Diabolicam autem Dei poſteriorem eſſe, idcirco videmur poſſe aſſerere; quòd *Dæmon* Dei ſimia dicatur; qui Dei in rebus omnibus opera imitetur, & effingat.

7. *Efficacia* omnes ſuperare videtur illa Chriſti. Id non inde ſolùm colligimus, quod in propria perſona illam Dominus exercuerit; & nullo labore, leuiſsimis etiam adhibitis machinis, multitudine propemodum innumerabiles Dæmones expulerit: verùm etiam ex eo; quod ſuis promiſerit maiorem, quàm ipſe in edendis

mira

miraculis habuit, virtutem & poteſtatem. An non quod dicimus probant D. Pauli cingula? Petri vmbræ? Dæmonia etiam ab ijs pulſa, qui quamuis Chriſto non crederent; Chriſti tamen inuocationem in Dæmonum eiectione adhibebant?

Differunt quoque *duratione*. Conſtantior multò eſt illa Chriſti, profligandi Dæmones, ratio. Aboleuit, quæ per nominis Tetragrammaton inuocationem Spiritus pellebat. Perdidit ſuas vires illa Salomonis. Chriſti perdurabit, quamdiu eius in terris Eccleſia ſubſiſtit. Si Diabolica manet; non viribus ſuis, ſed Dei permiſsione manet. 8.

Licet hinc aliud diſcrimen petere. Quod illud? quòd priores, hoc eſt, *Diuinæ* illæ, *abſolutæ* ſint: *Diabolica* non item. Sint quantæcunque vires Dæmonibus ſuperioribus: ſint inferiores promptiſsimi ad ſuperiorum mandata exequenda: niſi ita Deus permittat; illi hos per Magos humanis corporibus pellere non poſſunt: quemadmodum neutri, id eſt, tam inferiores, quàm ſuperiores, niſi Deo permittente, homines poſſunt ingredi, & poſsidere. 9.

Addimus dictis *vltimam*, qua *Diabolica* à cæteris diſtat, differentiam. Non debent damnari illæ tres, quæ diuinam habent authoritatem: Diabolica probari nulla ratione poteſt. Quodcunque hic propoſitum ſit bonum: quodcunque malum caueri poſsit: permitti non debet, vt opera Dæmonum in Dæmonibus pellendis quis vtatur. 10.

CAPVT XXXVI.

Ob quem finem Eccleſiæ ſuæ Dominus contulerit poteſtatem Dæmones ex hominum corporibus eijciendi.

NOn tam hic, quæritur. Quare Dominus, miſſurus Apoſtolos ad Euangelium prædicandum, ipſis dæmonia eijciendi facultatem tradiderit; quàm, *Propter quam cauſam voluerit in ſua Eccleſia, perpetuis temporibus, eſſe hanc poteſtatem*. Prioris forſitan pauciores; huius plures ſunt cauſæ: quæ, quia illas ſuo ambitu complectuntur, hoc loco ſolùm referendæ ſunt. 1.

Poſſunt autem hæ, vel ex parte eius, qui hanc poteſtatem Eccleſiæ contulit: vel eorum, qui poteſtatem exercent: vel eorum, qui à Dæmonibus liberantur: vel etiam ipſorum, qui ex Obſeſsis eijciuntur, Dæmonum conditionibus peti. 2.

Digitized by Google

3\. *Chriſto* potiſsimum erat propoſitum initio naſcentis Eccleſiæ Euangelium ſuum mundo perſuadere. Ad quod cum maximis machinis opus eſſet; non debuit Dæmonum eiectio, quam magni miraculi loco omnes habent, (quemadmodum alias oſtendimus,) prætermitti.

4\. Et quamuis alijs etiam rationibus; ſed tamen imprimis Dæmonum eiectione, Euangelij virtus erat confirmanda: vt vel hinc intelligerent mortales, Dæmonum regnum Chriſti doctrina diſſolui; & à Dæmonum poteſtate credentes in filios DEI vindicari.

5\. Quocirca mirum videri non debet; quòd in hoc miraculi genere ſe plus Dominus occupauerit; pluribus etiam hic rationibus ſit vſus. Et quibus quæſo? Quoſdam ſibi vltro oblatos liberauit, nihil ab ijs exigendo: ab alijs exegit fidem. Quoſdam item abſentes, ad aliorum petitionem, curauit, vt filiam Cananææ; Nonnullos ſibi per occaſionem obuios factos. Sic alijs cum ipſorum aliquo incommodo ſubuenit; quibuſdam cum aliorum detrimento. Nonnullos etiam Dæmones eiecit imperando ſilentium: alios exigendo nomen ipſorum, &c.

Luce 4. *Marc.*6. *Matth.*15. *Matth.*8. *Marc.*9. *Matth.*8. *Luc.*4. *Luc.*8.

6\. Voluit etiam hac Spirituum eiectione Dominus Virtutem ſuam mundo probare; atque ſe eſſe verum Deum demonſtrare. Hinc ipſe quodam in loco: *Opera, inquit, quæ facio, illa teſtimonium perhibent de me.* Nec leue hinc argumentum ſumitur. Cùm enim ſumma Dæmonum poteſtas ſit; nec vlla quę cum ipſorum conferri valeat; profectò, quādo ad Chriſti imperium profligantur; ipſe omnibus Dæmonibus ſuperior eſſe conuincitur.

7\. Et Chriſti diuinitatem egregiè confirmabant partim modus, quem in Dæmoniis eijciendis ſeruabat; eijciebat plerunque verbo, partim multitudo expulſorum; qui aliquando 6666. fuerunt. Præterea Dæmonum trepidatio atque anguſtiæ, qui ſe torqueri magnis clamoribus teſtabantur: & quòd non per ipſum ſolùm; ſed & per alios, in ſuo tamen nomine Dæmonia eijcerentur. Denique quod vel ſola ſudaria atque ſemicincta eorum, qui ipſius eſſent diſcipuli, ad Spirituum expulſionem valerent.

8\. Et profectò mirabiles de Chriſto, in Iudæorum animis, opiniones excitabat Dæmonum per ipſum facta proſcriptio. Nam & hanc obſtupeſcebant: & cæteris eius, quantumuis magnis operibus præferebant: & ex eadem Chriſtum eſſe Meſsiam ſibi bene videbantur cōcludere. Quę dicimus, populi acclamationes, haud obſcurè indicant. primum illud, hæ: *Quid eſt hoc? quod eſt hoc verbum? quænam doctrina hæc noua?*

Digitized by Google

noua? alterum ſequentes: *Nunquam ſic apparuit in Iſrael.* tertium iſtæ: *Nunquid hic eſt filius Dauid? Meßias?* Marc. *1* Luc. *4*. &c.

Hæ præcipuè Chriſti temporibus fuerunt cauſæ. Ad has accedit, q᷑ ȯd hac ratione *ſuorum amicorum ſanctitatem & integritatem mũdo voluerit innoteſcere Dominus* Neque enim paruum ſanctitatis teſtimonium eſt, quod ex Spirituum eiectione ſumitur; præſertim ſi in vita, quod reprehendatur, deprehẽdatur nihil: multa etiam ſint; quę laudem & commendationem mereantur. Hæc ratio in ſancto Hilarione locum habuit: de quo ſic B. Hieronymus in Vita eius: *Latebat*, inquit, in Cypro inſula Hilarion. Cæterùm vix ad plenum viginti tranſiere dies, cùm per omnem Inſulam, quicunque immundos habebãt Spiritus, clamare cœperunt, veniſſe Hilarionem, ſeruum Dei, & ad eum ſe debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, & vrbes reliquæ conclamabant. Inter triginta igitur, nec multo amplius, dies, ducenti fermè tam viri, quàm mulieres ad eum congregati ſunt, qui omnes ab eodem curati. Hæc Hieronymus. 9.

Eadem ratio locum habuit in Triphone, cuius res geſtas deſcribit Metaphraſtes 7. Februarij. Nullo loco is habebatur. Paſtor erat anſerum. At poſtquam per Dæmonem; qui Gordiani Imper. filiam torquebat, ſignificatum eſt, ſe nullo modo, niſi Triphone imperante, domicilium ſuum deſerturum, Triphon qui latuit, cœpit innoteſcere; ad Imperatoriam aulam vocari; & tum hoc nomine haberi in honore; tum magis illo, quòd etiam ante eius aduentum fugam obſidens Dæmon cœperit.

Eadem locum habuit in S. Remigio. Voluit hunc mundo celebrẽ reddere Deus. ſed quo modo reddidit? depulſione maligni Spiritus, quem S. Benedictus profligare non potuit: Rem totam breuibus in Vita Remigij Hincmarus deſcribit.

Eadem in S. Ciriaco, cuius virtutem ſe agnoſcere publicè profeſſi ſunt Dæmones, quemadmodum docet Surius, Tom. *4*. in Vita ipſius.

Eadem denique locum habuit in S. Genoueſa, cuius tum imprimis cœperunt mirari & prædicare virtutem; poſtquam ipſi Turonum ingredienti Energumenorum occurrit multitudo, magnis vocibus clamantium, *gemino ſe incendio torqueri*: ſcilicet & præſentia S. Virginis, & Reliquijs S. Martini. Apud Surium Tom. *1*. in eiuſdem Vita.

Sed quod dicimus clariùs demoſtrat exemplum S. Sabini, qui S. Marciani fuit diſcipulus. Oſtenſus eſt hic in viſione cuidam mulieri Antiochenæ prædiuiti & nobili; ſed quæ ob filiam à Dæmonio obſeſ-

ſam, non parùm affligebatur. Ita verò oſtēſus eſt; vt intelligeret per hunc filiæ poſſe reſtitui incolumitatem. Quid igitur? aduolat ad Monaſterium: viſionem exponit; virum ſibi exhibitum poſtulat; nihil de ſanitate filiæ dubitans. Prodit primùm Monaſterij præfectus: ſed vbi alium (quem deſcribebat) ſibi exhibitum dixiſſet, & is vocatus accederet: (Sabinus is erat) protinus illa faciem agnouit; & filiam obſidens Dæmon reliquit. Vide Theodoretum, *Sect. 3.* Hiſtorię ſanctorum Patrum.

10. Cùm hac cauſa, alia affinitatem habet; quòd Sanctorum virorum honorem Dominus rem hanc valere velit. An ignoramus Deo propoſitum eſſe; vt in hac etiam mortali vita, honoribus proſequatur eos, qui ei miniſtrant, & voluntatem promptè exequuntur? Quantus verò hinc ad Sanctos honor redit: dum nunc ad ipſorum imperium (quando in viuis erant) Dæmonia profligata; nunc (poſtquam ex hac vita diſceſſerunt) ne puluerem quidem ipſorum illa ferunt? nunc etiam ad ſolum Sanctorum nomen exhorreſcunt; & trepidant?

11. Voluit etiam hac poteſtate Deus *Obſeſſis hominibus conſultum eſſe.* Quamuis enim animarum præcipuæ ſit medicus, & animarum ſalutem ante omnia quærat; corporum tamen curam non omnino deponit; etiam quæ illis aduerſa ſunt (vt ſunt moleſtiæ à Spiritibus allatæ) pro humanitate ſua, & erga humanum genus beneuolentia, tollit; & tantò magis ab ipſo hic auxilium erat exſpectandum; quò ſolus ipſe iuuare poſſet.

12. *Hominis dignitas* quoque hinc poteſt deprehendi, & ſummus Dei erga ipſum amor & beneuolentia. Quomodo verò? Subiecerat homini, initio conditi orbis, vniuerſam corpoream creaturam. In orbis recreatione, & reſtitutione eidem etiam in ſpritualem creaturam confert poteſtatem; *poteſtatem*, inquam, *calcandi ſuper ſerpentes, ſcorpiones, Dæmonia.* Nonne hæc magna hominis dignitas?

13. Ephes. 5. Præterea ad *ſplendorem atque ornatum Eccleſiæ*, quam maximopere Chriſtus dilexit, facit hæc Eccleſiæ communicata poteſtas. Sic ſcilicet nullum armorum genus ipſi patitur deeſſe. Non tantùm voluit inſtructam eſſe ſpiritualibus illis præſidijs, quibus animorum lucra & commoda habentur; (Sacramenta loquor) voluit quoque ornari poteſtate, qua Dæmonia valeret ex humanis corporibus exigere.

14. 1. Pet. 5. Poſſunt & hinc mortales intelligere, ſi quando peccant, *non Dæmonibus peccati culpam tribuendam eſſe, ſed ſibi.* Eſto circumeant, *Vt Leones,* Dæmones: retia vbique ponant: ſtruant inſidias: ſuperior tamen ipſis eſt homo. cuius hoc magnum argumentum; quia etiam inuitos ſuis ſedibus pellere poteſt.

Denique

Denique valet hæc poteſtas *ad confundendos Spiritus*. Quàm eſt grauis ignominia, ſi potentiſsimus Dux à ſordido, & pannoſo vincatur? ar . . ſua atq; domo pellatur? priuetur poſſeſsione & bonis. Quãta verò Dæmonũ potentia? Sed tamen Chriſtianus aliquis miles, quamuis nullo loco, in mundo, habeatur; verſetur cum beſtijs terræ, ieiunio & inedia ſit exhauſtus; poteſt nihilominus verbo Dęmonibus exilium imperare; poteſt inuitos ſedibus ſuis pellere. 15.

Atque hanc ego cauſam eſſe exiſtimo, cur plurimi Dæmonum, ne hanc cõfuſionem ſuſtinerent, ex hominum corporibus prius diſceſſerint; quàm ad Dæmoniacos, Sancti Dei homines, expulſuri Spiritus, acceſſerint. Ita ille, qui Gordiani Imp. filiam torquebat, quamuis aſſereret à nullo ſe, niſi Triphone, expellendum; poſtquam tamen Triphonem ex vico Phrygię, Camſade dicto, aduentare intellexit, in fugam vltro conuerſus eſt: teſte Metaphraſte. 1. Febr. Ita de integra Spirituum legione, quæ adoleſcentem torquebat (eius in Vita S. Arnolphi ſit mentio) refertur; quòd quamuis ita miſerum agitaret; vt vinculis neceſſe eſſet conſtringere; ne vel ſibi, vel alijs crudeles manus inferret: mox tamen, viſo Sancto viro, euanuerit, hominemque liberum reliquerit. Vide Liſiandrum, Epiſcopum Svveſsionenſem, in Vita Arnolphi, cap 24. 16.

Et hanc cauſam etiam eſſe dixerim; cur alij graues quidem fuerint mortalibus miſeris, eoſque mirum in modum cruciarint; ſi quando quod expellendi eſſent, ſibi timerent: in præſentia autem Sanctorum hominum à quibus eijciendi erant, ſilentium ſimularint, ſummamque pacem Obſeſsis reliquerint; quia, ſcilicet, homines obſidere videri nolebant: ne proditi, cum ignominia pellerentur. Quàm fuit nobili viro moleſtus ille, cuius in Vita S. Svviberti meminit Marcellinus? cap. 20. Lacerabat veſtes; morſu, quos poterat, petebat: ore ſpumabat: dentibus frendebat. Verùm poſtquam ad eundem appropinquauit Svvibertus; nullam moleſtiam afferebat. dixiſſes Obſeſſum, Obſeſſum non eſſe: lupum ſub ouina pelle. 17.

CAP.

CAP. XXXVII.

Penes quos ſit poteſtas Dæmones eijciendi; quam ſuæ Eccleſiæ Chriſtus Dominus reliquit.

1. SEquitur vt *penes quos ſit poteſtas Dæmonia eijciendi*, definiamus, Quod dum facimus; ſimul, quid in ijs, qui hac poteſtate legitimè, & cum fructu vti volunt, requiratur, diſcutiendum eſt.

De ſola verò *Chriſti*, quam ille mortalium generi in Eccleſiæ ſuæ commodum reliquit, ſermo eſt. Etenim ſi de vniuerſo genere loquendum ſit, dubium non eſt, quin & penes Deum illa ſit: & penes Angelos; & etiam penes quoſdam ex ipſiſmet Nequam Spiritibus.

2 De Deo res clara eſt. *In manu eius ſunt omnes fines terræ. In ditione eius omnia poſita.* Omnia eius imperio parent. Qui factus eſt vt nullum timeat, Deum timet. Quemadmodum Deus omnes res ex nihilo creauit; ita omnes in nihilum poteſt redigere; ita loco mouere: ita ſedibus ſuis exturbare.

3. *Angelos bonos* in malos habere imperium docent B. Auguſtinus; & B. Gregorius. Auguſtinus ſic loquitur, Lib 3. de Trin. cap. 4. Spiritus vitæ deſertor, atque peccator regitur per Spiritum vitæ rationalem, pium & iuſtum. Gregorius docet virtutis aduerſas (quarum nomine Dæmones intelligit) *ſubiectas eſſe Angelis, qui Poteſtates dicuntur.* Quod ſi ita eſt, quidni poſſent eoſdem ſedibus ſuis eijcere? Sed & Raphael Aſmodæum in Ægypti fines fugauit, atque, ne vnquam ad Saram rediret; mandauit. & alius quidam deterrimum Spiritum miſit in deſertum, vbi nulla hominum frequentia: quemadmodum in Vita S. Thomæ refert Abdias.

4. Et omnes quidem, etiam inferiorum Ordinum Angeli, quoſcunque Ordinum ſuperiorum Dæmones eijcere valent. Qui inferiores ſunt ordine naturæ, inquit S. Thomas. 1. p. q. 109. art. 4. ad 5. præſunt Dæmonibus, quamuis naturæ ordine ſuperioribus. quia; addit, virtus diuinæ iuſtitiæ, cui Angeli boni inhærent, prior eſt; quam virtus naturalis Angelorum.

5. Poſſunt & *mali* malos Spiritus pellere; ſocij ſocios, Nequam Nequam. Neque enim omnes æqualium ſunt virium. Qui ſuperiores ſunt Ordinibus; ſuperiores ſunt viribus. Qui ſunt inferiores, viribus

bus minùs valent. Quocirca & hi illis coguntur cedere; & illi hos poſſunt, ſi modo volunt, ſedibus deijcere, vt ſuperius aſſertum eſt. cap 16.

Ceterùm de his noſtra diſputatio non eſt. *De hominibus* eſt quæſtio. Quærimus, *Quibus hominibus poteſtas, quam Chriſtus in mundum inuexit, communicata ſit*: omnibuſve, an certis? Et ſi certis, quibuſnam illis? Atque hoc præcipuum hic caput eſt, 7.

Porrò ſi ex viu poteſtatis rem voluerimus definire, atq; exemplis niti, quæ Nouum Teſtamentum ſuppeditat: *tres* hominum claſſes conſtituere neceſſe erit, quibus iam ſæpe dicta facultas communicata eſſe videri poſſet; Si verò non exempla, ſed Chriſti orationem conſulamus, duas tantùm reperiemus. 8.

Expulerunt Dæmonia Apoſtoli, & Diſcipuli Domini. Id ipſorum oratio teſtatur: *Domine*, inquiunt alicubi, *etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis*. Expulerunt, qui Chriſti fidem complexi erant, quamuis in Chriſti, vel Diſcipulorum, vel Apoſtolorum non eſſent ordine, Neque enim fruſtra à Domino dictum eſt: *Signa eos, qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient*. Expulerunt etiam, qui nec in Diſcipulorum eſſent numero; nec inter fideles haberi vellent; vt Apoſtoli Ioannis hæc oratio probat: *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum.* 9. Lucæ 10. Mar. vlt. Luc. 9.

Verùm his omnibus, Chriſti oratione, aut promiſsione, poteſtas collata non erat. Hoc in tertio horum genere manifeſtum eſt; qui quamuis Chriſti nec diſcipuli eſſent, nec doctrinam profiterentur; cum Chriſti tamen nominis inuocatione, vt alios factitare videbant, Dæmonia expuliſſe videntur. 10.

In horum numero fuerunt Exorciſtæ, quorum Actuum Apoſtolicorum Hiſtoria meminit: qui circumeuntes, ſuper eos, qui Spiritus malos habebant, *nomen Domini Ieſu, quem Paulus prædicabat, inuocabant*. Sed tamen non eandem hi cum prioribus illis fortunam experti. Illis paruerunt Dæmonia; & ſedes ſuas reliquerunt; hos veſtibus ſpoliatos, & egregiè pulſatos conuerterunt in fugam. 11.

Duobus igitur hominum generibus hanc à Chriſto Poteſtatem dicamus eſſe communicatam: viris Eccleſiaſticis, ſiue Deo conſecratis, quos Chriſti Diſcipuli referunt. & hominibus Laicis, ſiue qui nullis ſacris Ordinibus ſunt initiati, quales haud pauci initio naſcentis Eccleſiæ fuerunt. 12.

Pro vtriſque ſunt Sacrarum Scripturarum teſtimonia. Pro prioribus quod dicitur: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes,* 13. Lucæ 10.

& ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem Inimici. Propoſteri oibus quod inter *ſigna quæ credentes dicuntur ſecutura*, numeretur Dæmonum eiectio.

14. Atque ita ſe res habuit initio naſcentis Eccleſiæ. Id multis exemplis Apoſtoli; id multis, quicunque ferè Chriſti fidem ſuſceperunt, demonſtrârunt. De Apoſtolis res certa eſt: reliquis Chriſtianis teſtimonium dat Tertullianus; qui & à *militibus* teſtatur eiectos immundos Spiritus: De Cor. Mili. cap. 11. & *parentes* docet ſolitos exorcizare proprios filios: de *Idol.* cap. *11.*

15. Sed & multa paſsim exempla inueniuntur in Maiorum Annalibus. Triphon paſtor fuit anſerum, ſed Dæmonibus terribilis; quinimò, qui Gordiani Imperatoris filiam obſidebat, auſus eſt dicere, non ſe à filia exiturum, niſi Triphonis exorciſmis cogatur: Metaphraſtes in Triphone. Sic celebris ille Archimandrita Theodorus: cùm puer adhuc eſſet; modum etiam Dæmones exigendi ignoraret; flagello, vt docebatur, eoſdem expellebat: quemadmodum de eodem ſcribit Georgius Presbyter, ipſius diſcipulus, in Vita Theodori.

16. Voluit, ſuſpicor, initio naſcentis Eccleſiæ Dominus hanc eſſe communiſsimam poteſtatem; vt ſic pluribus argumentis, veritas fidei Chriſtianæ, quæ mundo, tanquam noua lux, inferebatur, commendaretur: vt intelligerent homines, Dæmonum regnum Chriſti aduentu diſſolui: & omnino neceſsitatem ſibi incumbere, deſerta infidelitate Chriſtianam complectendi fidem.

17. Fuiſſe tamen peculiare munus ordinis Eccleſiaſtici ad hoc opus inſtituti, ſanctorum Patrum aſſertione exploratiſsimum eſt; & imprimis Ignatij Apoſtolorum diſcipuli, qui inter cæteros Eccleſiaſticos ordines, & officia, recenſet Exorciſtas. Et Cornelius Papa, ſcribens ad Fabium Antiochenum, in Romana Eccleſia dicit eſſe inſtitutos Exorciſtas, & Lectores; vnà cum Oſtiarijs, quinquaginta duos: Concilia præterea Romanum, ſub Syluestro, Laodicenum, Carthaginenſe IIII. inter Eccleſiaſticos enumerant Exorciſtas; ſicut & B. Hieronymus, in Epiſtola ad Titum, cap. 3. ſcribens. Inſuper in prædicto Laodiceno ſtatutum eſt. Ne, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſijs, quàm in domibus exorcizare præſumant: Imò, ne quid ſuperſtitionis in Exorciſmos irreperet, conſtitutum eſt; vt ordinandus exorciſta, de manu Epiſcopi, libellum acciperet, in quo ſcripti eſſent exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ; & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum ſiue baptizatum, ſiue catechumenum: vt patet ex antiquis.

Digitized by Google

tiquis Eccleſiæ Ritualibus libris, & Concilio Carthag. 4. cap. 7. Vide Baron. Tom. 1. Anno Chriſti 56.

Porrò non ita fuit initio naſcentis Eccleſiæ hæc poteſtas apud 18.
Laicos, vt poſterioribus ſeculis illa ijdem caruerint: quemadmodum nec ſolùm propagãdæ fidei cauſſa poteſtas illa collata fuit. Quibuſdam eſt tributa in ſignum excellentis ſanctitatis vitæ, morumque integritatis: quæ quia poſterioribus temporibus etiã in hominibus laicis claruit; mirum non eſt, ſi poſterioribus temporibus quoque poteſtatem Spiritus Nequam exigendi habuerint homines, ſacris ordinibus nõ initiati. Poſſunt pro huius confirmatione exempla plura produci; ſed clariſſima quædam ſunt ſexus fœminei, in quibus ſacer Ordo locum non habet. Hic primùm ſe offert S. Brigitta vidua: quæ in inuedia primò Ioannem Scoborinum, qui apud Oſtrogottos iuridicendo præerat; tum deinde ſuum curſorem; tertiò etiã quandam fœminam, ab infeſtatione Dæmoniaca liberauit; quemadmodum videre eſt apud Surium Tom. 4. fol. 350. Eſt deinde Catarina, Virgo Senenſis; quæ teſte Raimundo, in eius Vita, ſigno Crucis Spiritum eiecit. Eſt tertiò S. Genoueſa; quæ & plurimos curauit; & à Dæmonibus teſtimonium accepit, quòd grauem ſua præſentia ipſis afferret torturam. Surius Tom. 1. in Ianuario. Eſt quartò Anatolia Virgo; quæ Dæmoniacum, Anianum nomine, Diodori, viri conſularis filium, qui ſe eius precibus incendi clamabat, afflauit; & à Spiritu obſidente liberauit. Surius Tom. 4. folio 154. Plures referre neceſſe non eſt.

CAP. XXXVIII.

De Exorciſtarum varijs conditionibus.

Magnum eſt, & arduum opus Dæmones ex humanis corpo- 1.
ribus eijcere. Omnium id opinione, & conſenſu certum eſt. Hinc Apoſtoli; *Domine*, inquiunt admirabundi, *etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis*. & ad Apoſtolos Dominus: *Ecce*, inquit, *dedi vobis* (rem non vulgarem & leuem) *poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones; & ſuper omnem poteſtatem Inimici*. Et in magnam ſuſpitionem ſanctitatis atque diuinitatis Chriſti, plerique Iudæorum venerunt ex eo; quòd obſeruarent ipſum Dæmonia verbo expellere. Lucæ verò 9. in hanc vocem, cum ſtupore, proruperunt: *Nunquid hic eſt filius Dauid?*

Itaque quemadmodum ad res omnes arduas perficiendas, multa 2.
neceſſaria ſunt; ita haud pauca ab his requiruntur, qui humana corpora à Dæmonibus liberare tentant. Quæ verò hæc ſunt? quibus hîc opus machinis? quibus præſidijs?

ei

Digitized by Google

3. Si vrbes eſſent expugnandæ, aut arces; tormenta bellica adhiberi poſſent: Si regno pellendus Tyrannus aliquis; militum copia opus eſſet: verum quoniam non hic arces expugnandæ; nec Tyranni, qui ſub aſpectum veniunt, pellendi; ſed cum Spiritibus potentiſsimis bellum ſuſcipitur; aliæ adhibendæ ſunt machinæ, alia tormenta; quam quibus muri quatiuntur; aut Tyranni pelluntur.

4. Sed tamen hoc cum illis commune habere debent Machinæ, quæ ad profligandos Dæmones adhibentur; vt hoſti ſint aduerſę, & contrariæ: illas ipſe oderit; non ſuſtineat. Etiam hîc locum habet, quod dicitur: *Contraria contrarijs pelluntur.*

5. Hinc intelligimus iuſtiſsimas eſſe, quæ in Exorciſtis, ſi quando hoc certamen ineunt, poſtulantur conditiones. Petitur, vt conſcientiam exomologeſi peccatorum mundēt, vt orationi inſtent: vt corpus ieiunio affligant; vt magnam animi ſubmiſsionem ad hoc opus afferant; vt Dei amore flagrent; & bene de diuino adiutorio ſperent, &c.

6. Iuſtiſsimæ hæc ſunt conditiones. Nam & Dęmonibus inuiſæ ſunt, & magnum ipſas robur habere ad Dæmonum vires frangendas operaque diſſoluenda, tum exemplis; tum rationibus; tum etiam Chriſti grauiſsima authoritate poteſt probari.

7. *Confeſsio peccatorum* mundam parit conſcientiam, & vitę affert ſanctitatem. His quid magis immundis Spiritibus inuiſum? An non hoc exempla eorum probant, ad quorum pręſentiam, nunc in Idolis obmutuerunt; nunc ſe torqueri confeſsi ſunt, nunc etiam, quæ multis annis Idola inhabitarunt, reliquerunt?

8. *Oratione* fugari authoritate docetur Chriſti: qui orationem ad *omnia* à Deo obtinendum, maximum certiſsimumque præſidium eſſe aſſeruit. Sed tamen Orationis in hoc negotio neceſsitatem & virtutem maximè declarat; quòd dicitur *quoddam Dæmoniorum eſſe genus, quod, niſi Oratione, non eijcitur.* Hinc eſt, quòd quando ad Dęmones profligandos Sancti viri accedebant, & ipſi ſe ad Deum per orationem conuerterint: & aliorum pro Obſeſſorum incolumitate preces poſtulauerint; quemadmodum poſtulauit præſentis populi S. Bernardus; cum Mediolani in templo, ſub ſacrificio Miſſæ, expulit illum, cuius cap. 46. fit mentio; & ſociorum ſuorum S. Svvibertus; quando Edelherum, virum potentem, in nomine Chriſti à Spiritu liberauit, teſte Marcellino in eius Vita, cap 20. Omitto alios. Quid quod ipſe Diabolus in Aniano filio Diodori, viri conſularis clamauerit ſe incendi precibus Anatoliæ? Apud Surium Tom 4 fol. 154.

Ioan. 10. *Lucæ 9*

9. Non minores ſunt vires *Ieiunij*, & hoc Chriſti probat auctoritas. Oratio-

Orationi enim *Ieiunium* adiunxit; & vtrunque docuit eſſe medium neceſſarium ad illos Spiritus propulſandos; quos ex miſeri cuiuſdam hominis corpore Apoſtoli eijcere nequiuerunt. Neque enim Apoſtoli tum, vel ob multam orationem, vel ob frequens ieiunium, erant commendandi. Probat hoc Phariſæorum apud Chriſtum expoſtulatio. *Quare*, inquiũt, *Diſcipuli Ioannis ieiunãt frequenter, & obſecrationes faciunt, tui autem diſcipuli non?* Hoc ieiunij præſidium aſſumpſit S. Nicetius Lugdunenſis Archidiaconus. Vocatus enim ex Gallijs Romam, vt Leonis Romani imperatoris filiam ab obſidente Dæmone liberaret, opus hoc arduum aggredi noluit, niſi poſt continuatum, cum vigilijs & orationibus, triduanum ieiunium. Itaque quarta die per inuocationem diuini nominis: & Crucis vexillum, immundum Spiritum feliciter à corpore puellæ depulit. Ita Gregorius Turon. de Gloria Confeſſorum. cap. 63. *Luca 5.*

Sic vt in alijs rebus omnibus, ita hic plurimum valet *animi ſubmiſſio & humilitas*. Cùm enim ſuperbiſsimi ſint Spiritus; eos, qui de ſe humiliter ſentiunt, ferre nulla ratione poſſunt. Sed & Deus eorum ſic vult confundi ſuperbiam; dum potentiſsimos arrogantiſsimosque per eos, qui ſe nihil poſſe, & eſſe exiſtimant, profligat, & ſedibus pellit. Egregiè hoc quidam probauit victus humilitate & patientia S. Iordani. Poſtquam enim huic Dæmon per Obſeſſum alapam inflixiſſet, & ille alteram maxillam ſubitò præbuiſſet; confuſus ſuperbus Spiritus, mox reliquit Obſeſſum. Ita in Vita Iordani Dominicani, per Leandrum Albertum Bononienſem, apud Surium Tom. 7. *Io. Prouerb. 8. Pſal. 144.*

Sed & Dæmonum nobis hic ſuffragatur confeſsio. Adduxerant quidam Obſeſſum adoleſcentem ad S. Antonium, ſpe incolumitatis recuperandæ. Hic vt cognouit potentiorem eſſe Spiritum, quàm vt à ſe poſsit eijci; cum eodem ad Paulum Simplicem, virũ magnarum virtutum, properat: & poſtquam afflictum Sancto commendauit, ad propriam cellam reuertit. Quid Paulus? *Imperat tibi Antonius* (dicebat immundo Spiritui) *vt egrediaris*. Mouetur dictis nihil Spiritus. Tum melotam, qua indutus erat, aſſumens, & illa dorſum Obſeſsi verberans; rurſus priorem orationem repetit, inquiens: *Dixit Abbas Antonius. Egredere ab homine.* Sed nec quicquam mouetur Diabolus. imò inſoleſcit magis. Tandem ille Paulus. *Aut exibis, aut abeo, vt id dicam Chriſto iſque faciet, vt tibi ſit væ.* Et ad orationem conuerſus, Chriſtum pro adoleſcentis incolumitate precabatur. Mox Spiritus magnis vocibus: *Recedo, recedo: diſcedo ab homine: nõ amplius ad eum accedo. Pauli Simplicitas & humilitas me expellit.* Hæc Palladius in Sanctorum Patrum Hiſtoria; Sect. 25.

Hinc eſt quoque, quòd humiles aliquando ingredi reformidarunt Spiritus. *Permittebat* Dæmoni, quem iam erat expulſurus, S. Parthenius, vt aut ſe, aut humilem ingrederetur: verùm neutrum tentauit ſuperbus: ſed edito magno clamore diſceſsit.

11. Habet etiam hic locum *flagrans Dei amor*: Quid poteſt Deus negare amore ſui flagrantibus? *Diligentes ſe diligit. Voluntatem timentium ſe facit.* Quantu igitur amor Dei affertur; quanta reuerentia: dum quis Dæmones tentat eijcere; tanta vis Dæmonibus videtur afferri.

12. Denique omnino neceſſe eſt, vt *ſpem* habeant Exorciſtæ, & de Dei præſentia, eiuſque auxilio piè præſumant. Quid, quæſo, quis aggreditur, qui omnem rei conficiendæ ſpem abijcit? At vbi hoſtis magnos aduerſariorum animos obſeruat; & trepidat, & ſpem victoriæ aduerſarijs præbet. Et quia hac ſpe atque fiducia aliquando deſtituti fuerunt Apoſtoli: fruſtra Spiritum quendam ab homine eijcere tentârunt: illum ſcilicet, cuius mentio fit Matt. *17*. Docet id Domini reſponſio ad ipſorum interrogationem facta. *Quare*, inquiebant, *nos non potuimus eijcere illum?* Reſpondet Dominus: *Propter incredulitatem veſtram.* Vide Toſtatum q. 152. in 17 Matt.

Cæterùm ſpes atque fiducia hæc non noſtris meritis & viribus, ſed Dei potentia & bonitate niti debet. fieri alioquin poſſet, vt expulſurus Spiritum immundum, non modò parum efficeret, ſed ſe quoque præſenti periculo vexationis diabolicæ obijceret. Certè B. Gregorius, lib. *1*. Dialog. cap. *10* oſtendit à Dæmonio obſeſſum eſſe, qui, vt ipſe loquitur, *aliquid vltra vires ſuas* in Dæmonis expulſione tentare eſt auſus.

13. Hæc cùm ita ſint, optimè dixiſſe iudicandus eſt B. Antonius: Mihi credite, fratres, pertimeſcit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, & humilitatem; maximè autem ardentem amorem in Chriſtum Dominum. Hæc de Antonio Anathaſius in ipſius vita.

In eandem ſententiam, & iiſdem propemodum verbis locutus eſt Sanctus Remaclus, Epiſcopus Traiectenſis, qui Anno Domini 850. claruit. Satanas, inquit, pertimeſcit initia rectè viuere inſtituentium vigilias, orationes, ieiunia, manſuetudinem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, miſericordiam; ſed præcipuè purum erga Chriſtum amorem. Hæc in eius vita Notgerus.

Digitized by Google

Ex dictis colligitur, iſtas ob cauſas, viros etiam ſanctitate illu- 14.
ſtres difficulter adduci potuiſſe, vt operam ſuam miſeris, & obſeſ-
ſis hominibus in *Dæmonum* eiectione, locarent. quia ſcilicet, illa,
quæ in hoc genere plurimum poſſunt, non ſentiebant in ſe eſſe, præ-
ſidia. Sanctus vir fuit Laurentius Iuſtinianus, Patriarcha Venetus:
ſed rogatus, vt *Dæmonem* à muliere expelleret: *Ne petatis*, inquit, *à me, quod præſtare non poſſum.* ita Bernardus Iuſtinianus in Laurentij Vita, cap. 8.

Eodem modo reſpondit Gregorius Lingonenſis, & ipſe ſanctiſſimus Epiſcopus, teſte Gregorio Turonenſi, in Vita ipſius, cap. 7.

Eodem modo Beatus Remigius ijs, quos ad ipſum cum Energumena miſit ſanctus Benedictus: quemadmodum in vita ſancti Remigij ſcribit Hincmarus.

Eodem modo Nicetius Lugdunenſis Archidiaconus, teſte Turonenſi Gregor. de Gloria Confeſſorum, cap. 63.

Colligitur ex ijſdem omnem leuitatem procul ab hoc *Dæmo-* 15.
nia eijciendi opere, abeſſe oportere: nec conuenire, vt Exorciſtæ quidquam aut agant aut loquantur, quod riſum excitare valeat, & ad rem non pertineat. Doceri aliquorum exemplis poteſt obfuiſſe ipſis plurimum verbum leuiter prolatum. Vide cap. 11. Formicarij Ioannis Nider.

CAPVT *XXXIX.*

Num puritas conſcientiæ in Exorciſtis neceſſaria ſit: ſi Spiritus ex humanis corporibus eijcere debeant.

EX iam dictis haud obſcurè colligitur, *plurimum expedire; vt* 1.
qui Exorciſtarum officio funguntur, & Dæmones eijcere tentant; vitæ ſanctitate polleant, & nulla lethalis peccati conſcientia grauentur. Nam ſi iam dictæ machinæ per ſe magnum impetum facere poſſunt; quantum poterunt coniunctæ cum ſanctitate, & vitæ innocentia?

Et hoc egregiè probant exempla eorum, per quos *Dæmonia* legi- 2.
mus eſſe eiecta. Plerique omnes egregia ſanctitate claruerunt. Et in virorum genere hic ſeruiunt Triphon, Laurentius Iuſtinianus, Bernardus, Columbanus, Gregorius Lingonenſis, Remigius Remenſis, Benedictus, & alij: in genere mulierum Genoueſa, Catarina Senenſis, Euphraſia, Brigitta, Hildegundis, &c.

Quid-

3. Quid quòd ipſi Spiritus conqueſti ſint ſe Sanctorum præſentia torqueri? Cùm S. Genoueſa virgo Turonum, S. Martini Reliquias viſitatura, ingrederetur; turba Energumenorum, quam ob iram habuit, clamare cœpit, *ſe gemino incendio* torqueri: eò quod Sancta Sancti Antiſtitis aulam (eccleſiam S. Martini) ingrederetur. Surius Tom. 1. Sic ſe *torqueri* clamabat, adeoque facultatem egrediendi precabatur Ille, qui ad Theodorum Archimandritam adductus fuit; & ne loco ſe moueret, ab eodem mandatum accepit. Hoc Georgius presbyter, in Vita Theodori. Et quando S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, Italiam eſt ingreſſus, ex conferta turba clamabat Dæmoniacus: *Cur nos in Italia, Germane, perſequeris, ſi ſufficere debuit, quòd propter te pacem in Gallia habere nequiuimus.* Ita Conſtantinus presbyter, in eius Vita, lib. 2. cap. 20. Et qui in muliere loquebantur Treueris Magnerico, Treuirenſi Epiſcopo (de quo nos cap. 21.) conquerebantur, quòd *quotidianis S. Theodori incendijs* conflagrarent: quocirca & plurimum laboraſſe, vt eundem Galliæ regno excluderent. Similiter cum ad baſilicam S. Victoris, Maſſilienſis Martyris, adductus eſſet Aureliani Patritij ſeruus à Dæmonio obſeſſus, Martyris virtute ſe *exuri* magnis vocibus affirmabat: & poſtquam per ædem triduum eſſet debachatus, miſerum reliquit. Ita Gregorius Turonenſ. cap. 77. lib. 1. Miraculorum.

4. Quid quòd nec præſentiam Sanctorum quidam exſpectare voluerint: ſed fuga prius ſibi conſuluerint, quàm à ſanctis hominibus, cum ignominia, eijcerentur? Certè qui filiam Imperatoris Gordiani vexabat: & ſe non niſi per S. Triphonem eijci poſſe iactitabat; antequam S. vir accederet, ſede ſua relicta, aufugit, teſte Metaphraſte in Triphone. Et Legio Spirituum, qui miſerrimè torquebant adoleſcentem, cuius in vita S. Arnolphi, cap. 24. mentionem facit Liliardus Sveſsionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, mox in fugam conuerſi fuerunt; vbi ſanctum virum ſunt conſpicati. Similia lege apud Theodoretum, lib. 7. cap. 37. Hiſtor. Eccleſ.

5. Quid quòd nec ad illa loca voluerint reuerti; vbi Sancti aliquãdo fuiſſent? De S. Gregorio Taumaturgo refert Gregorius Niſſenus, in ipſius Vita: quòd cùm ad vrbem ex ſolitudine tenderet: & nocte præuentus aliud hoſpitium non haberet, ad fanum quoddam Idolorum diuerterit. quo quamuis frequentes Dæmones comparere ſoliti eſſent, redire tamen noluerunt; poſtquam ibidem vnam noctem ſanctus vir egiſſet.

6. Quocirca mirum videri non debet, quòd ad ſanctos homines olim confugerint; qui vel ſibi, vel ſuis libertatem à Dæmonis carnificina

Digitized by Google

nificina poſtularunt. quoniam quemadmodum Deo hos ſciebant eſſe chariores, ita ſperabant eoſdem Dæmonibus magis eſſe terribiles. Omnium ferè exempla, quæ hac Diſputatione adduximus, quod dicimus, probant: ſed præcipuè parentum puellæ Toloſanæ. (quorum in Vita S. Remigij fit mentio apud Hincmarum) qui cùm Romæ agerent, ſolliciti pro ſanitate filiæ: & multa de inſigni ſanctitate, vitæque, integritate ſancti Benedicti audiſſent; hunc præ cæteris, vt ſui miſereretur, importunis precibus rogauerunt.

Poteſt & hic nobis ſeruire ipſorummet Spirituum confeſsio, vtique diuinitus imperata: qua ſæpe ſe non niſi per excellentis ſanctitatis viros expellendos teſtati ſunt. Ethelherus quidam Paganus in villa Velſenberk fuit, vir nobilis: ſed ob Dæmonis tyrannidem, quam patiebatur infelix. Cùm in eo à Dæmone liberando plures fruſtra laboraſſent; reſpondit Spiritus, ſe non niſi per Svvibertum, VVerdenſis Eccleſię primum Epiſcopum, & Saxonum Apoſtolorum expelli poſſe. Ita Marcellinus cap. 20. in Vita Svviberti. Eodem modo reſpondit is, qui Gordiani Imperatoris filiam obſidebat. *Niſi*, dicebat poſt multos adhibitos Exorciſmos, acceſſerit Triphon, non recedam. Metaphr. 1. Februarij. Quod ſequitur, ad verbum refert Gregorius Turonenſis, de Gloria confeſſorum, ca. 63. Leonis Imper. filia, cùm à Spiritu vexaretur immundo, & per loca ſancta duceretur, aſsiduè clamabat Nequam Spiritus: Non hinc egredior, niſi Archidiaconus Lugdunenſis adueniat; & ipſe me, de hoc vaſculo, quod acquiſiui, eijciat. 7.

Veruntamen *omnino neceſſaria non eſt vitæ ſanctitas. Multi venient in extrema illa die, & dicent; Domine, Domine, Nónne in nomine tuo Dæmonia eiecimus*? &c. num idcirco hos ad cæleſtem Curiam admittendos cenſebimus? Sine errore non poſſumus. Dicetur illis: *Neſcio vos*. Si Sancti eſſent, excludi à regno Dei non poſſent. 8.

Optimè dixit B. Cyprianus, de Vnitate Eccleſię circa medium, prophetare & Dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis vtique & admirabilis res eſt: non tamen regnum cælorum conſequitur, quiſquis in his omnibus inuenitur, niſi recti & iuſti itineris obſeruatione gradiatur. 9.

Quocirca, & in ſacris Scripturis legimus, fuiſſe quoſdam, qui in Domini nomine Dæmonia eijciebant; *nec tamen Dominum ſequebantur*. At hoc prorſus erat neceſſarium; ſi vitæ ſanctitas omnino neceſſaria eſt. An qui Dominum non ſequitur, ſanctus eſſe poteſt? 10.

Q Qur-

11. Quapropter nequaquam, tanquam paradoxum, reijci debet, quod Epiphanius aduerſus Ebionitas ſcribens, Hæreſ. 30. refert de Ioſepho, homine de Iudæo, quòd *necdum credens, in nomine Ieſu à Dæmonio obſeſſum hominem liberauerit.*

12. Itaque & Dominus non iudicabat gloriandum, & gaudendum in hoc Apoſtolis: *quòd ipſis Dæmonia ſubijcerentur:* tum ipſos iuſtam materiam gloriæ exiſtimabat habere; quando conſtaret: ipſorum *nomina ſcripta eſſe in cælo:* ſignificabat, ſcilicet, fieri poſſe, vt etiam à regno Dei excludantur, qui Dæmonia eijcerent.

13. Scio magnum & prorſus diuinum eſſe opus, Dęmonum eiectionem: ſed diuinum quoque eſt opus donum linguarum: diuinum, donum ſanitatum: diuinum, donum prophetiæ. An verò omnes à peccati laqueis abſoluemus, quibus hæc diuinitus dona collata ſunt?

14. Scire non poteſt homo, *Vtrum amore vel odio dignus ſit.* Ita, cum vniuerſa antiquitate, tota per totum orbem profitetur Eccleſia. Quid verò? Si ad Dæmones ex hominum corporibus profligandos vitæ ſanctitas neceſſaria eſt, quomodo non ijs, de gratia ſua atque vitæ ſanctitate certò debet conſtare; quibus conſtat quod Dæmones eiecerint?

15. Qui diuinorum Sacramentorum ſunt adminiſtratores, non neceſſario omnes puras habere debent conſcientias. Verè Sacramenta adminiſtrare poſſunt, atque adeo verè adminiſtrant; quorum grauibus criminibus rea conſcientia tenetur. Quidni igitur Dæmonia valerent eijcere?

16. Sit ita, Dæmonum poteſtati ſint ſubiecti, qui in peccatis verſantur: ſed tamen quemadmodum iniquus Iudix non amittit poteſtatem iudicandi: ita iniqui Exorciſtæ non facultatem Dæmones profligandi. Sunt ſubiecti Dæmonibus, qua peccatores: ſunt Dæmonibus ſuperiores, qua diuina virtute ſunt inſtructi.

17. Non priuata eſt, nec mortalibus congenita Dæmones eijciendi poteſtas, diuina eſt. Dei beneficio collata eſt. Quocirca multò eſt omni Dæmonum poteſtate ſuperior. Quando igitur Exorciſtis parent, & cedunt Dęmones, non Exorciſtarum cedunt virtuti & innocentię; ſed Dei imperio, voluntati, & potentiæ.

18. Non illa peccati vis eſt; vt mox, vbi cœperit habere locum, omnem poteſtatem deſtruat; & priuet omni, quam quis in alios habet, iuriſdictione. Quid quæſo, ſi hoc ſemel conſtituerimus, certum in Chriſtiana Republica habebimus? quanta mox omnium rerum ſequetur confuſio? Priuet peccatum Dei amicitia: indignos reddat

reddat omnibus diuinis & humanis beneficijs: his priuilegijs non priuat.

Hinc conſequitur certum argumentum ſanctitatis & innocen- 19.
tiæ alicuius ex hac re ſumi non debere: atq; plurimùm errare eos, qui ob hanc ſolùm cauſam Sanctorum Catalogo aſcribendum aliquem cenſent, quòd in Dæmonibus eijciendis excelluerit. Etiam in peccatis conſtituti Dæmones poſſunt eijcere.

Magnum nihilominus, *aliquando*, hinc ſanctitatis argumentum 20.
ſumitur: tum ſcilicet; quando non deſunt alia ſanctitatis indicia; caſti integrique mores: vitæ auſteritas; orationis ſtudium; animi profunda ſubmiſsio; & excellens diuinæ bonitatis amor. &c.

CAPVT. XXXX.

Num Exorciſta Hæreticus, ſiue qui aliam, quàm Catholicam Religionem profitetur, Dæmones valeat eijcere?

FAcilè credet fieri poſſe, vt Hæreticus Dæmonia ex humanis corporibus eijciat, qui ad Domini verba attendet. Sic enim quodã in loco loquitur; *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudopropheta, & dabunt ſigna magna, & prodigia; ita vt in errorem, ſi fieri poſſet, ducantur etiam electi.*

Sed contrarium iudicabit, qui finem, qui in patrandis Miraculis 2.
Deo propoſitus eſt, velit attendere. Cùm enim hic ſit Veritatis confirmatio; hoſtes verò Veritatis ſint Hęretici; nulla ratione Deus ad Dæmonum expulſionem (quæ inter Miracula reponi poteſt) concurrere dicendus eſt: & ob id Hæretici nunquam Dæmonia eijcient.

Et ita ſe res habet. *Nunquam ab hominum corporibus, pellent Dæmo-* 3.
nes Hæretici, quandocunque, & quotieſcunque, hoc tentabunt, vt doctrinam ſuam, quam profitentur, confirment. Quod dicimus, præter iam expoſitum argumentum, *quatuor* ferè ſunt, quæ probare videntur.

Primum *Chriſti oratio*, quæ Dęmonum eiectionem inſinuat fide- 4.
lium eſſe ſignum: *Signa*, inquit, *eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient*, &c. at in fidelium numero Hæretici non ſunt. Dæmonia igitur, ex Chriſti ſibi communicata poteſtate, profligare non valebunt.

Alterum eſt, *quod eos nunquam Dæmonia expuliſſe legamus.* Cùm 5.

igitur illa vix fieri poſſe dicamus; quæ prætcritis temporibus nunquam facta ſunt; Hæreticos Dæmonia poſſe eijcere, idcirco videmur rectè negare; quia nullo vnquam tempora illa eieciſſe probatur.

6. *Tertium eſt, quod ſæpè in Dæmonum eiectione ipſos illuſos fuiſſe certis hiſtorijs doceatur.* Pro multis duas referimus. primam Staphilus in abſoluta reſponſione, contra Iacobum Schmidelinum, his verbis recenſet, pag. 404. Poſſum ego, inquit, redigere mihi in memoriam, anno *1545*. Dæmoniacam quandam puellam, è Miſniæ ditione adductam VVittenbergam, ad Lutherum, ea ſpe; quòd Lutherus, ceu tertius Elias, puellam iſtam à malo Dæmonio liberaturus eſſet. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum, & magni momenti opus, initio non parum difficilem ſe oſtenderet; at tandem tamen iuſsit puellam adduci in parochianæ Eccleſiæ VVittenbergenſis Sacrarium: illicq; coram alijs pleriſque Doctoribus, & eruditis viris, (inter quos ego, tum quoquè Magiſter iuuenis aderam) Dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare, ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vſitatus eſt. Cùm autem ille diu multumque adiuraſſet Dæmonem; cedere ille noluit: ſed eas in anguſtias ſit venia verbo, Lutheri caligas redegit, vt is quam primum è Sacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon vſq; adeò fores Sacrarij obſtruxerat; vt neque forinſecus, neque intrinſecus aperiri poſſent. Quæ res Lutherum in maiores etiam anguſtias adduxit; ita vt iam ad feneſtram properaret, ſperans per eam ſe poſſe effugere, & exilire. Verum obſtabant illi Cancelli ferrei; ſicque compulſus eſt vna nobiſcum tantiſper incluſus hærere, donec per cancellos ferreos ab Aedituo nobis oblata ſecuris; mihique, ceu iuueni viro, traditá vt ea fores affringerem: quod equidē tum conatus ſum, & ad effectū perduxi. Interea verò viſu admirandū erat: vt Lutherus angoribus correptus, ſurſum deorſumq; curſitaret, atq;, inſtar ouis parturientis, huc illucq; ſe inuerteret. Hactenus Staphilus. Eandem rem poſt Staphilum, habet VVilhelmus Lindanus, Dialogo 3. ca. primo Dubitantij & Bredenbach. Collationum, libro ſeptimo, cap. 40.

Altera hiſtoria Auguſtæ VVindelicorum accidit anno Domini, *1563*. in filia Michaelis Roſsimanni ciuis Auguſtani, quam Theologiæ Doctor, & apud ſanctum Mauritium parochus, Simon Scheibendardus Catholico ritu liberauit; poſtquam multa fruſtra tentaſſent verbi Miniſtri. Rem pluribus perſequitur Bredembachius li. 6. Collat. cap. 42.

Quar-

Quartum eſt, quod non in Dæmonum ſolum eiectione, verùm etiam *in alijs; ſi quando quadam perpetrare voluerunt. Miraculis, nihil efficere potuerūt, & egregiè cōfuſi ſunt ijdem Hæretici.* Pro hac re & vetera, & noua ſuppetunt exempla. Vetera primum adducimus. Sub Honorico Catholicorum hoſte, Cirola quidam Arianus Epiſcopus fuit; qui cū Catholicos, pro fidei ſuæ confirmatione. Miracula edere cerneret; ne ipſis inferior haberetur, hominem quendam quinquaginta aureis inducit, vt ſe cæcum ad tempus ſimulet; & poſtquam à Cirola iuſſus fuerit reſpicere, viſum ſibi beneficio Cirolæ reſtitutum eſſe publicè teſtetur. Quid verò? fiunt omnia: vnum non fit. Iuſſus non reſpicit fictus cæcus. Iuſto Dei iudicio ex vidente fit cæcus; magno cum Cirolæ, & omnium Arianorum dedecore. Ita Gregorius Turonenſis, de gloria Sanctorum lib. 2. cap. 3. 7.

Alius quidam Epiſcopus Regis Leuuildi imperio inductus, idem tentauit; & eodem quoque euentu. vt idem habet Gregorius de gloria Sanctorum, lib. 2. cap. 12. & 13.

Auſus etiam eſt Polichronius, ad confirmationem ſectæ ſuæ, vltro apud ſextam Oecumenicam Synodum, in Trullo, polliceri; ſe mortuum vitæ reſtituturum: & non multo poſt alato cadauere, cùm virtutis ſuæ ſpeciem eſſet editurus, & diu mortuo inclamaſſet fruſtra, ab omni concione, vt vaniſſimus nebulo, excluſus eſt. Idem, fruſtra, tentauit Simon Magus, teſte Egeſippo, lib. 3. cap. 2. de Excid. Hier.

Voluerunt etiam Ariani, Valentis Imperatoris infirmum filium ſanitati reſtituere; Verum tantum abeſt, vt reſtituerint; vt ex viuo mortuum fecerint: teſte Nicephoro, li. 11. cap. 20. Idem Manichæo accidit, cùm Perſici Regis filium prçſumeret curare, vt Theodoretus docet, lib. 2. Fabul. cap. 21. Hæc vetera ſunt.

Adiungimus noua. Ioannes Caluinus Burlæum quendam Oſtunenſem, promiſsis vitæ ſubſidijs, induxerat, vt mortuum ſe ſimularet: Quid tandem? cùm ex compoſito per Caluinum reſuſcitandus eſſet; diuina vltione percuſſus, verè mortuus aparuit. hoc Hieronymus Bolſecus, in Vita Caluini, cap. 13.

Simile in Polonia accidit in Matthęo quodam, homine paupere, qui & ipſe ſpe lucri, quod Hæreticus Miniſter promiſerat; ad infelicem & impiam ſimulationem inductus fuit, teſte Franciſco Turriano, li. 1. de dogmat. charact. verbi Dei. Et VVilhelmum Neſenum in Albi ſubmerſum ad vitam voluit reuocare Lutherus; ſed fruſtra, vt Lindanus in Dubitantio, Dialog. 3. cap. 1.

Digitized by Google

Prima igitur ratio eſt, per *Nominis Domini noſtri IESV Chriſti inuocationem*, de hac Iuſtinus Diſp. cum Tripho. in hunc modum: Per Nomen, inquit ipſius filij Dei, & primogeniti Creaturæ omnis, Dęmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur. & paulo ante: Eius nominis (Ieſu) potentiam Dæmones tremunt, & formidant: & hodie quoque ipſi per Nomen Ieſu Chriſti crucifixi, ſub Pontio Pilato, qui Indeæ procurationem egit, adiurati nobis parent. Hæc Iuſtinus. Prudentius ſimilia habet, in Apoth. contra Iudæos. 5.

——————— torquetur Apollo.
Nomine percuſſus Chriſti; nec fulmina verbi
Ferre poteſt: agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.

Secunda ratio eſt, per *vſum Reliquiarum. Eo eſt Sanctorum poteſtas,* inquit Chryſoſtomus, Orat de Babil. vt illorum ſuperſtitũ ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſsint Dæmones; vita autem functorum & loculos quoque reformident. Itaque (inquit idem Hom. 7. de 7. Machab.) vt audaces latronum duces, ſiue impij ſepulchrorum effoſſores, ſi fortè dum prædas agunt, aut ſpolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum; tamen ita, agnitis Regis inſignibus, terrentur; vt fugiant, neque cominus accidere vel attingere audeant, vnde ſibi compendium non procedere, ſed periculum prouident imminere, ſi quid inde audeant vſurpare: ita profectò, & Dæmones, qui verè latronum & principes & Magiſtri ſunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora poſita, longè ilico à conſpectu illorum pauidi fugiunt & abſiliunt. 7.

Ad hunc modum referrem illum; quo S. Clarus, Abbas Vienneñſis, Dæmonium ab ancilla eiecit, digitis ſuis in os Obſeſſæ immiſsis: quemadmodũ legere licet apud Surium, in Vita eius Tom. 1.

Referrem & manuum impoſitionem, qua B. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus plurimos curauit, de quò in eius Vita Fortunatus, Pictauorum Epiſcopus, Cap. 30.

Tertia ratio eſt, per *Sanctæ Crucis impreſsionem*: de hac Lactantius, 8.
Lib, 4: cap. 27. Sicut ipſe (Chriſtus) cum inter homines ageret, vniuerſos Dęmones verbo fugabat, hominumque mentes emolliebat, & malis incurſibus feriatas, in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius eoſdẽ Spiritus inquinatos de hominibus & nomine Magiſtri ſui, & *Signo Paſsionis* excludunt. Verba ſunt Lactãtij.

Quarta eſt, per vſum *Rerum Conſecratarum*. Antiquiſsima in Chriſti

Eccleſia

Eccleſia conſuetudo eſt; vt res quædam conſecrentur, & benedicantur; quibus deinde fideles, tum ad Dęmones profligandos; tum ad morbos pellendos, aliaque mala arcenda, vterentur.

9. Quinta eſt *Dæmonum per Exorciſmos adiuratio.* Huius meminit Cyprianus, ad Demetrianum Proconſ. Adiurantur, inquit, à nobis & torquentur Spiritualibus flagris: & verborum tormentis de Obſeſſorum corporibus eijciuntur Dęmones. Sed & Prudentius formam quandã Exorciſmi his verbis expreſsit,

Intonat Antiſtes Domini, fuge callide ſerpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes.
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas?
Deſine. Chriſtus adeſt humani corporis vltor.
Non licet, vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Pulſus abi ventoſe liquor. Chriſtus iubet: Exi.

10. His quinque poſſemus alias rationes addere. ſed hæ præcipuæ ſunt, & aliæ in iam dictis, præſertim verò in Exorciſmo, continentur: vt ſunt Ieiunium, Oratio, Miſſæ Sacrificium, Litaniæ, Sanctorum inuocatio, Crucifixi Imago: & his ſimilia, de quibus inferius.

CAPVT XLII.

Examinatur primus modus, quo per Inuocationem Nominis Ieſu, Dæmonia ex hominum Corporibus eijciuntur.

1. FOrmam & rationem Dæmonia eijciendi per *Nomen Domini noſtri,* & Dominus videtur præſcripſiſſe, & Apoſtoli obſeruaſſe, & Viri ſancti vſurpaſſe. Dominus pręſcripſit, cum dixit. *In Nomine meo Dæmonia eijcient.* Apoſtoli ſibi gratulantur; quòd in *Nomine Chriſti ipſis ſubijcerentur Dæmonia.* D. Paulus in *Nomine Ieſu* pręcipit Dæmonio, vt à puella exeat. Primis Chriſtianis teſtimonium prębent Iuſtinus & Prudentius ſuperius citati: quibus accedit Lactantius Firmianus.

Nec deſunt Exempla Sanctorum B. Theodorus Archimandrita, teſte Georgio presbytero, in Vita eius, apud Surium Tom. 2. *eiuſdem Nominis* inuocatione liberauit primò ſeruum quendam, quem Domina eidem Theodoro adduxerat: deinde Principis cuiuſdam filiam; quæ 28. annis, grauem Dæmonis carnificinam ſuſtinerat.

De S. Svviberto, Saxonum Apoſtolo ſcribit Marcellinus cap. 20.

quod

quòd Dæmoniacum, eundem liberaturus, acceſſerit cum ſocijs; & primùm quidem ſe ad orationem conuerterit: poſt orationem verò ad Spiritum conuerſus, eidem in *Nomine Chriſti* exitum imperauerit: ille verò graui poſt ſe relicto fætore diſceſſerit.

De *Arſacio* docet Sozomenus, libr. 4. Hiſt. cap. 15. quòd obuiam habuerit furioſum *Energumenum*; qui gladio armatus omnes in fugam conuerterit: ſed ad ſaniorem mentem redierit, & ab infeſtante Spiritu ſit liberatus *Chriſti Nomine*, per Arſacium, inuocato.

Idem *Chriſti Nomen*, cùm meritis atque ſtola S. Bernardi, coniunxit *Pontius*, Abbas Belleuallenſis; & feliciter Dæmonem ab Obſeſſo profligauit. qui alijs Exorciſmis adhibitis pelli non potuit: in Vita S. Bernardi, libr. 4. cap. 1.

Nec hoc Nomen neglexit Bernardus in Exorciſmo, quem collo Dæmoniacæ, à qua ſecundò *Spiritum* immundum eiecerat, alligauit. Sic enim is habet. *In* Nomine *Ieſu* Chriſti, Domini noſtri præcipio tibi Dæmon, ne hanc mulierem rurſus ingrediaris. *Vide* cap. 49. huius Diſputationis.

Et B. Dominicus; cùm, ſub concione eius, Dæmoniaca quædam exclamaret; & præſentes omnes perturbaret: In *Nomine Ieſu Chriſti*, facto Crucis ſigno Spiritui præcepit, vt miſeram relinqueret: qui & confeſtum reliquit. Vide cap. 9. lib 2. Vitæ ipſius.

Eligio Epiſcopo Nouiomenſi, cùm in prouincia Galliæ ageret, Dæmoniacus quidam, Quid hîc agis, dicebat. Ille mox; in Nomine *Ieſu* Chriſti, reſpondebat, obmuteſce, & exi ab homine. Vix verbum protulerat; & Dæmon euolarat, ita Audoenus Rhotomagenſis, lib. 2. cap. 11. in eiuſdem Vita. Denique *eiuſdem Nominis* inuocatione *Spiritus* eieciſſe D. Antoniū teſtatur, in ipſius Vita *Athanaſius*.

Quid, quòd eadem vſi etiam illi, qui Chriſti doctrinam nō profiterentur? *Vidimus*, inquit *Ioannes*, *quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, qui non ſequitur nobiſcum.* Huic adiunxero illos, quorum Lucas, in Hiſtoria *Apoſtolorum*, meminit; qui Iudæam circuibant, & ſuper eos, qui malos Spiritus habebant, *Nomen Domini* inuocabant. *Ioſephum* item, cuius *Epiphanius* meminit. *Act. c. 19.*

Verùm in hac Dæmonia eijciendi ratione, *quatuor* ſunt, quæ in quæſtionem venire videntur. *Primū* eſt, *quid* ſit in Chriſti Nomine Dæmonia eijci. Secundū, cur *potius* in Chriſti, quàm aut Patris, aut Spiritus ſancti Nomine Dæmonibus diſceſſus imperatus. *Tertium quodnam* potiſſimum Christi nomen (varia enim habet) hîc aſſumptum ſit. Quartum & poſtremum, An ipſe per ſe *modo* Chriſti 2.

Nominis compellatione robur aliquod habeat, ad Spiritus ex hominibus exigendos.

3. Primæ quæſtionis definitio requirit, vt ambiguitas Nominis prius diſtinguatur. Neque enim vna eſt ipſius ſignificatio. Nunc pro imperio; nunc pro meritis; nunc pro authoritate; nunc pro virtute

Luca 5. ac poteſtate, ſumitur. Exemplum primi eſt; quòd Petrus *in verbo ſiue*

Ioan. 14. *Nomine Domini* dixit *ſe laxare rete.* Exemplum ſecundi; quòd Domi-

Ibidem. nus promittat omnia petentibus & *rogantibus Patrem in ſuo Nomine.* Exemplum tertij; quòd doceat *Patrem miſſurum Spiritum ſanctum in*

Ioan. 10. *ſuo Nomine.* Exemplum quarti; quòd *in Patris Nomine aſſerat ſe opera & prodigia facere.*

4. Hoc conſtituto, dicimus, quod quamuis & Chriſti imperio; & Chriſti meritis; & Chriſti authoritate dici poſsit Dæmonia eijci, quando ad *Nominis eius* inuocationem pelluntur, propriè tamen *virtutem eius* intelligimus: vt idem ſit in Chriſti Nomine; atque in virtute Chriſti Dæmonibus exitum imperare.

5. Quod dicimus, facilè probabit: qui, quale opus ſit, Dæmonum eiectio, expēdet. diuinum prorſus eſt, & humanas vires longiſsimè ſuperans. diuinam igitur virtutem requirit; qua Dęmones vt expelli demonſtremus, *Chriſti Nomen,* hoc eſt, virtutem, quæ diuina eſt, inuocamus.

6. Idem animaduertet; qui ad orationem S. Bernardi volet attendere: quam cap. *49.* huius diſputationis referimus. Cùm enim arroganter Spiritus quidam ipſi inſultaret; quòd nec Syrulus (*S. Syrum* intellige, ad cuius Reliquias Dęmoniacum *Bernardus* miſerat) nec Bernardulus (ſic, per contemptum, Sanctum virū nominabat) ipſum ſede ſua atq; domicilio eſſet pulſurus: *Nōte,* reſpōdit *Bernardus, Syrus* eijciet: nō *Bernardus*: ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

7. Itaque in hac Dæmones eijciendi ratione duo videntur concurrere. Primum eſt Chriſti Nominis vſurpatio: alterum eiuſdem virtus & poteſtas. illud voce profertur: hoc animo concipitur, & verbo inſinuatur. Et ſic ad primam Quæſtionem reſponſum ſit.

8. Altera difficilior eſt: ſed tamen breuiter dicimus, *ob multas, & magnas rationes in Filij potius, quàm aut Patris, aut Spiritusſancti aut etiam Dei Nomine Dæmonia pelli.* Quamuis enim omnium Perſonarum æqualis ſit poteſtas; quia tamen Filij diuinitas erat aſtruenda, & doctrina confirmanda; omnino conueniebat; vt *Filij* Nomine inuocato Dæmonia pellerentur; cum hæc res egregiè ad vtrunq; valeret.

9. Innotuerat olim mundo prima in diuinitate perſona Pater: Filius non item. quemadmodum igitur Pater multis rationibus ſe

proba

probauerat;ita altera perſona,Filius Dei,ſuam diuinitatem ſignis & prodigijs debebat probare.

Pro Spiritus Sancti perſona,inquit aliquis,etiam hæc ratio militat.Non hoc ignoramus. Sed aliæ ipſi non defuerunt, quibus ſuam diuinitatem aſtruxit, rationes.& illa maximè,quòd Chriſti grauiſſimum pro ſe teſtimonium haberet; cuius diuinitas ſine Spiritus Sancti diuinitate conſtare non potuit. 10.

Sed & Filio multò maximè his prodigijs & ſignis opus fuit.Quid 11. ita?Poſtulabat, ſcilicet, hæc inprimis doctina, quam mundo inferebat,poſtulabant homines,quibus doctrina illa erat tradenda.poſtulabant illi,per quos erat tradēda. Nunquam mundo Chriſti doctrina(vt perſuaſa eſt) perſuaderi potuiſſet; niſi ad hanc inferēdam, & contrariam extirpandam prodigiorum machinæ,& Dæmonum profligationes fuiſſent adhibitæ.

Doctrina omnes ingenij vires ſuperabat.Carni erat contraria: &, 12. quæ mundus in præcipuo honore habebat, aſpernabatur. Tradenda hæc erat ingenij acumine valentibus;& qui, quòd ratione non capiebant, paradoxum iudicabant. Tradenda ijs. qui præter oblectamenta carnis, & huius vitæ, nulla alia ſupereſſe,exiſtimabant, bona. Et per quos tradenda? Non per Sapientes,& in Academicis congreſsibus, multis iam annis, exercitatos,Naturæ magiſtros:non per potentes & militum copia inſtructos;ſed per homines piſcatores:& qui vix ad honeſtorum virorum conſpectum admittendi videbantur. Quantis igitur,& qualibus hîc machinis, ſi quid feliciter fieri debuit, erat opus?

Eſto, potuerint hîc aliæ machinæ adhiberi: adhibitæ etiam *ſint.* 13. nec fruſtra adhibitę ſint:veruntamen conueniebat,vt etiam Dęmones in *Nomine Chriſti* profligarentur; illi ſcilicet, qui iam in mundo principatum obtinebant; qui multis modis, hominibus, plurimos annos illuſerant:ad quorum regnum diſſoluendum, ſpolia diripienda, arces occupandas, Chriſtus præcipuè in mundum venerat.

Hinc eſt, quod inter præclara à Chriſto geſta, nihil ita prædice- 14. tur,vt Dęmonum ex hominibus eiectiones.Nullum etiam opus ſit, in quo frequentiùs occupatus videatur. Nullū ferè,quod ita homines mirati.Nullū, quòd magis ipſius, hoſtes & aduerſarij calūniati.

Sed tertia nos ad ſe Quæſtio vocat, qua quæritur. *Quonam potiſ-* 15. *ſimum Chriſti Nomine,& Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores vſi ſint in Dæmonum profligatione?* Atque hoc loco, vt quod ſentio, dicam, extra controuerſiam eſſe puto, Omnium Chriſti Nominum vim magnam eſſe:& quod vnius fit vſurpatione,id poſſe fieri aliorum om-

nium. *Hoc*, ne alia proferam, declarat, qui nunc non infructuoſè Dæmoniacis adhibetur Exorciſmus; in quo omnia propemodum, quæ
16. Chriſto tribuuntur, Nomina inueniuntur.

Veruntamen, quamuis omnium vis magna ſit: *Nomine Ieſu tamen vſos eſſe*, & in eo plus præſidij poſuiſſe, optimè videmur poſſe affirmare, ob ſequentes cauſas. Primò, quia licet multa Domino Nomina tribuerentur; vnum tamen proprium erat. *Vocatum eſt Nomen eius Ieſus*, inquit Lucas, *quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam conciperetur.* Iam verò ipſe *ſuo* Nomine (quis dubitabit quin hoc proprio?) Dæ-
17. monia dixit eijcienda. *In nomine Meo*, inquit, *Dæmonia eijcient.*

Deinde huius Nominis inuocatione Dæmonia expulſa legimus, non per Apoſtolum Paulum tantùm; verùm etiam Iudæorum Exorciſtas, qui Apoſtolum alioſque Chriſti Diſcipulos imitabantur. Et de Apoſtolo Paulo hoc clarum eſt ex capite 16. Hiſtoriæ Actuum Apoſtolicorum; vbi eijciens Pythonicum Spiritum: *Præcipio tibi*, inquit, *in Nomine Ieſu diſcedere ab ea.* De Iudæorum verò Exorciſtis, Lucæ 9. *Vidimus*, inquiunt Apoſtoli, *quendam eijcientem Dæmonia in Nomine Tuo, qui non ſequitur nobiſcum.* Similiter Actuum 19. Quidam Iudæi Dæmones adiurabant *per Nomen Ieſu, quem Paulus prædicabat.* Quid, quod primi Chriſtiani hoc, præ cæteris, Nomen aſſumpſerint? Nominis Ieſu, inquit Iuſtinus, potentiam Dæmones tremunt, & reformidant: & hodie quoque illi per Nomen Ieſu adiurati nobis parent. De veritate Religionis Chriſtianæ. Quid, quòd hoc in Dæmonum eiectione Apoſtoli omnes vſi videantur? *Domine*, inquiunt Lucæ 10. *etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in Nomine Tuo.* Vide Toſtatum q. 153. in 17. Mathæi.

18. Tertio, quia huic Nomini aliquid plus tribuiſſe videntur Apoſtoli, quàm alijs omnibus. Omitto quòd in Nomine *Ieſu* dicatur flectendum omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: quoties Sanctiſſimus Paulus idem illud Nomen in ore habuit? quoties in corde? Licet id intelligere partim ex ipſius ſcriptis, in quib⁹ quingenties extat; partim ex grauiſſimis Scriptoribus, qui eiuſdem abſciſſum caput, ter *Ieſu* nomen, inclamaſſe teſtantur. Baronius Tom. 1. Annal.

19. Ad hæc accedit fidelium omnium, qui iam ſunt (haud dubium, quin & priorum) conſenſus: & quæ damnari non poteſt (niſi fortè à Chriſti hoſtibus) conſuetudo; quâ frequentius hoc, quàm quodcūque aliud, Nomen, ſi quando terrentur, aut cadunt, compellant: quâ morientibus hoc potius inclamant; quâ præ cæteris pingunt; & maiorem

iorem illi, quàm alijs, reuerentiam, nunc Capitis inclinatione, aut detectione, nunc geniculatione, exhibent.

Sed & ratio egregiè pro hac ſententia militat. Finis, qui in Dæmonum eiectione propoſitus fuit, hoc potius; quàm quodcunque aliud Nomen requirebat. Quid ita? Quia cum hic propoſitum eſſet, vt Chriſti gloria atque diuinitas innoteſceret; ipſeque pro vero Deo ſuſciperetur & haberetur: nónne illud Nomen aſſumere oportebat, quod Chriſto erat maximè proprium? quo ab omnibus paſsim compellabatur? Atque hoc eſſe dulciſsimum *Ieſu* Nomen, ſi non alia, certè Titulus Triumphalis, vt vocamus, ſatis ſuperque declarat. 20.

Porrò hæc pro tertiæ Quæſtionis reſponſione dicta, haud parum ad quartę ſolutionem faciunt. Neque enim obſcurè inſinuant *ipſum nudum Ieſu Nomen Dæmonibus moleſtum, & graue fuiſſe*: magnam quoque ad ipſos ſedibus humanis pellendos impreſsionem feciſſe. Id exemplo etiam eorum confirmari videtur; qui, quamuis Chriſtum non ſequerentur; nondum crederent; fortè etiam ipſius hoſtes eſſent & aduerſarij: *Ieſu* tamen Nomine inuocato Dęmonia pellebant. 21.

Sic Sagis, & ijs, qui ſe Diabolo deuouerunt, mandari, & ſerio pręcipi ſcimus; vt, ſi quando nocturnos conuentus habent, prorſus à Nomine *Ieſu* abſtineant, quanquam Ieſum abiurarint. Scimus ſubitò & Diabolos & præſentem turbam diſparuiſſe; ſi quando Collegarum alicui, etiam præter intentionem, Nomen *Ieſu* excidiſſet. 22.

Dæmonia aliquando conſuluit Chriſtianæ Religionis deſertor, & perſecutor Iulianus (Naz Orat. in Iulian. teſte) Cùm verò eidem, terribili; & quam ferre non poſſet, forma, apparuiſſent; pro conſuetudine, quam Chriſtianus adhuc habuit, ſe Cruce muniuit, crucis hoſtis: & ipſa mox diſparent: probantque ipſum per ſe Nomen *Ieſu* Dæmonibus horrori eſſe. 23.

Non leuia hæc ſunt argumenta. Sed vt Caput hoc concludamus; *quatuor* dicimus. Primum, magnam huius Nominis vim eſſe, ſi *cum reuerentia*, atque pietate proferatur. Secundum, Etiam per multum valere; quamuis *nullum pietatis affectum* habeant, qui eo vtuntur: ſi tamen eo fine, vt Chriſti virtute quippiam obtineant, aſſumant. Tertium, Nullam eius vim eſſe, ſi vt *nuda quadam in Aerem prolata vox eſt*, conſideretur. Quartum, Quòd, ſi vt ſignum aliquod vſurpetur, Dęmonibus terrori eſſe poſsit; quamuis & pius abſit affectus; & nihil ab eo, qui profert, exſpectetur. 24.

Primum illud probant eiecti ab Apoſtolis Dæmones; ſerpentes 25.

 ſublati

ſublati: hauſtum, ſine detrimento, venenum; infirmorum curatio: & his ſimilia, vt taceam, quòd pius animus, cum re qualibet (quidni cum diuini Nominis inuocatione?) poſsit plurimùm. *Pietas*, inquit Apoſtolus, 1. Timoth. 4. *ad omnia vtilis eſt.*

26. Secundum dubium non eſt. Illi ipſi, quos iam ſæpe produximus, huius rei teſtes ſunt: illi inquam, qui apud Chriſtum à Diſcipulis delati, quòd Dæmonia eijcerent, in eius Nomine, quem non ſequerentur. Debuerunt quoque hîc homines intelligere, Chriſti magnam eſſe virtutem; quando etiam illi, qui ipſius doctrinam non per omnia probabant, in eius Nomine Dæmonibus imperarent.

27. Tertium omnes, ni fallor, admittunt. Cùm enim vox in aerem prolata, nihil ſit aliud, quàm concuſſus aer; nihil efficiet, quod non concuſſus aer præſtat. Si pica aut pſitacus doceatur Nomen *Ieſu* proferre; viréſne alias, quàm quodcunque nomen prolatum habebit? vide Toſtatum in 1. Reg. cap. 19. qu. 40.

28. Quod verò quarto loco aſſerebamus, idem, inquam, Chriſti nomẽ, vt ſignum quoddam eſt, vires aliquas habere, facilè credet, qui animaduerteret *Dæmones* non rebus tantùm; verùm etiam ſignis rerum terreri & cruciari. Res clara eſt, de ſigno Crucis: quod vbi cũque tandem conſpexerint, & quomodocunque formatum ſit, odio habent impoſtores; & deteſtantur, quemadmodum fures, rotas, & patibula.

CAPVT XLIII.

Examinatur ſecundus modus, quo per vſum Reliquiarum Sanctorum, Dæmonia ex hominum corporibus eijciuntur.

1. ALtera ratio eijciendi Dæmones, eſt per *vſum Reliquiarum Sanctorum*. Pro hac produximus ſuperius B. Chryſoſtomi ſententiam. Chryſoſtomo adiungimus ſemicinctia, & ſudaria Apoſtoli Pauli: de quibus ita S. Lucas: *Virtutes*, inquit, *non quaſlibet faciebat Deus, per manum Pauli; ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius Sudaria & Semicinctia; & recedebant ab ijs languores, & Spiritus Nequam egrediebantur.* Addimus quoq; Vmbram Petri, qua Dęmonibus vim allatam eſſe haud obſcurè inſinuatur capite quinto Hiſt. Apoſtolorum.

2. Poſſent pro hoc argumento iam dicta ſatis eſſe; verùm quoniam hæc exorcizandi ratio magnos & multos habet Aduerſarios, pluribus

bus exemplis,rationibusque illuſtranda videtur,& explicanda.

Ab exemplis initium facimus. Refert B.Hieronymus, Epiſt.ad Euſtoch.de Vita Paulæ,ad ſepulchrum Eliſæi,Ioannis Baptiſtæ, atque Abdiæ,rugire co fueuiſſe,& latrare,& ſibilare, & mugire Dæmones. Idem atteſtatione totius populi Mediolanenſis fieri ad ſepulchra Prothaſij & Seruaſij teſtatur B Ambroſius, de Prothaſ. & Seruaſ.

Eorundem Prothaſij & Seruaſij memoria fuit in villa Victoriana ab Hippone regio,minus triginta millibus diſtante.Portatus eſt eò adoleſcens quidam,qui,cùm de medio tempore æſtatis,equum ablueret,in fluminis gurgite Dæmonem incurrit.Ibi cùm iaceret, vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo;tandem Dæmone fugam capiente liberatus eſt,ita B.Auguſtinus,lib.22.de Ciuit.cap.8.

Nazianzenus,Orat.19.tanquam rem omnibus manifeſtam relinquit,ad Cypriani Martyris ſepulchrum Dæmonia eiecta.

Plurima quoque per catenam S.Petri eiecta eſſe docent, & teſtantur Hiſtoriæ.Anno ſalutis 900 accidit,vt quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris,occupatus ab immundo Spiritu,ſeipſum dentibus dilaniaret;iuſſu verò Imperatoris ad Ioannem Pontificem ductus ſit;hic vt ſacram catenam attigit,erumpẽs nefarius Spiritus, hominem liberum reliquit.Hoc Vincentius lib.24.ca.88.& Chronicon Saxoniæ,

Quibus Belgium notum eſt,non ignorant apud Gheelam Brabãtiæ,ad ſacroſanctas D. Dymnæ Reliquias Dæmoniacos, ſingulari Dei Opt.beneficio,in hunc vſque diem liberari, inquit Bredenbachius,Lib.7.Collat.cap.37.

Sic anno 1541.in Sicilia, in templo S.Philippi,qui S. Petri diſcipulus fuit,ducentæ propemodum fœminæ liberatæ ſunt; & quotannis ipſo D Philippi feſto die liberantur non pauci, quemadmodum quodam in loco refert Thomas Fazellus.

Gregorius Lingonenſis Epiſcopus adductos ad ſe Energumenos, ſigno Crucis,&verbo curab[illegible]ed eo abſente multi Dæmonia ab Obſeſsis virga,quam geſtare ſolebat,pelleb[illegible]nt:quemadmodum habet Gregorius Turonenſis in eius Vita.Idẽ Gregorius,libr.2.Miracul. ca 44.docet ad pignora S.Iuliani Dæmoniacum cum vomitu ſanguinem Dæmonemque eieciſſe.

Sic Dæmones clamabant ſe gemino incẽdio torqueri;cùm S.Genouefa Reliquias S.Martini viſitaret:quia ſcilicet, nec ſancti Viri Reliquias nec S.Virginis præſentiam ferebant.Surius Tom.1.

Agnouit hanc Reliquiarum virtutem Pipinus, Caroli Magni parens

parent. Cùm enim Clericum ſuum (Brunco is vocabatur) à Dæmonis tyrannide cuperet abſolui, ad Sanctorum Reliquias ipſum deſtinauit. Nec ſpes fefellit: ſiquidem mox, vt limina Eccleſiæ S. Maximini, Treuirenſis Epiſcopi, attigit, curatus eſt Brunco: teſte Lupo, in Vita S. Maximini, apud Surium, Tom. 3.

Idem Lupus addit vno eodemque die, S. Maximini ſacro triginta ſeptem earundem Reliquiarum beneficio à Dæmonibus eſſe liberatos; in eorumque numero fuiſſe fœminam, quam poſt quadraginta ſeptem annorum carnificinam Satanicam Spiritus reliquerit; ſulphureo nidore, in diſceſſu ſuo, templum impellens. Sequenti item anno, eodem S. Maximino ſacro die, curatos viginti duos: tertio anno curatos tredecim.

De Reliquijs S. Liborij Epiſcopi Cenomanenſis ſcribitur; quòd cùm anno 836 corpus eius è tumba leuaretur, transferendum Badelbornam; liberatus ſit Diaconus, quem multis annis Diabolus torſerat. in itinere verò cùm ad eiuſdem ſacra pignora mulier obſeſſa adduceretur; cœperit horrendum in modum Dæmon mugire, ſibilare, atque alias ferarum beſtiarum voces edere: mox verò diſcedere coactus ſit; feretrum attigerit. Hæc apud Surium, Tom. 4. fol. 338.

De puluere, in quem effuſa fuit aqua, qua B. Oſualdi oſſa fuerunt abluta, refert Beda, lib. 3. Hiſtor. Anglic. cap. 11. quòd Dæmoniacum ſanauerit; apud quem nihil profuerunt Exorciſmi.

Sic nihil proficiebatur in monaſterio Belleuallis, omnibus Exorciſmis, quos adhibebant dicti monaſterij Viri religioſi: ſtola autem, qua S. Bernardus vti conſueuerat, Energumeno, per Pontium loci Abbatem, admota, ſubitò ſpiritum exegit, teſte VVilhelmo S. Theodorici, in vita Barnardi libr. 4. cap. 1.

De Gregorio Taumaturgo ſcribit Gregorius Niſſenus, in eius Vita; apud Surium, Tom. 4. quòd anhelitu oris ſui velum afflarit & obſeſſo illud imponens, Dæmonem expulerit.

De Maltonio Epiſcopo teſtatur Sigebertus, qui eiuſdem Vitã deſcripſit, (habetur apud Surium. Tom. 6) quod rogatus, vt nobilis cuiuſdam filiam, quam miſerè Dæmon torquebat, curaret; proiecerit in Obſeſſæ collum, ſuum ſtrophiolum: & ſtatim in conuitia Spiritus proruperit, & poſt potam benedictam aquam diſceſſerit.

Sic Terentianus prætoriæ cohorti præfectus ob mortem Ioannis & Pauli Romanorum ciuium, quam iuſſu Iuliani Apoſtatæ curauerat, cùm filio à Spiritibus immundis, ſceleres patrati vltoribus, inuaditur, ſed ab ijſdem liberatur, quamprimùm ad Marty-

Digitized by Google

rum ſepulchra fuit perductus. Ita in Vita Ioannis & Pauli per Terentianum ſcripta, teſte Baronio in *Martyrologio 16.* Iulij.

Habet hîc locum, quod de *S.* Bernardo refert Bernardus Bonæuallenſis *Abbas*. Huic, cùm Mediolani in Eccleſia *S.* Ambroſij eſſet celebraturus; puellam adducunt à Dæmonio obſeſſam, auxiliũ eius implorantes. Quid *Sanctus?* Aquam manibus ſuis iubet ſuper infundi; quam cùm puellæ bibendam dediſſet, mox priſtinæ ſanitati illa reſtituitur. Habet quoque locum, quod B. *Auguſtinus* affert *22.* de Ciuit. cap. 8. ſe Mediolani domum vidiſſe, quæ à *Dæmonio* vexabatur, & ſuſpenſa in illa parte terræ ſanctæ, à Dæmonij infeſtatione liberata eſt. Hinc optimè B. Hieronymus *Dæmoni*, qui per os Vigilantij, Reliquias contemnentis loquebatur : *Tu hoc viliſſimo totus es ſæpe puluere.* 4.

Nec mirum eſt Dæmones aut profligari, aut cruciari Reliquijs: cùm vel maiora; vel certè æqualia Reliquiarum attactu, & virtute perfecta eſſe ſciamus. *Per* has enim alijs eſt reſtitutus viſus: alijs redditus vſus pedum: alijs data vita: alij ab incurabilibus morbis liberati: vt bene dictum ſit à Patribus Nicænæ II. Reliquias *Sanctorũ* eſſe fontes ſalutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præſtat. Nec hic exempla deſiderantur. Mulier quædam fluxu ſanguinis laborauerat, annis duodecim. Expenderat in medicos omnes, quas habebat, facultates. Chriſtum in medio turbę conſpicata, cogitabat ſi vel fimbriam veſtimenti eius, tangeret, fore, vt ſanaretur. Quid multis? Vicit pudorem deſiderium ſanitatis. clàm Dominum accedit fimbriam tangit, & mox ſanitati reſtituitur. 5.

Conijcitur in ſepulchrum Eliſæi Prophetæ cadauer hominis cuiuſdam defuncti; ſubitò, vbi Eliſęi oſſa attigit, ſurrexit homo viuus, 4. Reg. 13.

Scribit S. Epiphanius in *Vita* eorũ, à plurimis coli ſolita ſepulchra Ezechielis, Iſaiæ, & Hieremiæ, ob multa beneficia, quæ in ijs locis propter eorundem merita Deus conferebat.

Baſilius Oratione in *Mamantem* dicit omnibus nota eſſe miracula, quibus Martyr alijs ſanitatem alijs, vitam reddiderit. Refert idem Orat. in Iulianum, cùm *Reliquię* S. Iulittę in quendam locum, vbi aquæ penuria laborabatur, adductæ fuiſſent, è terrra erupiſſe fontem aquæ dulciſsimæ; vt videretur ſancta illa, quaſi mater & nutrix communis, totam illam regionem lacte ſuo alere voluiſſe.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in Cyprianum. Omnia, inquit, poteſt puluis Cypriani cum fide, vt ſciunt hi, qui ipſi experti ſunt, & miraculum vſque ad uos tranſmiſerunt.

Ambroſius Sermone de Geruaſio & Prothaſio, & Epiſtola ad Sororem de ijſdem; inter alia facta, refert etiam cæcum, nomine Seuerum, arte Lanionem, omnibus notiſsimum, fuiſſe curatum ad contactum feretri, quo Reliquiæ portabantur.

B. Auguſtinus libr. 22. de Ciuit. cap. 8 aſſerit tot facta eſſe miracula, breuiſsimo tempore, ad Reliquias S. Stephani, vt multi libri ſcribendi ſint, ſi omnia referri debeant. Sulpitius, in Vita S. Martini, dicit ſolo contactu veſtis eius curatam mulierem à fluxu ſanguinis. Legendus eſt Iacobus Rabus de Miraculis contra Morbachium.

6. Magna ſunt quę diximus: Sed illud magis Reliquiarum virtutem probat, quòd etiam ſudaria, vel vela, (quæ Sanctuaria vel Brandea dicebantur) ijs, cùm tangendi facultas non concederetur, Maiores admouerint; & poſtmodum his tāquam rebus ſacris, ad res magnas per ficiendas vſi ſint. de quibus ne longiores ſimus, conſulendus eſt Cæſar Baronius, in Martyrologio, 15. Iunij. Quantam autem virtutem haurirent huiuſmodi Vela, admota Sanctorum tumulis, locuples teſtis eſt B. Gregorius PP. ſcribens ad Conſtantiam Auguſtam, li. 3. cap. 30. & Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum, cap. 28. & Diaconus in Vita Gregorij.

7. Quid, quòd non tantùm velamina, & Panniculi Reliquijs admoti; ſed & Veſtimenta languentium: atque mortuorum, ſacris altaribus, vbi Sanctorum ſeruarētur Reliquiæ, ſuperpoſita, virtutem quandam diuinam hac ratione contraxerint; vt poſtea infirmis aut mortuis adhibita, præſens remedium attulerint? Pro hac re eſt ſanctiſsimus Auguſtinus, qui ad arguendam Gentilium impietatem complurium miraculorum ſuo tempore in Africa editorum Catalogum texuit; eādemque gratiam floribus, qui ijſdem ſacrarum Reliquiarum loculis admoueri conſueuerunt, impartiri ſolitam pluribus monſtrat exemplis. Vide li. 22. de Ciuit. cap 8.

8. Maximis his maiora addimus. *Puluis* etiam atque ſitus, qui circa Martyrum ſepulchra inuentus eſt, maxima, propter Martyres prę ditus fuit virtute. Fidem huius integram faciunt Patres ferè omnes; ſed inprimis Gregorius Nyſſenus, Orat. in Theodor. qui de conſuetudine prædicti *Pulueris* colligendi hæc hæc ait: Si quis Puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quieſcit, oblitum eſt, auferre permittat: pro munere puluis accipitur, atque tanquam res magni pretij condēnda terra colligitur.

Cæterùm, quot quantáue miracula, ex collecto Puluere, circa Sanctorum ſepulchra iacente, Deus operari conſueuerit, verax teſtis eſt B.

eſt B Gregorius PP. li. 3. Dialog. cap. 17. qui fideli certaque atteſtatione refert, ex Puluere collecto, ex altaris crepidine mortuum eſſe reuocatum. Multa id genus habet de his, qui pleraque ipſe expertus eſt, Gregorius Turonenſis, de Miraculis S. Martini, lib. 2. cap. 1. & li. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 32. & ſequentibus. Item libro primo, de Gloria Martyrum, cap. 62. & lib. 2. cap. 33. 42. 45.

Nondum finem facimus. Addimus & hoc, quòd etiam à Sanctorum loculis ſeparata, ſi tamen in ipſorum impendantur honorem, eandem edendi miracula facultatem aſſecuta ſint. Hoc de Oleo manifeſtum eſt, quo ex more in Eccleſia antiquitus obſeruato, lampades circa ſepulchra Sanctorum ſolent accendi. eo enim vnctum cadauer filij Irenæi, mox reuixit, vt habet B. Auguſtin. 22. de Ciuit. ca. 8. Sic ingentia miracula edita ad Oleum ex lychnis, ad Martyrum ſepulturas refert Theodoretus, in Hiſtoria Sanctorum Patrum. De Ceræ particula, à S. Martini templo delata commemorat Turonenſis, quod igni iniecta totum incendium, quo domus ardebat, reſtrinxerit; & nouo miraculo Cera, quę ignem alere eſt ſolita, violentias ignis oppreſſerit. 9.

Vnum adhuc pro Reliquiarum gloria, atque argumenti confirmatione addimus. quòd ipſa quoque dira pœnarum inſtrumenta, quibus Martyres excruciati ſunt, magnam virtutem atque vim ex Sanctorum membris hanſerint. Teſtatur id *Lapis*: quo B. Stephani Protomartyris brachium eſt percuſſum. de quo S. Auguſtinus, Serm. 31. & 32. de Diuerſis, quòd plurima per ipſum Anconę, vbi religiosè ſeruabatur, facta miracula. 10.

Teſtantur D. Petri *Catenæ*: de quibus idem Auguſtinus, Serm. de Sanctis 29. Meritò, inquit, per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur Ferrum illud pœnalium vinculorum. Si iam medicabilis fuit adumbratio viſitantis; quanto magis Catena vincientis. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis (vmbræ) habere potuit in ſe vim ſalutis: quanto magis de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pondere ſacris impreſſa membris Vincula paſsionis?

Teſtatur Craticula S. Laurentij, cuius miraculorum meminit S. Gregorius Papa, in Regiſtro li. 2. Epiſtola 33. Hinc optimè Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. in Iulianum: Quorum (loquitur de Martyribus) corpora idem poſſunt, quod animæ: ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur: quorum vel ſolum ſanguinis guttæ, atque exigua paſsionis ſigna idem poſſunt; quod corpora.

11. Intellexerunt haud dubium, hanc Reliquiarum Virtutem Maiores noſtri. *Id* ex *quatuor* Capitibus poſſumus deprehendere. *Pri*mum eſt, quòd longas & difficiles Peregrinationes ad Sanctorum ſuſceperint Reliquias. *Quia* (inquit B. Chryſoſtomus) à Martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illos multitudo affluit.

*A*lterum eſt, quod ipſas ſtudioſè quæſierint: magna diligentia compararint: comparatas non alio; quam maximi theſauri loco habuerint. Hinc Theodoretus ad Græcos, de Martyribus; ſic habet: *A*nimæ triumphatorum Martyrum in cæleſti nunc patria vitam agunt, *A*ngelorum choris interſitæ: eorum verò corpora non ſingula quidem ſingulis monumentis conduntur; ſed *C*iuitates, oppida, paganiſque conuentus hæc inter ſe ſortitò partiti ſunt, laborantibuſque animis ac ægrotis corporibus ſalutaria ea conſiteri non ceſſant.

Tertium eſt, quòd eaſdem in ſummo honore iudicauerint habendas eſſe. *H*oc pulchrè exprimit Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus: *S*anctorum corpora, inquit, & præcipuè beatorum Martyrum Reliquias, perinde ac ſi Chriſti membra, ſinceriſsimè honoranda; & baſilicas eorum nominibus appellatas, veluti loca ſancta, diuino cultui mancipata, affectu pijſsimo & deuotione fideliſsima adeundas credimus. *S*i quis contra hanc ſententiam, venerit; non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.

Quartum eſt, quòd magni beneficij loco habuerint; ſi ijs locis, vbi Sanctorum Reliquiæ conſeruarentur, ſua haberent ſepulchra. *In Conſtantinopoli*, inquit *D*. Chryſoſtomus. Homil. Quod Chriſtus Deus, *Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope Apoſtolos; ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantq́; piſcatorum Oſtiarij Reges*.

12. Quæ diximus, egregiè, ni fallimur, noſtrum argumentum confirmant. *P*luribus opus non eſt. finem facimus, ſi quam ob cauſam, per *Reliquiarum vſum*, Deus Dæmonia expelli voluerit, paucis docuerimus: ſimul etiam expoſuerimus, Verène aliqua virtus Reliquijs inſit, quam Dæmones ferre nequeant.

13. *P*rioris non malè dixerimus *duas* eſſe cauſas. *A*ltera eſt, Chriſti diuinitatis & diuini numinis confirmatio: altera ſanctitatis eius, ad cuius Reliquias *D*æmonia profligantur, declaratio. Et nunc duæ hæ cauſæ ſimul concurrunt: nunc altera tantùm locum habet.

14. Olim, quando etiam ad Domini nominis Inuocationem miracula edebantur, Chriſti gloria maximè erat propoſita. Quocirca non

non tam mirabantur homines illa; ad quorum præſentiam attactumque Dæmonia eijciebantur; quàm, in cuius virtute eijcerentur: ſicque non tam ad prædicandos Chriſti Apoſtolos atque Diſcipulos excitabantur; quàm ad Chriſtianam Religionem complectendam vrgebantur.

Sequentibus, & noſtris temporibus, ſtabilita iam Chriſtiana Religione, quæ ad Reliquias miracula eduntur, ſanctitatis ferè ſunt argumenta. Vult Deus eos, qui ſibi miniſtrant, honorari. ad quam rem cùm miracula, Dæmonumque eiectio plurimum faciant; ad Sanctorum Reliquias & Pulueres hæc vult fieri. Sic ſcilicet de Sanctis maiorum ſanctitatis opinionem concipiunt homines. Sic maiorem ipſis honorem impendunt: feruentius ipſorum patrocinia implorant: & tutius meritis confidunt. quamquam & in his quoque Chriſti gloria propoſita eſt. 15.

Sed tamen (quod ſecundo loco explicandum erat) *Vis naturalis, qua Dæmonia profligantur, nulla vel Reliquijs; vel ijs quæ cum Reliquijs coniuncta ſunt, ineſſe dicenda eſt.* Quam enim aliam rebus corporeis, quàm corpoream, ineſſe dicemus? At qua Dæmones pelluntur, illam non oportet eſſe corpoream. Corporea nihil ad profligandos Dæmones: nihil ad res, quæ naturæ vires ſuperant, facit. 16.

Diuina igitur virtus eſt, qua Dæmones eijciuntur. Id in ſimili cauſa egregiè demonſtrat Apoſtolus Petrus. Cùm enim aliquando quendam ex vtero claudum curaſſet, & ob id omnium in ſe oculos vultuſque conuertiſſet: hac oratione à ſe, in Deum, patratum miraculum amolitus eſt *Viri Iſraelitæ*, inquit, *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi Noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, glorificauit Filium ſuum Ieſum. In fide nominis eius, hunc quem vos nunc videtis & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per ipſum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam, in conſpectu omnium veſtrum.* ita Petrus. 17.

Interim Reliquijs etiam Dæmonum exilia, atque prodigia alia, tribuuntur. Quia quamuis Deum authorem primum & ſummum habeant; alias tamen etiam poſſunt habere cauſas. Non ignorabat Dominus in digito Dei eijci Dæmonia; ſed tamen & homines verè Dæmonia eijcere, hac ratione confirmat: *In nomine meo Dæmonia eijcient.* 18.

At, quam cauſæ rationem in hoc negotio Reliquiæ ſubeunt? Inſtrumentalis ſuſpicor. Per Reliquias Deus, tanquam per inſtrumenta quædam, Dæmones pellit: quemadmodum eoſdem, per ignem 14.

quam iuſtitiæ inſtrumenta torquet, & punit. Sed hæc alium locum requirunt. Noſtra perſequamur.

CAPVT XLIV.

Examinatur tertius modus, quo per vſum Signi Crucis Dæmonia ex humanis corporibus eijciuntur.

1. CRucis rationes & conſiderationes variæ ſunt. Aliud Crucis Chriſti, aliud Signi Crucis Chriſti nomine intelligimus. *Crucem* dicimus illud ipſum lignum, in quo Dominus ſalutem noſtram operatus eſt: *Signum* Crucis quidquid illud ſenſibus offert. *De ſigno hic quæſtio eſt.* Nam Crux ipſa ad præcedens, de Reliquijs, caput pertinet.

2. Signum verò Crucis duplex poteſt diſtingui. Alterum permanens eſt: alterum tranſiens. Permanens aut ex ligno, aliáue ſolida materia fit, aut colore in plano effigiatur. Tranſiens, mox vbi formatum eſt, eſſe deſinit. Illud in eodem genere ponitur, cum Imaginibus: hoc inter rationes, quibus Dæmonia profligantur, ſuperius conſtituimus.

3. Huius Tranſeuntis duplex vſus eſt. Quoddam homines ſibi imprimunt(vt cùm pietatis ſtudio Cruce vel frontem, vel pectus, vel os muniunt): quoddam alijs à ſe; vt fit in Sacramentorum, maximè verò Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ vnctionis adminiſtratione; & quando fideli populo, in Eccleſia, ab Epiſcopis & Sacerdotibus, benedicitur.

4. Vterque modus antiquiſsimus eſt: & non cum paruo fidelium fructu frequentatus. Quod vt in alijs multis; ita in Dæmonum eiectione & profligatione licet deprehēdere; cùm nouū non ſit *ex humanis corporibus, virtute Crucis, ipſos eijci*; quemadmodum grauiſsimus teſtis eſt, quem ſuperius produximus, Lactantius Firmianus.

5. Nec hîc deſunt exempla. Ex multis pauca afferimus. Gregorius Lingonicus Epiſcopus ex Energumenis, ad ſe adductis, tantùm facto Signo Crucis iubebat Dæmonia diſcedere, vt loquitur Gregorius Turonenſis; in Vita Patrum cap. 7. Eodem Signo eadem à muliere quadam exegit Albinus, Andegauenſis Epiſcopus; quemadmodum teſtatur Vincentius Libr. 23 cap. 243.

6. Scribit Epiphanius, Hæreſ. 30. Ioſephum quendam, nondū Chriſtianum, Chriſti Cruce Dæmonia eieciſſe, & deinde Chriſtianū effectum, eodem Signo Iudæorum incantationes deſtruxiſſe. Eadem

dem Cruce vſa eſt S.Catharina Senenſis in illo exigendo Dæmone; qui egrediens horrendos in Obſeſsi gutture excitauit tumores; vt docet Raimundus in Vita eiuſdem, apud Surium, Tom. 4.

Eadem Theodorus Archimandrita; primùm in curanda Principis filia; quæ ab occulto Spiritu per annos 28. graues cruciatus ſuſtinuerat: deinde in muliere, quam Dæmon ex colle quodam egreſſus inuaſerat, miſereque torquebat; tertiò, in ſuo Oſtiario Eutychio, in cuius corpus, præter brachium nihil Spiritus potuit. Cruce conatibus eius à S. viro oppoſita. Hæc Georgius presbyter eius diſcipulus, in Theodori Vita.

Eadem vſus eſt B. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus; dum occultum quendam ex puella Dæmonem eiecit. ſiquidem mox poſt impreſſam puellæ Crucem, Spiritus per nares, in ſpecie muſcæ, egreſſus eſt. Vide Fortunatum Pictauorum Epiſcopum, in Vita Germani, cap. 27.

Eadem S.Brigitta vidua; in fœminę cuiuſdam curatione; quemadmodum Scriptor Vitæ eiuſdem teſtatur Surium, Tom. 4. fol. 350.

Eadem Arnolphus Svveſsionenſis Epiſcopus; quando ad ipſum perductus eſt adoleſcens Dæmoniacus, qui grauem ab integra Dæmonum legione carnificinam patiabatur: qui quamuis vix vllis vinculis potuerit conſtringi, mox tamen viſa Cruce velut agnus, quieuit, ſanctumq; virum adorauit. Scribit hoc in eius Vita Liſiardus Svveſsionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cap. 24.

Eadem D Bernardus; quando Sacrificio Miſſæ inſiſtens, quotieſcunq; hoſtiam ſacram Cruce ſignabat, etiam Obſeſſæ mulieri Crucem impreſsit. Vide cap. 46. huius Diſputationis. Et tum vſus eſt, quando à puero Spiritum eiecit, qui moleſtior & moroſior erat, tum maximè: quando puer vel Eccleſiam ingrediebatur; vel aqua benedicta eſpergebatur: vel Euangelium audire compellebatur; aut diuinis intereſſe ſacramentis: Vide in Vita Bernardi, cap. 3. libr. 2.

Eadem Mauritius Epiſcopus Andegauenſis in Dæmoniaca liberanda; quem propter ferocientem Spiritum vinculis fuit neceſſa conſtringi, teſte Fortunato in eius Vita.

Crucem quoque pectori Obſeſſæ impreſsit S. Laurentius, Archiepiſcopus Dublinenſis, quemadmodum & ori eiuſdem infudit aquam benedictam: & poſt vtrunq; ad orationem conuerſus, Dæmonem eiecit. Ita habetur c. 28. eius Vitæ, Tom. 6. apud Surium.

Sic Patroclus, eremi cultor, plurimos Dæmoniacos curaſſe legitur; ſed ſigno Crucis, teſte Gregorio Turonenſi, in eius Vita cap. 9. Idem Gregórius Turonenſis, in Vita, Nicetij Epiſcopi Treuirenſis, refert.

refert, quòd ſub veſtimento ſuo (volens vitare arrogantiam) Crucē oppoſuit Dæmoniaco, & ſic miſerum à Dæmonis vexatione liberauerit. Hiſtoriam ad longum, ſuperiùs Theſi vltima, cap. 32. dedimus.

6. Mirum verò non eſt Crucis ſigno Dæmonia ex hominum corporibus pelli. Etiam extra homines conſtituta, huius vim ferre nequiuerunt, ſi quando ipſa Chriſtiani olim hoc aggrediebantur & oppugnabant. Expertus eſt vim Crucis Gregorius Neocæſarienſis; quem ſæpe contra Dæmones his armis depugnaſſe teſtatur Gregorius Nyſſenus in eius Vita.

Expertus eſt Miles Georgius, qui iiſdem ſimulachrum Apollinis confregit; cùm in templum Apollini immolaturus, iuſſu Diocletiani eſſet adductus: teſte Metaphraſte, in eius Vita.

Experta S. Margareta, quæ Cruce Dæmonem, in forma Draconis ſibi appropinquantem, profligauit; vt idem Metaphraſtes 27. Iulij ſcribit.

Expertus ſanctiſsimus Antonius, qui hoc armorum genere, omnibus Nequam Spiritibus fuit terribilis: quemadmodum B. Hieronymus docet, in vita Pauli.

Refert quoque Gregorius Nyſſenus, in vita Neocæſarienſis, Diaconum Gregorij Neocæſarienſis, Crucis ſigno munitum exiuiſſe noctu incolumem ex balneis, inter innumerabilia ſpectra; ex quibus nemo eorum, qui noctu intraſſet, vnquam viuus exierat.

Refert Lactantius, Lib. 4. cap. 24 præſente Chriſtiano, qui frontem Cruce ſignauerat, Diabolum non auſum fuiſſe Imperatori reſponſum dare.

7. Adde, quod quamuis etiam pietatis ſtudio hæc Crucis arma contra Dæmones nō ſumerentur, Dæmones tamen afflixerint, & grauiter torſerint. Notum eſt exemplum Iuliani; qui dum pro Chriſtianorum conſuetudine, ipſe abiuratus Chriſtianus, ſe Cruce ſignat, Dæmones quos euocauerat, fugat, teſte Nazianz. Oratione in Iulianum.

Sic Lucianus, Epicureus licet, & cuiuſuis Religionis illuſor, tradit Eucratem dignum fide virum, cùm annulum accepiſſet ex ferro, vt ait, ex quapiam Cruce facto, aduerſus prauos Dæmones redditum eſſe ſecurum. Itaque, inquit Cæſar Baronius, Anno Chriſti 60. quemadmodum Iudæi Exorciſtæ, licet in Ieſum Chriſtum non crederent; tamen quod ſcirent à Paulo & alijs Chriſtianis in nomine Ieſu pelli Dæmones; & ipſi eodem nomine ad dimouendos eos, ab Obſeſsis hominibus vtebantur: ita Magi, quòd à Chriſtianis feliciter

felicitet factitari videbant, nimirum Crucis virtute eos Dæmonibus imperare;& ipſi ad coercendos,cùm opus eſſet,impetus Dæmonum ſigno Crucis vti voluerunt.

Habent hîc ſuum locum egregiæ Patrum ſententiæ. D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto Crucem vocat *ſaluberrimum remedium* ad pellendos Dæmones. Ephrem De pœnit.cap. 3. aſſerit *inſuperabilem Chriſtianorum armaturam*. Idem cap. 2. lib. de Armatura ſpirituali, ſic ait. Scuti vice,Crucis ſigno te muni: validiſsima enim armatura eſt. Origenes in eandem ſententiam loquitur, Hom.6. in 5. ca. Exodi. Timor & tremor, inquit, cadunt ſuper Dæmones, cùm ſignum in vobis viderint Crucis fideliter fixum. Idem, Homilia 8. ad diuerſos ſic habet:Immortale labarum(Crucem)portemus in frõtibus noſtris. Cum Dæmones hoc viderint, contremiſcent, qui aurata Capitolia non timent.B. Auguſtinus ad Catechumenos,docet idcirco eos Cruce ſignari, vt Dæmonibus ſint terrori.B. Antonius, teſte Athanaſio in eius vita, contra omnes terrores,ſolo Crucis ſigno iubebat ſecuros eſſe Monachos.Paulinus pro Cruce ſic cecinit, Natali 8. S. Felicis. 8.

Non Crucis inuictæ ſignum, & confeſſio munit,
Armatiq́; Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quanquam membris videamur inermes:
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

Quocirca non otioſa eſt hæc Cyrilli exhortatio:Non pudeat,inquit, vos, Chriſtum crucifixum confiteri; ſed in fronte confidenter ſignum Crucis digitis imprimatur: & in alijs omnibus Crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis. & in egreſſu,& in ingreſſu: ante ſummum recumbendo, & ſurgendo; eundo & quieſcendo.Magna hæc eſt cuſtodia: quæ propter pauperes gratis datur: ſine labore propter infirmos: cùm à Deo ſit hæc gratia & timor Dæmonum. Triumphauit enim de illo hoc ſigno. Oſtenta illi audacter, quando enim viderint Crucem, recordantur crucifixi: metuunt enim eum, qui contriuit capita Draconis. ita Cyrillus Hieroſolymitanus Cathech.9.

Et profectò haud dubitauerim hanc præcipuam,aut certè inter præcipuas, cauſam eſſe; cur tantus *Vſus* Crucis apud Chriſtianos omni tempore fuerit; vt (quemadmodum loquitur Tertullianus, de Coro. milit.cap. 3)triuerit frontem Crucis ſigno: ad omnem progreſſum atque promotum; ad omnem aditum & exitum: ad 9.

veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubicula, ad ſedilia; breuiter, quacunq; nos conuerſatio exercet. *Vt mirū non ſit, quod Theodoretus refert, militem quendam inde agnitum eſſe Chriſtianum, quod ad omnem potum ſignaret poculum.* Vide cap. 16. lib. 3. Theod.

9. Quòd ſi veterum Hiſtorias repetamus, & quas res Deus per Crucis ſignum voluerit perficere, atque adeò perfecerit, diligentius expendere; neque mirabimur, quòd Dæmones Crucis ſignum ferre nequiuerint; neque quòd religioſiſsimè illo vſi ſint Maiores noſtri. Incredibilia propemodum ſunt, & infinita, pro hac re argumenta. Refert Palladius, in hiſtoria Lauſiac. cap. 2. ſenem quendam, cùm in puteo aſpidem vidiſſet; ſigno Crucis puteum muniuiſſe; ac deinde ſine timore aquam hauſiſſe, & hauſtam ſine vllo detrimento bibiſſe. *Alium* item fuiſſe, (id cap. 54. habet) qui ſigno Crucis munitus in medijs flammis longo tempore perdurarit: legiſſe etiam ſe librum Hippolyti, de Virgine, quæ cùm corporis ſui copiam Iudici negaſſet, in poſtribulum ſit detruſa, ſed ſigno crucis liberata. Vide cap. 149.

10 Teſtatur Theodoretus per Iulianum & Martianum Martyres, ingentes Dracones ſigno Crucis occiſos eſſe: *S*anctos item Aphraatem & Macedonium, Petrum, & alios, eodem ſigno varios morbos curaſſe. In Vita ipſorum.

Cæco Cruce lumen oculorum reſtituit Eugenius Epiſcopus, vt habet Victor Vticenſis, de Perſecutione VVandalica, & Laurentius Martyr, vt notauit Ado Treuerenſis.

Iuſſus erat ab Imperatoris Diocletiani Præfectis Tiburtius, aut ſimulachris immolare, aut ſuper ardentes carbones ambulare: *P*oſterius Martyr eligit: ſed ſigno Crucis ſe muniens, aduerſi patitur nihil. ita Metaphraſtes.

Archidiaconus quidam, vt ſcribit D. Gregorius, Epiſcopo Sabino venenum propinauerat; hic Cruce facta venenum ſumit, & moleſtiam ſenſit nullam.

Poſt mortem Iuliani Imp. mare terminos egreſſum quaſi nouum diluuium minabatur: rei nouitate perculſi indigenæ, in Epidauro Dalmatiæ ciuitate, S. Hilarionem adducunt, atque in littore conſtitutum rogant; vt precibus ſuis mare, iramque Dei auerteret. Quid Hilarion? Tribus in arena Crucibus factis, manus contra fluctus eleuat: & ecce, ſubitò in modū muri eriguntur, & quaſi vim ſibi fieri ſentiētes, paulatim recedūt. Hoc Hieronymus in *Vita Hilar.*

Quo tempore Mauritius rerum potiebatur, veniunt Turcæ

Con-

Conſtantinopolim à Rege Coſdroa miſsi. Interrogati ab Imperatore, cur ſignum Crucis in frontibus gererent (omnium enim frons Cruce ſignata erat) cum Cruci nullum honorem putarent deferendum; reſponderunt, Signum hoc ingentis beneficij eſſe ſymbolum: hoc ſe olim à ſæuiente peſte liberatos fuiſſe, cum à Chriſtianis edocti tali ſigno frontem ſignaſſent. ita Nicephorus.

S. Martini hæc ad Iulianum oratio fuit: Ego, inquit, ſigno Crucis, nó clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Sulp. in Vita eius. Prudentius, pro hac re, in hymno ante ſomnum ſic cecinit:

Fac cùm vocante ſomno,
Caſtum petis cubile,
Frontem locumq; cordis,
Crucis figura ſignes.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno,
Mens fluctuare neſcit.

His addimus vnum ex Auguſtino, & quidem Auguſtini verbis. 22. de Ciuit. c. 8. In Carthagine, inquit, Innocentia religioſiſsima fęmina, de primarijs ipſius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat; rem ſicut medici dicunt, nullis medicamentis ſanabilem. Hoc illa à perito medico, & ſuæ domui familiariſsimo acceperat: & ad ſolu Deũ orando ſe conuerterat. Admonetur in ſomnis approprinquante Paſcha, vt in parte fæminarũ obſeruanti ad baptiſterium, quęcunq; illi primitus baptizata occurriſſet, ſignaret ei locum ſigno Crucis Chriſti. fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Hæc Auguſtinus.

Quę cùm ita ſint, mirũ eſt noſtris tẽporibus inueniri homines; qui nullã crucis vim cõtra Dęmones eſſe velint: Tribuãt etiã eorũdẽ *aſtutiæ*, ſi quãdo ad hoc ſignũ diſcedũt: quaſi nequã, hominũ ſuperſtitionẽ hac fuga, quã ſimulare dicũtur, fouere & promouere intẽdãt. 11.

Si in Dæmonum fuga vim crucis nullam agnoſcunt; quid dicent, ad tot, tanta, tam certa prodigia, quæ ſolo crucis ſignaculo ſunt perfecta? ad profligatos morbos? ad reſtitutam ſanitatem? ad hauſtum ſine detrimento, & ſalutis iactura venenum? ad ſublatos ingentes dracones? ad fractos & repulſos maris fluctus? ad hoſtes proſtratos? ad deiecta, & confracta ſimulachra? ad innumera alia, quæ Dæmonis arte perfici non potuerunt? 12.

Mirum eſt poſſe Dæmonibus vim hanc tribui: cùm vniuerſa antiquitas illam, non Dæmonibus, ſed ſignaculo tribuerit crucis. Mirum eſt dici poſſe, ſuperſtitionis hæc eſſe argumẽta; cùm à viris ſanctiſsimis, qui Dæmonum coniuratiſsimi hoſtes fuerunt, veluti chriſtianæ religionis firma præſidia, ad omnia aduerſa profliganda, fuerint aſſumpta. Mirum eſt dici poſſe, illos colluſiſſe cum Dæmoni- 13.

monibus; quorum nec viuorum præſentiam; nec mortuorum cineres Nequam Spiritus ſuſtinere potuerunt.

14. Nos hic Dæmonum non aſtutiam;ſed infirmitatem intelligimus; quando ad Crucis ſignum diſcedunt, Vt in alijs omnibus,quæ Theſi 10 recenſuimus;ita in Dæmonum eiectione Crucis virtutem agnoſcimus. Crucem ad pellendos Spiritus *ſaluberrimum remedium*, cùm Baſilio,credimus,& profitemur.*Veniat*, dicimus cum Athanaſio(libro de Incarnatione & ſalutari Domini aduentu) *veniat*, inquam,qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigijs Dæmonum,& impoſturis vaticiniorum,& in miraculis Magiæ, vtatur ſigno Crucis ab ipſis deriſo: nomenque Chriſti inuocet;& videbit,quomodo eius rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ & veneficia iaceant. Hactenus Athanaſ.

15. Sed *quæ cauſa eſt*, quęret aliquis, *vt ad Crucis ſignum Dæmones fugiant?* Quæſtio hæc,etſi curioſa videatur; non tamen inutilem habet diſputationem.Quæritur enim,Sitne aliqua virtus in Cruce, quæ Dęmones torquet; aut potius odium ipſius Crucis in ipſis tantum ſit, vt potius cum dedecore malint cedere;quàm cum moleſtia Crucem ſuſtinere.

16. Et virtus quidem duobus modis Signo huic ineſſe intelligi poteſt. Prior eſt,vt quemadmodum cæteris rebus virtus impreſſa eſt, qua agant;ita quoque ſigno Crucis ſit impreſſa. poſterior,vt nó quidem ipſi virtus ſit impreſſa;ſed tanquam inſtrumentum Dei aſſumatur, quod Deus ex ſe,atq; *opere operato*,vt in ſcolis loquimur,valere velit ad Dæmones profligandos.

17. Dici nullo modo poteſt Cruci,quæ in aere formatur, aut fronti imprimitur,vim ea ratione ineſſe; qua ſua rebus naturalibus dicitur ineſſe.Si,quod naturæ viribus habeat,conſideremus; vires nullas alia hæc Crucis ſignatio in aere facta,habebit;quàm quæcunque digito aut manu hominis in aere formata,figura.

18. Quod Deus Cruce,tanquam inſtrumento,&,vt diximus,*ex opere operato* Dæmonia profligari velit,admodum eſt veriſimile: & quidem ſi non aliunde,certè ex illo,quòd ſæpe homines Iudæi & Ethnici,ſine vera fide,aut deuotione,ſigno Crucis adiuti ſint. Hoc de Iuliano teſtatur Nazianzenus,Orat.in Iulian.. de Ioſepho Hebræo Epiphanius Hæreſ.30.His addimus Hebræum alium,cuius B.Gregorius meminit,lib.3.Dial.cap.3.& inſignem B.Auguſtini ſententiam;qui ita loquitur(quæſtione 79.qq.83.Nec mirum,inquit, quod hæc Signa valent,cùm à bonis Chriſtianis adhibentur: quando etiã cùm

cùm vſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſsimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt Signis his huiuſmodi Poteſtates; Deus ipſe prohibet occultis modis, cùm id iuſtum atq; vtile iudicat. Nam nullo modo vlli Spiritus audent hæc Signa contemnere; contremiſcunt hæc, vbicunque illa proſpexerint. ita B. Auguſtinus.

Hominum *pietas, vt ad alia omnia*, Apoſtolo teſte, ita etiam hic vtilis eſt, & valet. Quando enim Signum hoc pietatis ſtudio aſſumũt; Chriſti merita, Crucis ſigno quaſi expreſſa; poſtulant, & inuocant. Quocirca Dęmonibus ſignum Crucis opponere; eſt Chriſti paſsionem opponere, & Deum per Chriſti merita inuocare. An non hæc plurimum valens? 19. 1. Timoth. 4.

Sed odium Dæmonum maximè hîc valet. Incredibile eſt, quantum ſit illud erga Chriſti Crucem. Itaque vt nos res inuiſas & odioſas; ita illi Crucem deteſtantur & fugiunt. 20.

Odij huius, ni fallor, cauſæ duæ ſunt, præcipua eſt, quia Signo hoc, vires eorum fractæ, & regnum diſſolutum. *Chriſtus enim* (inquit Apoſtolus) *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud Cruci, expolians Principatus & Poteſtates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in ſemetipſo*: Quocirca vt canis baculum, quo percuſſus eſt deteſtatur; ita Diaboli Crucem. 21. Coloſſ. 2.

Altera cauſa odij ex fructu, quem ex Signo hoc fideles carpere poſſunt, oritur. Neque enim hic paruus eſt. Atque, vt non dicam hoc Signo refricari paſsionis Chriſti memoriam, quæ maximum emolumentum importat; explicat idem, primò, totam perfectionem Chriſtianam. Profundum crucis inſinuat fidem; ſublimitas ſpem; latitudo charitatem; longitudo perſeuerantiam: quæ ſi in Chriſtiano inueniuntur, perfectum conſtituunt. Explicat deinde, effectum Chriſti Paſsionis; qui eſt cœli patefactio; quod cacumen crucis inſinuat; inferni vaſtitas & ſolitudo; quod productio eiuſdem ad pectus vſque: & totius orbis redemptio & ſalus; quod productio manus à ſiniſtro ad dextrum latus. Hactenus de tertio modo. 22.

CAPVT XLV.

Examinatur quartus modus, quo per vſum Rerum Conſecratarum Dæmonia ex humanis corporibus eijciuntur.

1 QVarta ratio Dæmones eijciendi eſt, vt diximus, per *Vſum Rerum Cõſecratarum*. Hæc à præcedentibus tribus hoc videtur differre; quòd quamcunque in Dæmonia poteſtatem habet; illam accipiat, per Orationem & Verbum Dei; cum priores illæ, non ab Eccleſiæ oratione; ſed aliunde vim ſuam habeant.

2 Ratio hæc ſimplex non eſt; quemadmodum nec vnum eorum genus, quæ conſecrantur & benedicuntur. Benedicitur *aqua:* benedicitur *ſal:* benedicuntur *herbæ;* benedicuntur *Imagines cereæ,* quas ab effigie, ceræ impreſſa, *Agnus Dei* dicimus, & quidem benedicuntur hæ res, non ob eum finem, vt à Dæmonum infeſtationibus ſint liberæ, (quomodo aliæ quædam benedicuntur,) ſed vt ijs contra Dæmonum infeſtationes, & moleſtias vtamur.

3 Quod dicimus, ex formulis, quibus Eccleſia in harum rerum benedictione vtitur, licet colligere, in *Salis* benedictione ſic orat: Immenſam clementiam tuam, Omnipotens ęterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam Salis, quam in vſum generis humani tribuiſti, benedicere, & ſanctificare digneris; vt ſit omnibus ſumentibus ſanitas animæ & corporis; & quidquid ex eo tactum, vel aſperſum fuerit, careat omni immunditia, omniq́ue impugnatione ſpiritualis nequitiæ. *Per Domin. In* conſecratione *Aquæ,* hac forma vtitur: Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quęque *Sacramenta*, in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris; & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde; vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens, ad abigendos *Dęmones*, morboſq́ue pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum, &c. *Sic* dum Herbas, & Ramos benedicit; rogat, vt quicunq; ex ijs acceperint; accipiant ſibi ad protectionem mentis, & corporis, &c. *Dum* Cereas *Imagines* inter alia ſic orat: Quæſumus, Domine, hos *Agnos*, quos de Cera virginea, in tuum honorem formauimus, ſacra & perenni vnda, balſamoq́ue ſacri Chriſmatis perfuſos, benedicere, ſanctificare, & conſecrare digneris; quatenus à te benedicti, virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta: & omnes portantes tuti eſſe poſsint, inter aduer-

ſa &

Digitized by Google

a & proſpera; vt tua conſolatione accepta, nullum periculum timeant, nullamque formidet vmbram: nulla ſæuitia diabolica, aut verſutia humana ijs noceat; ſed fortitudine tuæ virtutis roborati, tua conſolatione glorientur; qui verè paracletus diceris, &c.

Hæ Eccleſiæ ſunt precationes. Quem harum effectum eſſe iudicamus? Si, quod Dominus dixit: *Quidquid petierimus Patrem in eius nomine, conſecuturi ſumus*, an hic noſtro deſiderio fruſtrabimur? Et cùm oramus, vt creaturas ſuas ad Dæmones profligandos valere velit, vota noſtra reijciet? 4.

Fortè non in eius (Chriſti) nomine hæc à Patre petuntur: Sed peti finis ſingularum, quo *Per Dominum noſtrum*, &c. tribui poſtulamus, probat. Fortè, quòd verbis confitemur, rebus negamus; dum quod ſuperſtitioſum eſt, & diuinis legibus contrariũ, poſtulamus. Et quid illud? Quòd creaturas benedici volumus? Quòd iam benedictas volumus valere ad res prodigioſas perficiendas? Quòd ad Dæmones profligandos vim tribui rogamus? Sed hæc ſuperſtitioſa non ſunt. Non aduerſatur diuinis legibus creaturarum Benedictio. Non Opinio, quod benedictæ ad res prodigioſas valeant? Non Opinio, quod valeant ad Dæmonum ex humanis corporibus eiectionem. Docemus hæc tria. 5.

Primùm omnium, *Creaturas benedicere* ſuperſtitioſum non eſt, nec diuinis contrarium legibus. Quòd ſuperſtitioſum eſt, omnibus ſuperſtitioſum eſt: Quòd diuinis legibus repugnat, nec ipſe Deus vult ſibi eſſe permiſſum. Quid inde? quid? Superſtitione vacare creaturarum benedictionē: non repugnare diuinis legibus. Quamobrem verò? quia Deum creaturas benedixiſſe, tam eſt certum, quàm quod certiſsimum. 6.

Fortè, quia à Deo Creaturæ benedictæ ſunt, ne ſecundò benedicantur, cauendum eſt. Cur quæſo? an quod ſemel benefactum eſt, ſecundò fieri nequit? vbi nulla lex eſt, quæ, ne factum repetatur, prohibet? Sed nec eo, quo Deus, fine nunc creaturas benedicimus. Nos benedictione petimus ad morbos pellendos, Dæmonesque eijciendos valere. Hoc in prima rerum conditione, quando ipſis Deus benedixit, propoſitum non fuit. 7.

Adde, quod nec Saluator culpa careret: Neque enim ſemel hac benedictione ille vſus eſt. Vſus eſt antequam ex hac vita diſcederet; & poſtquam glorioſus à morte reſurrexit. Vſus eſt in deſerto, & in Emaus. An fortè, quam initio conditi orbis rebus omnibus Deus benedictionem contulit; illa ad panes, quibus Dominus benedixit, non pertinet? 8.

Quas

Digitized by Google

9. Quas res poſſumus maledicere; eaſdem benedicere poſſumus. Hoc nullus negauerit. At creaturas maledicere poſſumus: Poterimus igitur & benedicere. Aſſumptio certa eſt, quoniam & in Noua
Matt. 11. lege maledixit Dominus ficum: & in Veteri, ſi quando occultum crimen adulterij prodi debuit, id aquis à ſacerdote maledi-
Num. 5. ctis, Deus fieri voluit.

10. Noua res in Chriſti Eccleſia non eſt Creaturarum benedictio.
Marc 7. Magnam habet authoritatem à veneranda Antiquitate. Oleum, quo Apoſtoli infirmos curabant, benedictione myſtica hanc virtutem habebat. Benedictum *oleum* fuit, quod per Proculum Chriſtianum adminiſtrari ſolitum, ſcribit Tertullianus ad Scapul. 4. cap. D. Baſilius, libro de Spiritu, ſancto, docet Apoſtolicam eſſe Traditionem, quòd *aquam* benedicimus. Sed Antiquitatem probat maximè Oratio, quæ inter Conſtitutiones à Clemente conſcriptas, reperitur. Ibi ſic dicitur. Domine Sabaoth, Deus virtutum, Creator aquarum, & dator olei, miſericors & benigne, qui dediſti aquam, ad potum & mundiciem; oleum ad exhilarandam faciem in exultatione lætitiæ, ipſe quoque nunc ſanctifica aquam, & hoc oleum, in nomine eorum, qui attulerunt; & da virtutem ſanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnibus inſidijs aduerſariam, per Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra, quo cum tibi gloria & honor, & cultus, cum Spiritu ſancto Amen.

11. Cæterùm, quemadmodum noua non eſt; ita nec *rara* fuit, in Chriſti Eccleſia, creaturarum Benedictio. Hoc primum, in *aqua*, multorum teſtimonio clarum eſt. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia dicit *aquam* ſacris inuocationibus conſecrari. Cyrillus catech. 3. docet ſimplicem *aquam* fieri ſanctam, inuocatione Dei. Cyprianus libr. 1. Epiſt. 3. *Oportet*, inquit, *aquas prius mundari, & ſanctificari à Sacerdote.* Ambroſius lib. de his, qui myſt. initiantur, cap. 3. docet *aquam*, niſi ſigno crucis priùs ſacretur, nullum habere vſum in Eccleſia. Denique benedictæ *aquæ* meminerunt Epiphanius, Hæreſ. 30. Theodoretus, lib 5. cap. 21. Auguſtinus Homil. 27. ex 50. Homil. & ſermone 19. de Sanctis, & libr. 6. in Iulianum, cap. 8.

12. Similia pro aliarum rerum conſecratione & benedictione ſunt teſtimonia. Benedictionis *olei* meminerunt Clemens, Dionyſus & Tertullianus locis citatis, & Auguſtinus tractatu 118. in Ioannem.

Benedictionis *panis* extra Euchariſtiam B. Auguſtinus libro ſecundo, de Peccatorum meritis, cap. 26. & Paulinus in Epiſtolis ad Alipium & Romanianum: quæ ſunt 35. & 36. inter Epiſtolas diui

Augu-

Auguſtini. Benedictionis *Cerei* paſchalis *Srabo*, cap. 30. & Patres in Concilio *Toletano* IIII. can. 8. Benedictionis *Palmarum*, & Cinerum beatus Maximus, cuius extant Homiliæ inſcriptæ in die Cinerum, & in Dominica Palmarum, &c. Hæc pro primo Capite.

Sequitur, vt doceamus (quod ſecundum erat) *ſine crimine fieri, quòd Creaturæ ad prodigioſos effectus, & qui naturam ſuperant, adhibeantur.* Pro hoc autem argumento egregiè militant ſacrarum Scripturarum documenta, non ex Veteris ſolùm; verùm etiam ex Noui Teſtamenti libris deprompta. Laborans incurabili morbo Naaman Syrus, venit ad Prophetam Eliſæum, ab eo ſanitatem petiturus: & ecce, poſtquam, vt iuſſus, *septies in Iordane ſe lauit, mox aquarum beneficio priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.* Quàm prodigioſum eſt, quod, Numeror. 5. legitur? vt ad ſumptam aquam, in quam maledicta congeſsiſſet Sacerdos, *adultera computreſcat femur, & tumens vterus diſrumpatur?* Hæc Veteris Teſtamenti. Noui eſt illud, quòd Euangeliſta refert *oleo vſos eſſe Apoſtolos in infirmitatum quarumcunque expulſione:* & quòd *de aqua probatica dicitur ab Angelo mota*; quæ primùm ipſam intranti præſentiſsimam ſanitatem afferebat. 13.

Præterea nec in ijs rebus, de quibus eſt diſputatio, hic deſunt exempla. Docemus id primùm in *aqua benedicta.* Magnam locuſtarum vim, omnia conſumentem, *hac aqua* profligaſſe B. Aphratem narrat Theodoretus, in eius Vita. Eadem *aqua* in quatuor partes fuſa eoſdem ex horto quondam abegit Theodorus Sicæorum Archimandrita: vt habet Metaphraſtes, in eius Vita: quemadmodum, eodem teſte, aliàs Ancyrænorum iumenta à ſæuiente peſte liberauit. 14.

Confregit hac tumeſcentes, & inualeſcentes maris fluctus, quos Dæmon, viri ſancti in Angliam aduentum impedire volens, excitauerat, ſanctus Germanus, vt habet Beda in Hiſtor. Angl. lib. 1. cap. 17.

Quintianus, Auernæ Epiſcopus, domum Hortenſij cuiuſdam, in qua febris omnes corripuerat, hac aſperſit, & mox ſanitas ſecuta eſt, ita Gregorius Turonenſis, in eius Vita.

Hac morti proximum filium Eueliæ, mulieris Antiochenæ, liberat, & ſanitati reſtituit beatus Chryſoſtomus: teſte Metaphraſte, 13. Nouembr. quemadmodum iam extremis corporis partibus mortuum famulum Comitis cuiuſdam Anglicani Guitbertus Hyberniæ Epiſcopus; vt in eius vita habet Venerabilis Beda.

Sanauit hac paralyticum S. Brigida (Surius in eius Vita) leproſum & cæcum. S. Theodorus, cuius ſuperiùs meminimus: febri & difficultate partus laborantes diuus Bernardus, vt in eius Vita ſcri-

bit Bernardus Bonaualenſis, lib. 2. cap. 3.

Præterea Gothus quidam in itinere ex equo cadens, coxam confregerat, vt B. Gregorius ſcribit, lib. 1. Dialog. cap. 16. rogat mox Fortunatum Epiſcopum Tudertinum pro ſalute. Ille aqua benedicta coxam aſpergit, &c. & ecce, omnis fractura ita ſolidata eſt, vt lecto ſurgeret; & aſcenſo equo iter inceptum perficeret.

B. Marcellus, Epiſcopus Apameæ, omnem Diaboli conatum, ne Iouis Apameni famoſum delubrū combureretur obnitentis, aquæ, crucis ſigno benedictæ, vſu penitus ſuperauit. Rem hanc fuſius deſcribit Theodoretus, lib. 5. cap. 21.

Henricus Raceburgenſis Comes captos tenebat Pariſios, multis tormentis in eos ſæuiens. Interceſsit pro ipſis Euernoldus Raceburgenſis Epiſcopus; ſed nihil proficit. Dies erat ſolennis Paſchæ, cùm captiui in catenis ſub cuſtodia ſtarent in Eccleſia. Circuiens Pontifex, cùm fideles aqua benedicta aſpergeret; captiuorum quoque aſpergens catenam, dixit: *Dominus ſoluit compeditos*. Quid deinde? Mox catena diſsilijt, illis liberè diſcedentibus. In facti teſtimonium catena ſeruatur. Hæc Krantius lib. 5. Vandaliæ.

15. Nimij fuimus in exemplis pro Aquæ benedictæ virtute confirmanda. Non dubium, tædium noſtra oratio afferret, ſi ſimilem ſyluam in reliquis produceremus. Modus igitur orationi imponendus eſt. Sufficiet vnum aut alterum in alijs producere. Igitur *Oleo benedicto* plurimos curauit Hilarion, teſte Beato Hieronymo, in eius Vita. Eodem ad ſanitates impertiendas vſos eſſe Monachos Aegypti, ſcribit Sozomenus, lib. cap. 21. & 29. & ante ipſum Ruffinus, li. 2. ca. 4. Eodem Theodorum Archimandritam expuliſſe Cacodæmonem, qui mirum cruciatum & tremorem membris obſeſsi nautæ afferebat; ſcribit in Vita Theodori Presbyter Georgius. Et de Vrſmaro legitur apud Ratherium, Veronenſem Epiſcopū, in Vita Vrſmari, quòd Monialis, à qua Dæmonem eiecit, & os, & oculos, & nares Oleo benedicto liniuerit.

16. *Salis benedicti* meminit Gregorius Turonenſis in Vita S. Monegundis, quæ anno Domini 560. vixit. Rogabatur illa, vt quia mortua infirmis (quod viua fecerat) mederi non poſſet, olium ſalemque benediceret; quæ ægrotantibus, benedictionem flagitantibus, miniſtrarentur. Paret votis, & quidem cum plurimorum emolumento: quoniam, vt idem Gregorius loquitur, de memorata benedictione multi poſt eius tranſitum ægroti incolumitatis beneficia ſunt experti.

17. De cerea Imagine, quæ Agnus Dei dicitur, ita ſcribit Molanus,

anno

anno 1568. cùm Princeps Auriacus numeroſo exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret: in agro Iuliacenſi, prope Traiectum ad Moſam quendam Hiſpanum captiuum habuit, quem capitis damnatū, milites arbori alligatum ſclopetis, vel bombardis occidere conabantur. Verùm fruſtra ſua in illum emiſerunt tormenta ænea. Tantum enim abfuit, vt illum ſic arbori alligatum bombardis trāſuerberare, vt nec crebertimis emiſsionibus lædere potuerint. Quo viſo obſtupefacti, cœperunt eum ſuis ſpoliare veſtibus, arbitrantes hominem occultis quibuſdam armaturis communitum, quas vis tormentorum penetrare non potuerit: verùm nihil præſidij ab ipſis inuentum fuit, præter dependens ex collo amuletum Agni, quo eidem ſublato, primo ictu bombardæ extinctus, occubuit. Hæc Molanus, teſte Petro Matthæo in VII. Decretalium. Plura huius generis noſtra ętas obſeruauit, & eorum ſuperſtitum adhuc teſtimonio, qui virtutem huius Imaginis experti ſunt, poſſunt confirmari; vt non erraſſe iudicemus, qui de hac re cecinit:

Pellitur hoc ſigno tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo ſurgit, abitq́; timor.
Hoc aconita fugit, ſubitaq́; pericula mortis,
Hoc & ab inſidijs vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne ſæua tonitrua lædant,
Ne mala tempeſtas obruat, iſtud habe.
Vndarum diſcrimen idem propulſat, & ignis,
Illaq́; ne noceat vis inimica, valet.
Hoc facilem partum tribuente puerpera fœtum,
Incolumem mundo proferet, atque Deo.

Clariùs & breuiùs quidam hæc ſequentibus eſt complexus:

Fulmina pellit,
Crimina mundat.
Dæmonas arcet.
Liberat igni.
Seruat ab vndis,
Morteq́; prompta.
Subiugat hoſtes,
Et parientem
Prole ſecundat.
Plurima dignis
Munera confert:
Paruaq́; tantum
Portio prodeſt,
Maxima quantum.

Hæc, quæ diximus, Rebus Conſecratis fieri potuerunt; *non poterunt, ijſdem.* (quod tertium Caput eſt) *exigi ex hominum Corporibus Dæmones?* Si cauſas ſcrutemur; cur, quæ iam mirabilia recenſuimus, Rerum Conſecratarum beneficio patrata ſunt, aliam vix inueniemus, quàm quòd Eccleſiæ oratione atque conſecratione hanc virtutem ſint conſecutæ. Verùm quemadmodum rogatus Deus eſt, vt II.

has Creaturas valere velit ad profligandos morbos; ad tempeſtates auertendas, &c. ita rogatus eſt, vt valere velit ad Dæmonia profliganda An fortè hic manum ſuam retraxiſſe, auxilium denegaſſe putandus eſt; qui in alijs rebus tam fuit liberalis, & munificus?

19. Fortè rebus ſenſibilibus & corporeis non abiguntur Dæmones; nec hæ ad ipſos pellendos vim vllam habent. Etiam his abiguntur: etiam hæ vim habent. Nec hic exempla deſiderantur. Nónne, quando cytharam pulſabat Dauid, Dæmonium relinquebat Regem Saul? Et fel, quod iuſſu Angeli ex piſce detraxit Tobias, nónne vim habuit fugandi Dæmones? Quid quod Salomon herbis in Dæmonum eiectione vti voluerit? Vide Ioſeph. lib. 8. Antiquit. cap. 2.

1. Reg. 16. Tob. 6.

20. Senſibiles res ſunt, quæ in aere formantur, voces; dum Chriſti nomen imploramus: Senſibiles, quas digitis formamus Cruces; Senſibiles, Sanctorum Reliquię: ſed tamen harum beneficio inſenſibilium atque incorporeorum Spirituum vis fracta eſt: ad harum pręſentiam ſubſiſtere nequiuerunt Nequam Spiritus: quemadmodum Cap. 42. & ſequentibus demonſtratum eſt.

21. Fieri igitur poteſt, vt his rebus Dæmones fugentur. Sed non quid *fieri* poſsit, tantùm doceamus: oſtendamus quoque *id factum eſſe*. Oſtendimus. Primùm ſe hîc nobis offert Sanctus vir Macharius: Húc *Aqua benedicta* puerum Dæmoniacum ſanaſſe docet Palladius, in libro, qui inſcribitur Paradiſus Heraclidis, cap. 6.

Offert ſe ſecundò Eligius Nouiomenſis ſanctus Epiſcopus, Nitebatur hic impias quaſdam ſuperſtitiones, in quodam vico, haud procul à Nouiomenſi oppido, tollere: verùm, vbi pluribus concionibus nihil proficeret, iniuria etiam, atque contumelia ab auditoribus afficeretur; exemplum Apoſtoli ſecutus, *tradit ipſos Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret*. Currunt hinc ad Sanctum virum Obſeſſorum amici, auxilium magnis deſiderijs poſtulantes: ſed hoc non, niſi poſt vnius anni pœnitentiam, promittit Eligius. Tum ad ſe adductos (erant autem plures quinquaginta) *Aqua benedicta* aſperſione à Spiritibus liberat. Hæc Audoenus, Rhotomagenſis Epiſcopus in Vita eius, lib. 2. cap. 20.

Eſt tertiò puer quidam, à parentibus Sancto Euchario oblatus, vt ad præſcriptum Regulæ, cum alijs, in monaſterio inſtitueretur. Hic cùm aliquando à Dæmone (in forma hominis) oblatam aquã, antequam eandem Cruce ſignaſſet, bibiſſet; ab eodem poſsidetur. Mox ad S. Eucharij altare adducitur. fiunt pro ipſo orationes, ſacratur aqua, offertur bibenda. hauſta ſubitò abactus Dæmon. ita Surius, in Hiſtoria Inuentionis ſancti Celſi, cap. 11. Tomo 7.

Dictis

Dictis addimus quartum. Arnolphus, Epiſcopus Svveſsionenſis, pacem inter quoſdam compoſiturus erat. Hic dum quidam ipſi reſiſtit; &, ne oratione viri Sancti ad pacem cogitatur, fugit, à Dæmone in fuga corripitur. Quid deinde? Pro Obſeſsi ſanitate rogant alij: & illam, fide pacis admittendæ data, obtinent; ſed beeneficio *Aquæ benedictæ*, qua Dæmoniacum Sanctus vir aſperſit. Hoc Liſiardus Epiſcopus Svveſsionenſis, in eius Vita. cap. 24.

Ad S. Bernardum (hoc quintum ſit) puer triennio grauiſsimè ab obſidente Dæmone tortus adducitur ſpe libertatis conſequendæ. Iubet poſt alia Bernardus in os Obſeſsi *aquam conſecratam* infundi: ſed contra niti Dæmon cœpit, labia comprimere, & frendere dentibus. Tandem ſordiſsimo poſt ſe vomitu relicto eſt egreſſus. In Vita Bernardi, lib. 2. cap. 3.

Seruiunt quoque nobis hic S. Laurentius, Dublinenſis Archiepiſcopus; & Maltonius Epiſcopus, cuius Vitam deſcribit Sigebertus. vterq; in Energumenorum curatione *Aquam benedictam* putauit adhibendam. ſed & inſignis eius virtus eſt obſeruata: quando mox ad eandem hauſtam in fugam coniecti ſunt Spiritus: quemadmodum in vtriuſque Vita manifeſtum eſt, apud Surium, Tom. 6.

Et in Vita S. Eliſabethæ, Hungariæ Reginæ, ſcribit Iacobus Spirenſis, cap. 30. quod ad ſarcophagum eius adducta ſit puella; quæ ad malam parentum imprecationem Dæmonis torturam patiebatur; & priſtinæ incolumitati ſit reſtituta, mox, vbi parum *benedicti panis, & ſacræ vndæ* hauſit.

His ſimilia ſunt, aut potius hæc confirmant ſequentia. Domus cuiuſdam, inquit Metaphraſtes, multùm à Dæmonibus vexabatur. 12.
Cùm Domeſtici pranderent, aut cœnarent; lapides ſuper menſas iaciebantur: rumpebantur telæ mulierum: Tanta quoque multitudo murium & ſerpentum domum occupabat, vt præ formidine nemo eam ingredi auderet. Ingreſſus tamen ad aliorū preces Theodorus Sicæorum Archimandrita; &, poſt orationem, *Aqua*, cui benedixerat, totam aſpergit, & à Spiritibus immundis liberat. Ita Metaphraſtes in eius Vita.

Fuit quoque Dæmonium, quod iam triennium in pago Camonte, non procul à Bingio, ſuis præſtigijs Moguntinam Ciuitatem, & vicinos incolas affligebat, & illud tandem Sacerdotes Litanijs, & *Aqua benedicta* abegerunt, teſte Sigeberto, anno 858. Eodem modo Moguntię domum quandam liberatam eſſe ſcribit Bernardus cruciu in Vita Ludouici II. Imperatoris. Itaque veriſsimè dici putamus: *Huius aquæ tactu depelli Dæmonis actus.*

Digitized by Google

iuuenem poſſederat, ſeptima die egreſſus eſt. Hæc Hieronymus in Vita Hilar.

Bernardus verò Mediolani, mulieri cuidam, quam Spiritus Nequam diuexabat, hoſtiam patinæ impoſitam, ſuperimpoſuit, his verbis: *Adeſt*, inquit, Spiritus, iudex tuus; adeſt ſumma poteſtas. Iam reſiſte; ſi potes. Adeſt ille, qui pro ſalute noſtra paſſurus, inquit, Núc Princeps huius mundi eijcietur foras. In eius igitur poteſtate præcipio tibi, vt ab hac eius ancilla egrediaris. Quid verò? Locum dare Spiritus compulſus eſt. Hæc in Vita Bern. libr. 2 cap. 4.

Puto quoque ex alia re, eius præſtantiam colligi (niſi fortè hæc teſtimonium eſt ſanctitatis viri) De Eugenio Abbate legitur; quòd rogatus, vt puellam ab immundo Spiritu liberaret: primùm quidem multam ad Deum orationem fuderit: deinde breuem Exorciſmum ſcripſerit, obſignarit, & collo puellæ alligari mandarit: Dęmonium verò diſceſſerit, antequam ad puellam Exorciſmus eſſet perlatus. Vide Surium, Tom. 1. in Ianuario Simile quid de S. Bernardo, in eius Vita ca. 4. lib. 2. habetur. Expulerat ille ſecundò ab Obſeſſa quadam Spiritum Nequam. Quia verò verebatur, ne, ſe diſcedente, rurſus miſeram ingrederetur; hunc ipſius collo affixit Exorciſmum: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, præcipio tibi Dæmon; ne hanc mulierem ingrediaris.* 5.

Porrò non vna ſemper eademque huius Rationis Dæmonia eijciendi, fuit forma. Olim ferè paucioribus rebus videtur conſtitiſſe; nunc quandoque plura adhibentur; quòd non tam facilè modò, quàm olim, à Dæmonijs corpora videantur liberari. 6.

Hinc eſſe crediderim, quod *alijs atque alijs modis* Dæmones per alios atque alios eiectos eſſe legamus. S. Laurentius Iuſtinianus dicitur Spiritum priùs increpaſſe, & mox exitum imperaſſe, & impetraſſe. Docet hoc Bernardus Iuſtinianus, Orator Venetorum, cap. 8. in Vita Laurentij. Eodem prorſus modo infantem liberauit Bertulphus, Abbas Bobienſis, teſte Iona; qui eius res geſtas deſcribit, apud Surium. 8.

Parthenius teſte Metaphraſte 7. Februarij, ſolum egreſſum cuidam imperauit; & ſic priſtinam incolumitatem Obſeſſo reſtituit. Idem S. Remigius legitur præſtitiſſe ei Dæmoniaco; quem ad ipſum miſit S. Benedictus: vt docet Hincmarus in Vita Remigij.

Anatolia, ſanctiſsima virgo, primo afflat Dæmoniacum; mox ad Dæmonem conuerſa: *Exi*, inquit, *ab homine*, & de ſanitate ſibi gratulatur miſer.. Ita in eius Vita, apud Surium, Tom 4;

Colum-

Digitized by Google

S. Columbanus, cùm Pariſiorum vrbem ingrederetur; Clotarium Regem inuiſurus, obuiam habuit Obſeſſum, multis ſe conuitijs proſcindentem: imperat Spiritui egreſſum vir Dei: ſed tum tandem eſt egreſſus, vbi poſt iniectos in os eius digitos, eiuſdem aliquandiu attrectauit linguam. S. Bernardus quali forma vſus fuerit, ſuperius Theſi 4. indicatum eſt.

Gregorius Lingonenſis cum imperio ſignum Crucis coniunxit, teſte Gregorio Turonenſi, in eius Vita, cap. 6. Eugenius Abbas, vt dictum, Exorciſmum breuem ſcripſit; eundemque Obſeſſi collo præcepit allegari, ſicque Sathanam fugat. Surius Tom. I.

8. Hinc etiam eſſe dixero, vt Hæretici, qui vniuerſa propemodum Catholicorum pietatis exercitia ad examen reuocant, nūc quoque plura habeant, quę carpant ac damnent in noſtro, quàm in illo prioribus temporibus recepto Exorciſmo.

9. Veruntamen iniqua ipſorum eſt cenſura, Iudicium temerariū, & falſum. Quod dicimus, tum demū erit manifeſtum, poſtquam, *quæcunque in Exorciſmo concurrunt, iuſtiſſima eſſe, & omni ſuperſtitione vacare demonſtrauerimus.* Age igitur hoc præſtemus.

10. Varia autem ſunt, quæ in Exorciſmo reperiuntur. Veruntamen ad *duo* præcipuè genera reuocari poſſunt, *res & verba*. *Verba* partim ad Deum diriguntur: partim ad Sanctos, Dei amicos; partim ad obſidentes Dæmones. Ad Deum diriguntur per Orationem, & Sacrificium Miſſæ: Ad Sanctos per Litaniam: Ad Dæmones, per Adiurationem. In Oratione attendi poteſt, vel quid petatur, vel quo modo, ſiue per quid petatur. In Litanijs præcipuè Sanctorum inuocatio. In Adiuratione modus dicendi; ipſa adiuratio; & quid potiſſimū Dæmonibus imponatur.

11. Petitur à Deo peccatorum venia. Petitur, vt miniſtris ſuis, in tam arduo & difficili negotio velit adeſſe: velit etiam miſereri obſeſſi hominis, & eundem à Dæmonum poteſtate eripere. Petuntur hæc per Chriſti, & Sanctorum merita. Inuocantur Sancti, vt pro nobis, & Energumeno velint orare. Dæmones durioribus verbis increpantur: imperatur iiſdem quandoque vt ſe prodant: nomen dicant: prodant ſocios; explicent cauſas, cur homines ingreſſi: ex hominibus diſcedant; infernum petant; diſceſſum ſuum aliquando ſigno declarent.

12. *Res* ſimiliter in Exorciſmo variæ ſunt, atque multiplices. Quædam ſacræ ſunt; quædam ſigna ſacrarum. Sacræ ſunt Sanctiſsimum Chriſti corpus, quod ſub viſibilibus ſpeciebus offertur: Sanctorum Reliquiæ, quæ aliquando adhibentur: Aqua benedicta; qua Obſeſſi aſper-

aſperguntur, ſigna rerum ſacrarum ſunt Crux maximè, quæ nunc fronti, nunc pectori, nunc alijs Obſeſſorum membris imprimitur. His addo Locum, vbi Exorciſmus peragitur; qui plerumq; templũ eſt: Veſtes item ſacras, quibus Exorciſta induitur: Stolam, quæ aliquando Obſeſsis imponitur: Impoſitionem manuum Sacerdotum; Cereos ardentes: quæ interdum adhibentur flagella: atq; digitorum Exorciſtæ in os Obſeſsi immiſsio.

Hæc ferè ſunt, quæ in Exorciſmo reperiuntur. Sed tamen quemadmodum nec omnia nec neceſſaria ſunt: ita nec ſemper adhibentur, nunc plura adhibentur: nunc pauciora. Verùm enimuerò ſiue adhibeantur, ſiue omittantur; *ſuperſtitione vacant omnia*; quod vt ſua Exorciſmo authoritas conſtet, ſequentibus, ſed breuiſsimè, docemus. 13.

Oratio, quæ adhibetur, *damnari non debet*. In hac maximum aduerſus Spiritus immundos præſidium eſſe putauerunt, quicunque aliquando ipſos eiecerunt. Hac Fortunatum Tudertinæ Eccleſiæ Epiſcopum à Dæmonijs homines liberaſſe ſcribit B. Gregorius li. 1. Dial. cap. 10. Sic D. Bernardum per totius noctis Orationem Dæmonium Cremonæ expuliſſe, quod ſe ab ipſo Papiæ eiectum, eſſe nequiter ſimulauerat; autor eſt Bern. Bonæuallenſis in eiuſdem Vita li. 2. ca. 4. Oratione ducentos propemodum tam viros, quam mulieres liberaſſe B Hilarionem, in Cypro inſula, vbi ſe latiturum ſperabat, docet B. Hyeronymus in eius vita. 14.

Adductus aliquando eſt ad S. Macarium Puer; quem mirum in modum Dæmon vexabat. eundem Oratione curauit vir Sanctus; poſtquam vnam manuum ſuarum capiti pueri impoſuiſſet, & alteram eiuſdem pectori admouiſſet: ita Palladius in eius Vita.

Et Genoueſa, ſancta virgo, quos Turoni Energumenos curauit; Oratione ad Deum facta curauit: quemadmodum cognoſcitur ex Vita, apud Surium, Tom. 1.

Eadem Oratione vſi ſunt Parthenius: de quo Metaphraſtes 7. Februarij. Eugendus Abbas: de quo Surius, Tom. 1. Arnulphus Epiſcopus Metenſis: de quo Surius Tom. 4. Herebertus, Archiepiſcopus Colonienſis: de quo Rupertus Tuitienſis in eius Vita. Patroclus item eremi cultor: de quo Gregorius Turonenſis, c. 9. in eius Vita. Laurentius Archiepiſcopus Dublinenſis: de quo Surius To. 6. Marcianus: de quo Theodoretus Sectio. 3.

Et horum aliqui ſibi comprecatores aſciuerunt: vt Arnolphus, atque Bernardus aliquando: al'j priuata contenti; ſed tamen nunc feruenti admodum; nunc admodum diuturna vſi. Nam Lauren-

tius Dublinenſis humi proſtratus Deum oraſſe legitur: Patroclus verò triduanam adhibuit orationem pluribus haud opus. Ipſe Dominus docet quoddam Dæmoniorum eſſe genus, quod non, niſi *Oratione* pellitur.

15. Si verò tantum velet Oratio; quidni hic plurimum poſsit *Sacrificium Miſſæ*? Poſſent multa pro hac in medium proferri: ſed nos, quæ ad præſentem rem faciunt, proferimus. Refert Proſper Aquitanicus, libr. de Prædict. cap. 6. ſuo tempore Sacrificium Miſſæ fructuosè pro ſalute Dæmoniacæ oblatum: & rurſus, illa à Dæmonio liberata, oblatum pro gratiarum actione.

Meminit Sanctiſsimus Auguſtinus Sacrificij Miſſæ oblati pro domus purgatione, quæ à Dæmonibus plurimùm infeſtabatur; & Sacrificio peracto docet liberatam eſſe.

Et in Miſſa haud parum pręſidij poſitum eſſe credidit S. Bernardus. Illum enim ipſum, cuius Theſi 4. huius Capitis, meminimus, Exorciſmum in Sacroſancto Miſſæ Officio adhibuit: id valere credens ad tam inſolentem atq; crudelem, cum quo tum bellum erat, Spiritum profligandum. Siquidem plurimis annis mulierem Spiritum profligandum. Siquidem plurimis annis mulierem Spiritus hic obſederat: Viſu, auditu, facultateq; loquendi priuarat; faciem Obſeſſæ ita immutârat; vt non hominem, ſed monſtrum referret: quandoque etiam linguam ad modum proboſcidis elephantinæ protrudebat. Adductus etiam ad S. virum pede eundem trudebat. Quocirca S. Vir & preces præſentis populi pro Obſeſſa poſtulabat; & Miſſæ Sacrificium in ſubſidium accipiebat. Quoties verò, Sacrificio inſiſtens, hoſtiam ſignabat, ad mulierem conuerſus, & ipſam eadē hoſtia ſignabat: Dęmone magis atq; magis ſemper in eadē Obſeſſa ferociente: donec tandē adhibito ſupradicto Exorciſmo, poſt orationem Dominicam, in Sacrificio recitatā, eundem profligauit.

16. Huc omnino facit: quod B. Chryſoſtomus, Homil. 4. contra Armenos docet, olim in more, atque conſuetudine fuiſſe; vt tempore diuinorum Officiorum ad ipſum Sacrificium adducerentur Dęmoniaci. Verba eius hæc ſunt: Cauſam dabo, cur homines Dęmone agitatos, & furore acćitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare iubet Diaconus Qua de cauſa enim agitur? Dicam, quod ſentio. Vincula, per quām parua & grauia agitatio Dęmonum eſt: Vincula ferro validiora. Vt itaque tempore inſtante, quo Iudex prodire, & pro tribunali ſedere eſt ſolitus, cuſtodes carceris, quos in vinculis habent, omnes carcere educunt, & pro cancello ſeptiſq; fori collocant ſquallentes, ſordentes, coma opletos, pannis miſerrimè obdu-

obductos: ſic Patres ſtatuerant, vt cum breui Chriſtum, veluti pro tribunali ſedere, ipſiſq; Sacramentis apparere futurum eſſet; homines Dæmone agitati, illi, tamquã vinculis quibuſdam retenti adducerẽtur; nõ vt rerũ, quas commiſiſſent, examẽ ſubiret; modo eorũ, qui in vinculis ſunt: nec vt luerent pęnas; & ſupplicio afficerẽtur; ſed vt populo vniuerſaq; ciuitate pręſente cõmunes pro his fierent ſupplicationes vt omnes iugi cõcordia Dominũ cõmunẽ orarẽt pro his: & quod miſereretur, magno clamore cõtenderẽt. Ita Chryſoſt.

Adde, quòd in Miſſa, atq; Oratione, quæ ad Dæmonum eiectionem adhibentur, nihil petatur; quod vel nos petere ſit indignũ: vel Deum dare nõ conueniat. Id petimus, quod vt petamus, à Domino ſumus inſtituti: ſcilicet, vt noſtra nobis remittantur delicta: vt à malo tum corporis, tum animi liberemur. Quid hĩ ſuperſtitioſũ? 17.

Nec damnari poteſt *Modus*, quo illa à Deo petimus: videlicet, quòd per Chriſti atque Sanctorum merita petamus. Quid non poſſunt Chriſti merita? Quid poteſt Pater negare per Filij vulnera atq; ſanguinem deprecantibus? Filius hic pro nobis eſt: *Si quid*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis.* 18.

Fortè damnantur Sanctorum merita. Sed malè. Quot & quanta beneficia Iudæorum populo propter Abraham, Iſaac, Iacob merita, Deus contulit? Placent Deo Patriarcharum merita; non placebunt Apoſtolorum Petri & Pauli? atque aliorum Sanctorum, qui, vt Apoſtolus loquitur, *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus?* Seruit quoque nobis hĩc exemplum Pontij Abbatis Belleuallenſis: qui cùm fruſtra vidiſſet multa adhiberi à ſuis ad Obſeſſum quendam à Dæmonis tyrannide liberandum: Stolam, qua S. Bernardus in oblatione Sacroſanctæ hoſtie vti ſolebat, Obſeſſo admouit: & in virtute Chriſti, per sancti viri *Meritum*, cuius ſtolam tenebat, exitum feliciter præcepit Vide VVilhelmum Abbatum S. Theodorici, in Vita Bernardi lib. 4. cap. 11.

Non eſt, quod quiſquam hac ratione Chriſti Merita *obſcurari* cauilletur; Illuſtrant Sanctorum Merita, Merita Chriſti. Chriſti gloriam Illa amplificant, quando hinc intelligimus tantum illa potuiſſe; vt paſsionis fructus ſeruorum quoque Meritis magnam virtutem contulerit. 18.

Litaniæ fruſtra in Exorciſmo non adhibentur Multa illæ emolumenta ſæpe Chriſtianitati attulerunt, vt alias dictum eſt. Sed & Litanijs ſælicisſimi Dæmonum ex humanis corporibus Exorciſmi perfe- 20.

 cti ſunt,

&i ſunt, vt docent *Iſengringius*, Geruaſius Tornacenſis, atque Iacobus Rabus. Accedit quod Gregorij Magni hortatu formidabile quoddam Dæmonis, quaſi cornuti, ſpectrum, quod certo cuidam loco ita infectum erat, vt in eo commorari nullus poſſet, Litanijs abactum tandem, & expulſum ſit, quemadmodum & aliud, vt ſuperius docuimus, in agro atque ciuitate Moguntinenſi. Vide pro vtroque cap. 1. de Locis infeſtis. Præterea, ſi *S*anctorum Cineres ferre nequeunt *S*piritus; ferent Nomina, quæ in Litanijs recitantur? *Ad* ſolum S. *Antonij* ***Nomen*** fugiſſe Dæmones, teſtis locupletiſsimus eſt, in eius Vita, D. *A*thanaſius.

21. Ipſa *Adiuratio* (pergimus ad Orationem, quę ad *S*piritus habetur) ***mala*** non eſt. Patrum ſanctiſsimorum, & qui primi quaſi *D*uces Chriſtiani gregis fuerunt, exempla illam confirmant. Adiurati, inquit Iuſtinus, Dæmones nobis parent, & Cyprianus: adiurati à nobis Dæmones, torquentur & eijciuntur. Vide ca. 4*1*. *D*iſcutiamus *A*diurationis modum,

22. *Modus hic* poſtulat, vt durus ſit ſermo; vehemens, & non amicus, Chriſti in hoc, atq; Apoſtolorum exemplum ſequimur, qui *D*æmonia increpaſſe leguntur. De Chriſto dicitur, Matth. 17. *Et increpauit illum* (Dæmonem) *Ieſus*. & Marci *9. Comminatus eſt Spiritui immundo, dicens: Surde & immunde Spiritus: ego præcipio tibi, vt exeas ab eo*. De Apoſtolis, Paulo præſertim. Actuum. 16 legitur, *quòd conuerſus dixerit Spiritui: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab eo*, Sic de S. Laurentio Iuſtiniano, Venetorum Patriarcha, refertur; quòd ſpumantem ore, & dentibus frendentem durius increpauerit: & quaſi probrum obiecerit, quòd infirmam mulierculam fuerit ingreſſus. *I*ta Bernardus *I*uſtinianus Venetorum Orator, in Vita Laurentij. *E*t cum hoſtibus, & coniuratiſsimis hoſtibus quis poteſt eſſe amicus ſermo? Fortè etiam vt flagella corpori; ita durus ſermo *S*piritibus moleſtus eſt.

23. An ſuperſtitionem ſapiunt, quæ Dæmonibus in *A*diuratione imponuntur? Non ſapiunt. *Licet* Dæmonibus, *vt ſe prodant*, præcipere. Theodorus *A*rchimandrita (teſte eius diſcipulo, Georgio presbytero. in eius Vita) præcepit illi, qui 28. annis puellam quandam miris & occultis modis torſerat, vt ſe proderet. Licet poſtulare, *vt nomen ſuum prodant*. Chriſti pro nobis ſtat exemplum. *Licet* vrgere, *vt ſocios indicent*; vt cum quibus hoſtibus bellum ſit, *E*xorciſtæ norint. Licet *interrogare cauſam ingreſſus in homines*; vt hac, ſi tolli poteſt, remota, minor ſit Spirituum in homines poteſtas; faciliusq́ue exigi poſsint. *Licet ſignum diſceſſus poſtulare*; vt de parta nobis ab hoſtibus

victoria

Digitized by Google

victoria conſtet. Licet *in infernū amandare*: quod ipſis hic locus, Chriſto teſte, paratus ſit.

In *Verbis* igitur nulla ſuperſtitio eſt. *In rebus* minus eſt pericli. 24.
Quid ita? Quoniam iam ſuperiùs pleræque illarum, ab omni ſuperſtitione vindicatæ ſunt; videlicet, Sanctorum Reliquiæ: Aqua benedicta: & Signum ſanctæ Crucis. Reliquarum vis non rationibus ſolùm; verùm etiam grauiſsimis exemplis, quæ omnes propemodum ætates ſuppeditant, confirmatur.

An diſplicet, quòd *ſanctiſsimum Chriſti in Eucharistiæ Sacramento corpus adhibetur*? Sed pro nobis hîc eſt Sanctiſsimus vir Bernardus, qui idem mulieri Mediolanenſi adhibuit, Dæmoniumque profligauit hac, quam adiungimus oratione: Adeſt inique Spiritus, inquit: ſumma poteſtas. In eius tibi virtute præcipio; vt ab hac eius ancilla egrediaris. In Vita Bernard. 2. cap. 3. apud Bonæuallenſ. Idem Viro obſeſſo ciborium, in quo Sanctiſsima Euchariſtia continebatur, imponit atque ita Dæmonium fugauit, teſte VVilhelmo Abbate libr. 1. cap. 10. eiuſdem Vitæ. 25.

Refert etiam Proſper Aquitanicus lib. 6. de Sacerd. Virginem quandam, in quam ob impudicum aſpectum ſimulachri Veneris, Dæmon erat ingreſſus, communicatione Corporis Chriſti liberatam eſſe. Hiſtoriam nos ad longum ſuperius retulimus. Eadem ratione anno Domini 1566. liberata eſt Nicolaa quędam, in oppido Picardię Veuino. Bredenbach. lib. 9 Coll. cap. 22.

Sed & virtutem Sacramenti Euchariſtiæ ad immundos Spiritus profligandos magnam eſſe ſequenti exemplo oſtendit Ioannes Frãciſcus, Mirandulæ Comes, libro, de Strigibus: Fuit, inquit, in Alpibus Rhetijs ſacerdos quidam probus ante annos duodecim, cui cùm foret opus ad ęgrotum quendam Euchariſtiam deferre: cùm longius ille abeſſet, videretque non ita, vt oportebat, celeriter ad eum pedibus poſſe peruenire, aſcendit equum, colloq; ſanctiſsimum Chriſti corpus, pixide incluſum, ſatis honorificè alligauit, iter ſuum quanto ocyus accelerans. Cùm nonnihil proceſsiſſet, obuium habuit quendam, qui, vt equo deſcendens pergeret ad ſpectaculum quoddam mirabiliſsimum, inuitauit. Imprudens homo & cupiditate rei tam ſtupendæ ductus paruit. Vix equo ſe demiſerat, cùm ſenſit ſe per aera vnà cùm comite deferri, & breui tempore in altiſſimo mõtis cacumine ſtatui. Ibi ampliſsima & amœniſsima planities erat, arboribus vndiq; excelſiſsimis obſepta, et pabuliſq; horrendis circũcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos cuiuſq; generis, mẽſas lautas & diuerſis inſtructas erat videre. Audiebãtur etiã

 concen-

concentus quilibet,omni ſuauitate affluentes: deniq; aderant quæcunque animos hominum iucundiſsimis delinimentis teneri poſſent. Obſtupefactus improuiſa re Sacerdos, attonitus hęrebat. Tum ſocius,qui adduxerat,petijt ab eo, Velletne Reginam, quæ ibi aderat,ſupplex venerari,& munus illi aliquod offerre. In alto quodam ſolio Regina aſsidebat,effigie formoſiſsima, regio cultu. Accedebant ad eam,proſternentes ſe humi cuncti,qui aderant,varia munera afferents. Sacerdos reputãs Reginam eſſe Chriſti matrem,&quid illi dono daret,exiſtimauit nihil ei gratius atque incundius futurũ munus; quàm Filij corpus. Acceſsit; & ad pedes accidens in modum ſupplicis,arculam,in qua erat auguſtiſsimum Sacramentum è collo detractum,in gremio mulieris illius poſuit. Mira res Omnia cótinuò euanuêre. Perculſus nouitate Sacerdos,& pręſtigijs irretitum ſe videns & in horroribus denſiſsimis,opem diuinam cœpit implorare;& cùm diu per vaſtas ſyluas erraſſet, vix tandem paſtorem reperit,à quo viam edoctus,didicit ſe milia centum à loco abeſſe,quò Euchariſtiam deferre cupiebat. Ad ſuos tandem reuerſus, totam rem detulit ad Magiſtratũ. Contigit hoc imperante Maximiliano Primo. Hactenus Comes Mirandulæ,pro virtute Euchariſtiæ,contra Dæmones.

26. Quòd in *Templo* plerunque Exorciſmi fiant,damnari non debet. Docemus hac ratione,cuius virtutem hîc imploremus: cuius poteſtate nitamur; Dei ſcilicet,cuius Templum domus eſt. Habentur præterea hîc ad manus præſentiſsima arma,quæ Dęmones haud parum debilitant. Adeſt hic fidelis populus,cuius orationes vehementer Exorciſtas iuuant. Denique Locus ipſe ob multas cauſas haud parum Dæmonibus inuiſus eſt; cuius vel hoc argumentum eſt, quod (vt refert Sigebertus) præcedente nocte,antequam Eccleſia S. Petri Colonię,conſecraretur,auditæ ſint malignorum Spirituum voces, quæ,quòd ſedibus ſuis pellerentur,multùm conquerebantur. Itaq; & S. Bernardus,cùm difficilem admodum aliquando haberet Spiritum;Templum locum pugnæ delegit: ſibique præſentes Chriſtianos,qui orationibus iuuarent,rogauit,quemadmodum ſuperiùs dictum eſt.

Cum Templo coniungo Sacrarium,quo vſus eſt B. Germanus, Antiſiodorenſis Epiſcopus. Cùm enim in Italia exiſtens rogaretur, vt Dęmoniacos curaret,adductos ad ſe in Sacrario curabat omnes, teſte Coſtantino Presbytero, in eius Vita. lib. 2. cap. 10. apud Surium Tom. 4. Pro vtriuſque loci confirmatione ſunt tres Obſeſsi, vno eodemque tempore ad S. Theodorum Archimandritam

dritam adducti, qui Cellam Sancti viri qua concludebantur, graue ſibi tormentum eſſe vociferabantur. Idem confirmauit vir ſanctus. Nam cùm in horum curatione occupatus à S. Cyriaco Patriarcha auocaretur; duos quidem à Dęmonio liberauit: ſed tertio, cuius difficilior curatio erat, mandat; vt torturam eiuſdem loci ad ſuum reditum ſuſtineret, ita Presbyter Georgius in eius Vita.

Induuntur quandoque Sacris Veſtibus Exorciſtæ. Quod hic peccatum? Non ſumus tam inepti; vt has ad Dæmonum eiectiones parum facere ignoremus: ſed tamen dicimus non temerè vſurpari. Demonſtrant *hoc Veſtitu* Exorciſtæ; non ſe ſua virtute, aut meritis niti: ſed poteſtate diuinitus ſibi communicata: Præſtare item officium Ordinis, quod Chriſti authoritate; non humanis nititur meritis. An fortè indignum, vt quis artis ſuæ atque officij inſignia ferat?

Stola etiam Energumenis, & Dæmoniacis iponitur: Sed exemplo Maiorum. Hac Dæmonium exegit ex mulieri Sacerdos quidam cuius D. Gregorius alicubi meminit, primo Dialogorum, teſte Ioanne Bodino, de Dæmonomagia, lib. 3. cap 6. Et Pontius quidam, Abbas Monaſterij Belleuallis, Dæmonium expulit illa, qua aliquando vſus eſt, ſtola S. Bernardus; in Vita Bernar. lib. 4. cap.. 7. Taceo Stolam inter ſigna referri, quæ Dæmones non ſuſtinent: quoniam, vt notat Alcuin9, is qui ea induitur admonetur, vt memor ſit ſe ſub Chriſti eſſe iugo: &, vt habet Bonauentura, in expoſitione Miſſæ, cancellata in pectore, ad modum Crucis, primum ſignificat Chriſti paſsionem mente & corpore circumferēdam; deinde etiam populum Iudæorum à dextra tranſire in ſiniſtram: contra gentes à ſiniſtra in dextrā. Adde quòd & Chriſti ſignificet obedientiam. vt vult Rupertus Tuitienſis, de diuinis Officijs, quam, licet Dominus omnium, pro noſtra exhibuit ſalute, dum formam ſerui aſſumpſiſſet. Vide apud eundem lib. 1. cap. 21.

Imponunt & manum Obſeſſis Exorciſtæ. Nihil nouum. Impoſuit olim Sanctus Martinus famulo Tetradij, Treuiris teſte Sulpit, in Vita eius: atque vt Martinus non fruſtra (Nam & Dæmonem pepulit, & Tetradium ad Chriſti fidem impulit) ita nec fruſtra Sacerdotes. Similiter à ſæuiſsimo Spiritu liberatus eſt Puer, teſte Paladio, in Vita Macarij: poſtquam eiuſdem capiti vnam, & alteram pectori appoſuiſſet; orationemque ad Deum, à quo omne bonum eſt, direxiſſet.

Et Manuum impoſitionem adhibuit Theodorus Archimandrita, in filiæ Principis cuiuſdam curatione, quam iam annis 28. grauiter Dæmon torſerat. Habet hoc ſæpius citatus, diſcipulus eius

Gra-

Gregorio Presbyter. *Sic* de Gregorio *Agrigentino Epiſcopo* teſtatur Metaphraſtes in Vita eius; quod cuſtodijs carceris filium, qui ob feroc'entem in ipſo Spiritum columnæ erat alligatus, reſtituerit priſtinæ incolumitati mox, vbi capiti Obſeſsi impoſuit *Manum*. Idem de Hoſpitio, magno continentiæ viro, refert Turonenſis, libr. ſexto Hiſtor. Franc. Quid quod *Apoſtolorum* hîc ſequuntur exemplum; *qui ſuper ægros manus imponebant, & bene habebant?*

30. *Lumen Cereorum* non adhbetur, vt Spiritus videri poſsint; ſed vel eandem habet cum Rebus Sacris rationem, & efficaciam; vel adhibetur, vt ab homine diſcedens *Satan*, hoc extincto, diſceſſum ſuum teſtetur.

31. *Flagella* rarius aſſumuntur, aſſumuntur tamen: & duas, vt ſuſpicor, ob cauſas. Altera eſt, quòd *Dæmones* egregiè confundant, dum hęc tanquam contemptus ſui argumenta aſſumi intelligunt. *Altera*, quòd ad ipſorum etiam eiectionem valere videntur; dum quas ipſi in corporibus humanis conditiones poſtulant, his diſſoluantur: vt ob id minus apta habeant domicilia. Refert Gerardus à Nazareth, Cap. 20. de conuerſatione ſeruorum Dei *Fagellis* ab homine quodam Diabolum pulſum, qui poſt multa, etiam ſacra adhibita media diſcedere detrectauit.

Cum Flagellis *Alapas* coniungimus, quibus & B. *Benedictus*, & *S*. Hubertus Dæmoniacos liberârunt; quemadmodum de hoc *Surius*; *3*. Nouemb. in eius Vita teſtatur; de illo *B*. Gregorius 2. Dialog cap. 30. & de tertio quodam Krantius, libro quinto Hiſtoriæ Vandalicę, Capite vltimo, Quibus quartum addimus, Monachum, qui ob inobedientiam à Dæmone fuit occupatus; & per fratrum preces adiutus; poſtquam eidem ſuus Abbas Poppo *Alapam* inflixit. Hiſtoriam recenſet Euerhelmus, Abbas *Altimontenſis*, cap. 18. Vitę Popponis, apud Surium, *Tom. 1*. Et quintum illum, quem ob ſtupri conſuetudinem Dæmon ingreſſus eſt; cuius in vita *Simeonis* Abbatis mentionem facit Leontius, Neapoleos Cypri *Epiſcopus*, quem *Abbas* inflicta *Alapa* expulit, dicens: *Noli amplius mœchari: & Dæmon ad te minimè accedet.*

Coniungimus quoque cum flagellis vim, quam attulit cuidam Obſeſſæ Theodorus *Archimandrita*: Per comam ſiquidem legitur eandem apprehendiſſe, & *Cruce* tandem facta, *Spiritum* exegiſſe. Seruit etiam huic argumento factum aliud eiuſdem Theodori. Cùm puer adhuc eſſet, quidam ſanctitate vitæ eius permotus, filium ipſi ſiſtit Dæmoniacum, pro ſanitate multum orans: Quid faceret

Digitized by Google

ceret puer adhuc Theodorus? *Modum*, inquit, *Dæmones exigẽdi ignoro.* Tum pater pueri, Flagellum illi porrigit: *Hoc*, inquit, *filium percute; & vis inimica Dæmonis diſcedet.* Paret Theodorus. ſed percutientem, primò & ſecundò ridet Spiritus: percutientem tertiò fugit, & diſcedit. Hæc Theodori diſcipulus Georgius Presbyter in eius *Vita* apud Metaphraſtem.

Digitos quoque aliquando Exorciſtæ in os Energumenorum immittunt. 32. Sed exemplo Maiorum, Sanctorum hominum. Quorum? Patrocli Abbatis, & eremi cultoris; teſte Gregorio Turonenſi, li. de Vita Patrum, cap. 9. Columbani item teſte Iona, in Vita eius, & S. Clari Abbatis Viennenſis, apud Surium Tom. 1. in eius Vita.

Ex dictis clarum eſt, *nihil in Exorciſmo criminis eſſe; nihil eſſe ſuperſtitionis.* Sed fortè non diſplicent ſingula: diſplicet quòd omnia hæc coniungantur: & quòd, qui virtute Dei Verbi eijci poſſunt, ad hos profligandos tot machinas adhibeamus. Verùm, nec hoc diſplicere debet, aut damnari. Chriſtus nobis huius auctor videtur. Potuit ille verbo, ne dicam, nutu, dæmonia eijcere: ſed tamen ſigna; quæ Exorciſmi quandam ſpeciem referrent, adhibuit. Cùm enim Dæmoniacum quendam ſanaturus eſſet; primùm ipſum apprehendit de turba ſeorſum: tum miſit digitos in ariculam eius: poſt expuens tetigit eiuſdem linguam: denique ſuſpiciens in cælum ingemuit; & poſtquã Epheta dixiſſet, ſanitatem contulit.

CAPVT XLVII.

Rationes & modos, quibus Dæmones eijciuntur, non ſemper eſſe efficaces: idq́ue contingere varias ob cauſas.

QVanquam Exorciſmi vires magnæ ſint; quemadmodum & aliarum Rationum, quibus Dæmonia diximus eijci; *non ſemper tamen effectus ſperatos conſequuntur.* Neque id quidquam Exorciſmi virtuti aut illarum efficacitati detrahit. quoniam nec, quæ Apoſtolorum temporibus Dæmones eijciendi rationes receptæ & probatæ erant, ſemper à Dęmonibus hominum corpora lbierare potuerunt. 1.

Efficax fuit illa ratio, qua filij Sceuæ Sacerdotis vti volebant: & multi ſalutarem effectum ex illa conſecuti ſunt: ſed in Sceuæ filijs tantum abeſt, quòd vires habuerit; vt etiam Dęmones in ſe conuerterint, & ſummam inde ignominiam retulerint, vnde nominis gloriam, & egregiam laudem venabantur. 2.

3. Apoſtolis quoque ſuper ſerpentes, ſcorpiones, & Dæmones poteſtas fuit collata. Poteſtas tamen hæc non vbique ſuas habuit vires Adduxerat quidam ad ipſos filium ſuum, quem mirum in modum Spiritus torquebat, ab ijs auxilium exſpectans: ſed ſpe ſua fruſtratus eſt: à Dæmonio non potuit per Apoſtolos liberari filius.

4. Idem ſuis temporibus accidiſſe teſtatur Origenes Hom. 24. in Ioſue: & ob id malignos Spiritus comparat Amorræis; quòd quemadmodum hi inter filios Iſrael permanſiſſent: ita ſæpe in Obſeſsis hominibus permaneant Spiritus. Adhibeantur, inquit, multę orationes, multa ieiunia; multę Exorciſmorũ inuocationes: ad hęc omnia ſurdus in obſeſſo corpore Dæmon permanet: tolerabilius ferens Exorciſtarum pœnas, & adhibita ſibi ex Dei nominis inuocatione tormenta; quàm diſcedere ab homine; quem impudenter & nequiter obſidet.

5. Sic de S. Benedicto legimus; apud Hincmarum, in Vita S. Remigij: quòd ſuis, quos adhibuit Exorciſmis, Dæmones non profligarit à Toloſana puella: hoc tamen extorſerit; Remigij precibus & opera poſſe eijci. Ad quem etiam rogatus ſanctus vir literas deſtinauit, ſanitatem puellæ expetens. Vide aliud pro hac re exemplum apud Bedam, li. 3. Hiſt. Anglor. cap. 71.

6. Ratio huius rei, ni fallor, nunc in ipſos Exorciſmos: nunc in eos, qui Dæmonia eijcere tentant: nunc in miſeros, qui torquentur, & à Spiritibus poſsidentur: nunc in alias cauſas referri poteſt.

7. Exorciſmorum non ea ratio eſt, quæ Sacramentorum. Conſequuntur hæc ſuos effectus neceſſariò: propterea, quòd ex diuina inſtitutione, certa & efficacia ſint, ſigna gratię cęleſtis; at hanc promiſſionem Exorciſmis non fecit Dominus. quo fit, vt non ſemper quãtas Sacramenta vires habeant, Dæmonesque pellant.

8. Exorciſtarum etiam conditio interdum obſtat. Id ſuo exemplo Apoſtoli teſtãtur: qui, ſi ſe priùs *ieiunio atque oratione* armaſſent, haud dubium (docet id Chriſti oratio) expuliſſent Dęmonium quod ſine iſtis præſidij eijcere nequiuerunt.

9. Hinc eſt quod ſuperiùs monuerimus, multas in Exorciſtis conditiones requiri, ſi ſuo officio feliciter fungi debeant. Quòd ſi has prætermittant, & ad arduũ hic opus imparati accedant; ſi in officio ſint negligentes, quid mirum, ſi aut parum, aut nihil efficiant?

10. Accedit, quòd non omnibus hanc gratiam Deus velit eſſe communem. *Alij*, inquit, *datur gratia ſanitatũ, alij operatio virtutum: alij Prophetia: alij diſcreti Spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum.* Quocirca fit, vt qui multis machinis & Exorciſmis adhibiti

per

Digitized by Google

per hos expugnari nō poſſunt Dæmones;mox cedant,& ſedes relinquant; quàm primùm ab alijs leuiter tentantur.

Peccata quoque eorum, qui Obſeſsi ſunt,quandoque merentur; vt non mox à Dæmonibus liberentur.Cùm enim,vt dictum eſt,hāc vexationem ſæpe peccata afferant,iuſtiſsimo Dei iudicio fit:vt quāuis efficaces Exorciſmi, aliæque machinæ adhibeantur; nihil item in Exorciſtis deſideretur;non tamen Dæmonia eijciantur, propterea quòd nōdū ſatis in ijs,qui Obſeſsi ſunt,ſint vindicata peccata.Hęc quoque cauſa fuit,cur plurimùm rogati S.Eligius Nouiomenſis Epiſcopus,& S.Parthenius;hic iuuenem quendam ex Hunnis oriundum:ille quinquaginta viros à Dæmonum vexatione liberare noluerint.Parthenius pro illo rogantibus dicebat:*Sinite torqueatur: paricida eſt.* Eligius pro his,*Sinite,experiantur, cui ſeruire peccato ſuo elegerint.* Hoc de Eligio Audoenus,ca.20.li.2.Vitę eius:de Parthenio Metaphraſtes,7.Feb. 11.

Quandoque etiam non Obſeſſorum peccatis præteritis tribuitur,quòd diſceſſum morentur Spiritus;ſed quia ipſis *fides deeſt,ſpeſque liberatis conſequendæ.* Orantes Deum,aut eius beneficia exſpectantes, oportet magna cum fiducia accedere; quam quia Obſeſſorum quidam non habent;quid mirum,ſi adhibita ipſis remedia nihil efficiant?Hanc rationem Cyprianus,& Minutius Felix aſsignant: *Adiurati Dæmones,* inquiunt,*vel exibunt ſtatim,vel euaneſcent gradatim,prout fides patientis adiuuat.* Eandem fidem ſiue fiduciam multum in Obſeſsis vrget Toſtatus,quæſtione 165.in 17.cap.Matth. Pro qua etiam adducit illud Domini Matth.21.*Amen dico vobis, ſi habueritis fidē, & non hæſitaueritis;non ſolùm de ficulnea facietis: ſed & ſi huic monti dixeritis;Tolle te,& iacta in mare;fiet, & omnia quacunque petieritis in oratione credentes,fient.* & illud Iacob.1.*Si quis indiget ſapientia; petat à Deo; qui dat omnibus affluenter,poſtulet autem in fide,nihil hæſitans.* 12.

His adde,quod perſæpè etiam nec Obſeſsis difficultas ſit,nec in ijs qui Exorciſmos Obſeſsis adhibent;Dæmones tamen non cedant adiurati. Quemadmodum multis de cauſis permittit Deus;vt homines à Dæmonibus,etiam ſine vlla ſua culpa,poſsideantur; ita iuſtas poteſt habere cauſas;cur Dæmonibus in homines poteſtatem relinquat,quanquam ſuarum miſeriarum nullam dent cauſam. 13.

CAPVT XLVIII.

An ſenſibilibus, prorſusq; naturalibus rebus Dæmones ex humanis corporibus eijci valeant.

Digitized by Google

1. QVia rationes, quibus Dæmones ex humanis corporibus, vel olim in Chriſti Eccleſia eiecti ſunt, vel adhuc hodie eijciuntur, examinauimus; non abs re fecerimus; ſi dictis vnum addiderimus, & definiamus; Poſsitne fieri, vt *rebus quibuſdam ſenſibilibus atque naturalibus*, & quibus nihil diuinum, aut ſuper naturale ineſt, ijdem Dæmones pellantur.

2. Et quidem, ſi Dæmonum conditionem inſpiciamus: attendamus etiam, quam vim res ſenſibiles, & naturales habeant; difficile non eſt ad propoſitum Quæſtionem reſpondere. Cùm enim prorſus ſpirituales craaturæ ſint Dęmones: Spiritualium autem illa ſit conditio, vt longè poſt ſe, omnes res corporeas relinquant; non malè dixerimus fieri non poſſe, vt in ipſos, res ſenſibiles agant: vim ijs afferant: ſedibus ſuis pellant.

3. Nec argumenti huius vim eleuat, quòd animabus, dum in corporibus ſunt, à ſenſibilibus rebus vis afferri poſsit: poſsint etiam vi à corporibus ſeparari. Longè alia animarum, quàm Dæmonum in corpore conditio eſt. Illæ corporibus, vt formæ, coniunctæ ſunt: hi, vt quidam motores & rectores. Quapropter illæ certas, in corporibus, diſpoſitiones poſtulant; quas hi, quoniam corporum formæ non ſunt, non requirunt, quare & hi in corporibus eſſe poſſunt, quomodocunque etiam illa ſe habeant; illæ niſi aptata ſibi ſint, informare non valent.

4. Cæterùm, quamuis res ita ſe habeat, vt corpora *per ſe* nihil poſſint in Spiritus, *tria* tamen ſunt, quæ in præſenti Diſputatione contrarium ſuadere videntur: quæ, quoniam ferè ex Sacris Scripturis depromptaſunt, contemni nec debent, nec poſſunt.

5. Primùm ſuppeditat Hiſtoria Regum. Ibi Spiritum malum Pſaltes Dauid à Saule Rege, cytharæ ſono legitur profligaſſe. *Quandocunque enim* (dicitur Regum 16.) *Spiritus Domini malus arripiebat Saul; Dauid tollebat Cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo Spiritus malus.*

6. Alterum indicat Angelus Raphael Tobiæ Iuniori; qui cùm de flumine piſcem extraxiſſet, iuſſus eſt ab Angelo cor, fel, & iecur eius conſeruare; didicitque ab eodem *cordis particulam ſi ſuper carbones poneretur, fumo ſuo extricare omne genus Dæmoniorum; tam à viro, quàm muliere, & quidem ita, vt vltra non accedant ad eos.*

Tertium ex Salomonis Exorciſmo ſumitur. Quoniam, vt Ioſephus teſtatur; qui hoc dæmonia profligabant(vt Eleazarus) naribus Dęmoniacorum annulum, qui ſub ſignaculo radicem, Salomoni monſtratam, habebat, inſerebant, moxque per odorantium nares Dæmonium extrahebant.

Hæc.

Hæc firmiſsima videntur, quæ pro hac cauſa afferri poſſunt, prę- 8.
ſidia. Quid vero? Qui *Dæmones*, cum Platone, corporeos dicunt, facilius hic ſe expediunt. Qui nullam in ijs corporis aut materiæ concretionem agnoſcunt, difficultatem habent non paruam. Nos ſingula diſcutiamus.

Quod ad *primum* attinet, non putarem in dubium vocandum 9.
eſſe, Saulem verè à Dæmonio obſeſſum fuiſſe: quamuis enim multa præclara, eo etiam tempore, quo à Spiritu Nequam vexabatur, geſſerit; non tamen hinc inferri debet à Dæmonio liberum fuiſſe. poteſt quis à *Dæmonio* poſsideri; & non ſemper eius Tyrannidem perpeti; vt cap. 8. *Di*ſput. præſentis oſtenſum eſt. *S*ed & Saulem verè Obſeſſum fuiſſe docent Theodoretus, q. *38*. 39. *54*. Gregorius, Abulenſis, Lyranus in lib. Regum, & Valleſius cap. 30. de ſacra Philoſophia.

Dubium verò eſt: Vtrum à *Dæmonio* aliquando liberatus fue- 10.
rit: &, ſi liberatus, Vtrum Dauidis opera: &, Quali tandem Dauidis opera liberatus. Neque enim de hac re inter omnes cõſtat. Sunt, qui liberatum negant. *S*unt, qui volunt liberatum, veruntamen non efficiente hoc cithara; ſed innocentia, & probitate Dauidis merente.

Vt quod ſentimus, dicamus. Nullo modo ob probitatem *D*aui- 11.
dis, eiuſque innocentiam à *D*æmonio liberatum putamus Saulem. Neque enim quęrebatur, à ſeruis Saul, vir aliquis ſanctus; quem Diabolus non ferret: ſed qui Citharam pulſando, dolorem, quem Dæmon afferebat, mitigaret.

Nec Citharæ ſono, aut melodia fugatum *Dæmonium* veriſi- 12.
mile eſt. Iam aliàs demonſtratum eſt, eas rerum corporalium, & ſenſibilium vires non eſſe, vt quidquam in *S*piritus poſsint. Aures quidem concentus & melodia demulcet; & voluptatem quandam animo affert, ſed Nequam Spiritus ex hominum corporibus eijcere non valet.

Non exiſtimamus à *Dę*monio liberatum *S*aul, vllo vel obſequio, 13.
vel auxilio *D*auidis. *H*oc ſacra *H*iſtoria confirmare videtur. Quærebatur (vt illa teſtatur) vir, non qui Spiritum pelleret; ſed qui Citharam pulſando efficeret, vt leuius Dæmonis moleſtias Rex ferret. ſic inuentus refertur Dauid; quo Citharam pulſante refocillabatur Saul; & *D*æmonis moleſtias minus ſentiebat.

Citharæ igitur harmonia voluptatem quandam Regi afferebat *D*auid: quæ, quemadmodum omnis voluptas, quæ aliunde 14.
accedit, præſens, quod quis patitur, malum mitigat: ita dolorem,

quem ex Dæmonis tyrannide patiebatur Saul, haud parùm frangebat. Atque hoc ſenſu etiam Dæmon pulſus eſſe intelligi poteſt.

15. Poteſt quoque dici, quòd corporis humores, pulſata cythara, ſunt purgati, & à melancholię affectione liberati. & quia diſpoſitione ea mali Spiritus gaudent, ſit vt ſublata ipſa, *per accidens*, vel abigentur, vel, ne ita moleſti ſint, impediantur. Magnam enim Muſicæ vim eſſe ad homines, humoreſque commouendos nemo dubitat. Exemplo Regis Daniæ Erici, oſtendit hoc Krantzius, lib. 5. Daniæ cap. 5. quod ad verbum hîc ſubiungimus: *Cùm Ericus*, inquit, *interea iam reuerſus in Regnum, ſolemni curia vteretur, multorumq́; militum ſimul & artificum induſtria delectaretur: aderat inter alios Muſicus qui artis eam peritiam tenere ſe diceret; vt homines in quoſcunque vellet affectus vocaret: ex mœſtis lætos: ex alacribus triſtes: ex indignantib⁹ placatos: ex placidis indignantes, & vſque ad furorem inſanientes ſe facere iactaret: Atque is, quò faciebat iſta maiora, quæ ſe poſſe diceret; Regem experiundi fecit cupidiſsimum. Iamq́; pœnitebat artificem ſuæ iactãtiæ: velletq́; non tam de ſe magna prædicaſſe: quippe in Rege iſta expendere, nõ ſine periculo eſſe. Inſuper, ſi minùs quæ dixit, facto probaſſet, mendacem ſe futilemq́; haberi, non ſine diſcrimine formidabat. Orabat quos potuit, Regem ab eo deſiderio auerterent. Sed nihil egit. Vbi vidit, non ſe euaſurum; quò minùs impleret, quæ iactaſſet; orat exportari omnia arma, & quibus læſio poßit inferri. Deinde vt extra ſonum cythara conſiſtant nonnulli, qui poßint adeſſe vocati, curauit: ereptamq́; manibus citharam capiti iubentur illidere canentis. Omnibus iam ritè inſtructis, Regem cum paucis in aula recluſum aggreditur. Primùm graui ſono mœrorem quendam audientibus ingerebat. inde ſuccinendo plauſibilius, lætitiam vertit; vt paululum abeſſet, quo minus iocabundi diſſultarent. Tum modis acrioribus intentatus, indignationem quandam concitabat; quæ vbi inualuit, furere Regem, aſtanteſq́; cernere erat. Mox ſignum dedit deliteſcentibus, vt introirent, Regemq́; iam ſæuientem continerent. Illæſa primùm ex condicto cithara, Regem deinde aggrediũtur. Sed tantum fuit robur viri; vt pugno quoſdam exanimaret. Inde multis obrutus puluinaribus, ardor ille conquieuit. Sed cùm iam ſe in ſe recepiſſet, vehementer indoluit, ſæuiſſe in eos, quos habuit ante fidiſsimos.* Hæc Krantzius.

16. Si quis tamen omnino à Dæmonio, Dauidis Cithara, velit liberatum Saul; non multum reluctabimur: veruntamen non id ſono, quem pulſata Cithara excitabat, tribuemus: ſed Chriſti in Cruce expanſi (cuius ſignum quoddam Cithara fuit) virtuti, & paſsioni: vt dici poſsit, ita Dauidis citharam Dæmonium profligaſſe; quemadmodum idem perſæpe eiecit ſignum Crucis, Vide Matth. Fileſius in 2. Sent. diſtinct. 8.

Sic nec eorum ſententiam damnamus, qui etiam Citharæ ſono 17.
eiectionem tribuũt, nulla eius habita ratione ad Chriſti paſsionem.
Hi naturalem Dæmonum poteſtatem volunt diuinitus reſtringi;
rebusq́; naturalibus ſubijci; quemadmodum igni infernali eoſdem
ſubiectos eſſe, & torqueri docent Theologi.

Cæterùm qui Dauidis Cithara à Saul Spiritum malum fugatum 18.
dicunt, ita fugatum volunt; vt ad tempus, & nullas à Spiritu perpeſ-
ſus fuerit moleſtias; & verè etiam ab ipſo Spiritu fuerit liberatus:
ad tempus, inquam: quoniã cùm rurſus odio atq; inuidia in trium-
phantem Dauidem excandeſceret, à Dæmone rutſus eſt correptus.
quemadmodum ex cap. 18. eiuſdem primi lib. Regum, licet colli-
gere. Sic enim ibidem dicitur; *Poſt autem diem alterum inuaſit Spiritus
Dei malus Saul* ille ſcilicet, qui in fine cap. 16. dicitur *receſsiſſe*.

Secundum argumentum maiorem difficultatem habet: propterea, 19.
quòd ipſius Angeli teſtimonio, quem mendacij arguere non poſ-
ſumus, Fumus vi ignis, ex cordis & iecoris particula, excitatus dæ-
monia extricare dicatur.

Sunt, qui vim huius argumenti paruam arbitrantur; quòd in Ca- 20.
none Sacrarum Scripturarum Tobiæ Liber, vnde Argumentum de-
ſumptum eſt, non reperiatur. Sunt alij, qui admittunt Angelum,
alicuius ſuperſtitionis Tobiæ fuiſſe authorem, dum ſuo quaſi exem-
plo docuit fumo fugari poſſe Dæmones; ſed tamẽ à culpa abſoluũt,
quòd hoc, ne proderetur præſtiterit. Sunt tertij, qui Dæmonis ex-
pulſionem Fumo, tanquam ſigno, tribuunt, quemadmodum de
Dauidis Cithara, & Ligno Cruce diximus.

Quidquid de hoc tertio ſit (quod non damnamus) certum eſt, 21.
Librum Tobiæ à Canone ſacrarum Scripturarum reijci non debe-
re. Quanta reliquorum, tanta libri Tobiæ eſt authoritas. Certum
quoque eſt ſuperſtitioſum non fuiſſe Raphaelem; nec ſuperſtitio-
nis authorem fuiſſe Tobiæ. Nec peccant Angeli, nec alios ad pec-
candum inducunt.

Et quamuis hunc Fumum rei ſacræ ſignum eſſe negaremus; nihil 22.
tamen eſt, quod nos cogere poſsit, vt ſenſibilibus ſignis Dæmones
expelli dicamus. Dicere poſſumus: Non docere Angelum vi Fumi
Diabolos expelli; ſed tantum aſſerere, ipſos fugandos, quando Fu-
mus excitatus fuerit. Quocirca quemadmodum neceſſe non eſt, lo-
tionem meam cauſam Eclypſis Lunæ eſſe, quòd, dum ego lauo;
hæc accidit: ita neceſſe non id dicere, Fumum cauſam eſſe, quę Dia-
bolos pellat; quamuis dum Fumus fit, Diaboli pellantur. Docet
Angelus quid fiat, non cauſam reddit, cur hoc fiat.

Hoc

Digitized by Google

23. Hoc fortè Tobiæ, cap.8. indicari videtur. Neque enim dicitur Fumus Dæmonem profligaſſe: ſed Raphaelem Angelum. *Protulit*, dicitur ibi, *Tobias de caſsidili ſuo, partem iecoris, poſuitq́, eam ſuper carbones viuos. Tunc* (ſubiungitur) *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & relegauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti.*

24. Quid igitur eſt, quod Dæmonium profligauit? Fumus? Non. Raphael Angelus profligauit. Quomodo verò? An ob excitatum Fumum? nec hoc etiam. Veruntamen, quando excitatus eſt Fumus, profligatus eſt Dæmon. Si quid hic præter operas Angeli fuit, quòd Dæmonium profligauit, fuerunt merita atque orationes Tobiæ, & Saræ.

25. Quanquam & de Fumo dicere poſſemus, quod ſe ſono Cytharæ Dauidis inſinuauimus: diuinitus ſcilicet fieri; vt naturalis Dæmonũ virtus, etiam rebus corporeis ſubijciatur & conſtringatur. Quemadmodum enim res corporeæ coſecratione, quæ illis adhibetur, vt Spiritus crucient, poteſtatem accipiunt; ita eoſdem poteſt Deus velle ijſdem ſubiectos eſſe & conſtringi, quamuis nulla conſecratio ad ipſas acceſſerit.

26. *Eleazarum*, qui *Radicibus* in Exorciſmo vſus dicitur, quidam inter Magos numerant; voluntq́ue cum Dæmonibus pactum habuiſſe. Hinc negant Salomonis Exorciſmo vſum; negant Dei virtute Dæmonia eieciſſe.

27. Alij admittunt Salomonis, quem profitebatur, eſſe vſum Exorciſmo: & verè non Dæmonum; ſed Dei opera Dæmonia eiecta: veruntamen nullam hi tribuunt virtutem Radici: propterea, quòd nõ ex inſtitutione Salomonis Radix in Exorciſmo adhibita ſit, ſed propria & priuata Eleazari voluntate; & ob id aliqua ſuperſtitione non caruerit.

28. Prius illud non facilè dixerim; cùm haud pauca ſint, quæ contrarium ſuadere videantur. Alterum crediderim fieri poſſe. Neque enim nouum eſt, vt res quæ diuinam inſtitutionem habent, hominũ malitia deprauentur: & tamen eundem, quem Deus illas habere voluit, conſequantur effectum.

29. Interim non intelligo, quidnam mali ſit dicere Radicem, in Salomonis Exorciſmo adhiberi ſolitam; illamq́ue efficacem fuiſſe; & præterea omni ſuperſtitione caruiſſe, ſi diuinitus inſtitutus eſt Exorciſmus Salomonis. An non potuit velle Deus, vt Radix adhibita ad homines à Dæmonibus liberandos valeret?

Sed de his plura in Diſputatione de Locis infeſtis.

QVAR.

Digitized by Google

QVARTA PARS.
DIPVTATIONIS DE DÆMONIACIS.
IN QVA

De Dæmonum ex hominum corporibus egreſſu, egrediendi difficultate, & crudelitatis ſignis, quæ in egreſſu relinquunt; via item, qua egrediuntur, & loco, quo egreſſi tendunt; hiſq; ſimilibus agitur.

CAPVT XLIX.

Dæmones admodum difficulter relinquere homines, quos ſemel obſident.

1. QVarta Diſputationis pars egreſſum immundorum Spirituum ſcrutabitur. Et in hac quemadmodum alijs, plura diſcutienda ſunt: ſed potiſsimum hæc. Oſtendendum ſumma cum difficultate homines, quos obſident, Dæmones relinquere. Inquirendæ cauſæ huius; & Cur quidam difficiliùs eijciantur, quam alij: quiue illi ſint. Explicandum præterea, quibus potiſsimum ſignis egreſſum ſuum prodant. Quæ item ſignorum cauſæ & rationes, tã in genere, quàm ſpecie. Qua via egrediantur, dum abſcedunt, & homines relinquũt. An etiam omnes ſimul egrediantur, dum v. g. vnum aliquem hominem plures ipſorum obſident. Ad hæc, Quò tendant, eiecti ex hominibus. Cur ęgrè admodum & difficulter ad infernum deſcendant. Poſtremò, An voto & deſiderio ipſorum, qui egreſſuri quippiam petunt, liceat ſatiſfacere. Præcipua ferè hæc ſunt Capita, cum Spirituum egreſſu coniuncta: & quę difficultatem aliquam poſſunt habere. Si quæ ſunt alia; vel difficultatem ſingularem non habent: vel ex prioribus huius Diſputationis partibus innoteſcunt. Sed ad Primum.

2. Dæmones igitur, ſiue *Spiritus immundos difficulter homines, quos obſident, deſerere*, nemo rectè poteſt dubitare. Multa pro hac re ſunt argumen-

gumenta. Et primò quidem hîc ſeruit *quotidiana experientia*. Quotus enim quiſque Dæmonum ex humanis corporibus eijcitur; qui non ſuo Exorciſtæ plurimos parit labores atque moleſtias? quotuſquiſque Exorciſtarum hoc opus aggreditur, qui non arduam ſe credit adire prouinciam? & in qua adminiſtranda non plurimis præſidijs exiſtimat ſibi opus eſſe.

3. Confirmant experientiam hanc *Dæmonum à Chriſto expulſorum exempla*, qui quod ægerrimè ſedes ſuas reliquerint, partim his verbis teſtati ſunt. *Quid nobis & tibi Ieſu? veniſti ante tempus torquere nos. Scimus quis ſit*: partim grauiſsima tortura, qua egreſſuri miſeros mortales affecerunt. patent hæc Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9.

4. Confirmant *Apoſtoli*, qui quamuis conſuetis, & à Chriſto Domino traditis machinis, in Dæmonum quorundam eiectione vterentur; nihil tamen proficere potuerunt: Dæmonibus ſuas ſedes in hominibus retinentibus: nec quidquam de priori tortura remittentibus. & hoc patet Marci 9. Lucæ 9. Matth. 17.

5. Intellexerunt idem *quicunque apud Iudæos, Chriſti Apoſtolorumq́ Exorciſmis affuerunt*; qui quòd vel Dominus verbo, vel illi, Chriſti nomine inuocato, Dæmonia eijcerent, in ſtuporem fuerunt conuerſi, mirantes, ſcilicet, quod tam arduum & difficile opus tam leui opera, vt videbatur, conficeretur.

6. Sed & *quicunque immundos Spiritus ſequentibus temporibus eiecerunt*, ſummam ſemper experti ſunt difficultatem. Hinc tot tãque egregijs præſidijs muniti, & armis inſtructi eſſe voluerunt, antequam hoc opus aggrederentur: & ſuis viribus aliquando diffiſi aliorum orationibus adiuuari: quemadmodum pluribus exemplis in tota hac Diſputatione clarum eſt.

7. Et *Dæmones quoque* idem multis modis declararunt. Quibus verò? *Primò* quòd quandoque ſenegarunt expelli poſſe ab hominibus. vt inter alios, ille, qui ſe neque Sirulum, neq; Bernardulum curare aiebat, de quo nos aliquoties in hac Diſputatione. *Secundò*, quòd perſæpe expelli non potuerunt; quamuis etiam maximæ machinæ pro ipſorum eiectione adhiberentur: vt ille, quem ad B. Remigium miſit B. Benedictus. de quo Theſ. 14. cap, 23. *Tertiò*, quòd expellendi maximos clamores atque vociferationes, quibus vim ſibi fieri teſtati ſunt, ediderunt. Horum plures poſtea recenſebimus. *Quartò*, quòd verbis & clamoribus non contenti, grauiter miſeros mortales in ſuo egreſſu torſerunt. quemadmodum pluribus exemplis eſt clarum. *Quintò*, quòd ſe torqueri dixerunt, ſi quando expellerentur; quemadmodum legio eorum, quos Dominus expu-

expulit.de quibus ſic Lucas cap. 8. *Obſecro*, loquebatur legio Domino, *ne me torqueas. Præcipiebat enim*(addit Euangeliſta) *Spiritui immundo, vt exiret ab homine.* Sextò & poſtremò, quòd in Exorciſtas grauiter ſæpe inuecti, quibus potuerunt modis, & nunc veris, nunc fictis excogitatis in ipſos criminibus, eoſdem conati ſint à ſuſcepto exorcizandi munere auertere: nec his contenti, in Deum cæliteſq; aliquando fuerint blaſphemi. Exemplo hic eſſe poteſt, quem Paulus Simplex, à S. Antonio rogatus, eiecit: qui Paulum quidem atque Antonium vocabat Helluones, veternoſos, & cæt. Chriſtum autem blaſphemijs proſcindebat. Vide Palladium Sect. 25. Hiſt. S. Patrum.

Expellendi & eijciendi verbis etiam ſatis inſinuatur inuitos diſcedere ex hominum corporibus Spiritus Nequam: Et horum eſt vſus frequentiſsimus in ijs Scripturæ ſacræ locis, vbi proſcripti dicuntur. *In nomine meo Dæmonia eijcient*, loquitur Dominus Matth. 10. *Quare nos non potuimus eijcere illum?* loquuntur Apoſtoli Matth. 17. *In nomine tuo Dæmonia eiecimus*, loquuntur mali Chriſtiani Matth. 7. *In Principe Dæmoniorum Beelzebub eijcit Dæmonia*, loquuntur Phariſęi Lucę 11. Sic legitur *eieciſſe* Dæmonia Dominus, Matth. 9. Apoſtoli, Marci 6. Filij Phariſæorum, Luc. 11. & quidam alius, qui Chriſtum non ſequebatur, Lucæ 9. 8.

Legitur quidem quoddam Dæmonium rogaſſe Theodorum Archimandritam, vt ſibi hominem quem poſsidebat, relinquendi daret facultatem. Veruntamen hoc non tam hominem cupiebat relinquere; quàm à moleſtia, quàm præſentia Theodori afferebat, liberari Rem totam deſcribit Georgius presbyter Theodori diſcipulus, apud Surium, Tom 2. fol. 754. 9.

Sic legitur quoſdam Spiritus fugam cepiſſe, prius, quàm ad Sanctos, à quibus eijciendi eſſent, peruenirent: vt ille, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, qui aduentum B. Triphonis, à quo ſe eijciendum ſciebat, anteuertit, teſte Metaphraſt. in Vita Triphonis 1. Februarij. quoſdam ad ſolum Sanctorum aſpectum diſparuiſſe; vt integra Legio, quæ adoleſcentem inuaſerat, qui morſibus quoſque obuios lacerabat; qui mox, viſo Arnolpho Svveſsionenſi Epiſcopo, diſceſsit; quemadmodum eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Liſiardus, in Arnolphi Vita teſtatur, ca vigeſimo quarto: quoſdam ad ſolam viſam Crucem fugatos; vt illos, qui ad S. Gregorium Lingouienſem Epiſcopum ſunt adducti: de quibus in eius Vita Gregorius Turonenſis, cap. 7. Quoſdam verbo eiectos; quorum Euangelica hiſtoria meminit. Sed tamen & hi ſi non grauiſsimis machinis coacti fuiſſent, domicilia ſua non reliquiſſent: & quæ relique- 10.

Digitized by Google

runt, inuiti admodum atque ægerrimè reliquerunt. Atque ita demonſtratum ſit, Dæmones ſedes ſuas difficulter relinquere.

CAPVT L.

Quæ cauſæ, cur cum tanta difficultate Dæmones deſerant homines, quos obſident.

1. DIfficilis Dæmonum ex humanis corporibus migrationis cauſam haud malè quis ex deſiderio, quod Dæmones ad homines obſidendos habent, collegerit. Ob eaſdem videntur ægrè diſcedere, ob quas deſiderant homines ingredi. propterea, quòd cum difficultate illa relinquuntur, quæ cum voluptate poſsidentur.

2. Hinc manifeſtum eſt, ſtudium, & voluntatem nocendi præcipuè eos in hominibus retinere. Quemadmodum enim in hominum ingreſſu non ipſis propoſitum eſt, vt pœnarum ſuarum remiſsionem conſequantur; ſed vt noceant; ita hoc difficili ſuo receſſu quærere videntur omninò, vt noceant.

3. Sunt nihilominus, qui *alias* atque *alias* cauſas huius difficilis diſceſſus aſsignant. Vtrum *bene* diſcutiendum eſt. Quidam volunt ipſos diſceſſum morari, propterea; quòd ſemel ex hominibus expulſi, ſecundò eoſdem ingredi, & vexare non poſsint. Alij quòd mox, vbi exacti ſunt, ad Infernum, quem vehementer deteſtantur, detrudantur. Priores hoc fundamento videntur niti, quòd ſemel ab homine victi, ad eundem ſecundò tentandum nunquam dicantur accedere: Poſteriores ex illo coniecturam accipiunt, quòd à Christo expellendi Dæmones rogauerunt, ne *imperaret in abyſſum diſceſſum.* Luc. 8.

4. Priorum, vt fundamentum infirmum eſt, ita non firma ſatis aſſertio. Eſto, non ſtatim ad eundem hominem tentandum redeat Dæmon, à quo victus eſt; redire tamen ex illo colligimus, quòd victus à Chriſto rurſus eundem aggreſſus ſit: niſi fortè fruſtra à Luca Euangeliſta (cap. 4.) dictum eſſe velimus, quod *conſummata omni tentatione* receſſerit à Domino Dæmon *ad tempus.*

5. Sed & ſi non ad eundem reditus conceditur, poteſt tamen eſſe facultas alium ingrediendi. Probat id, qui Diocletiani Imp. filiam, Artemiam, aliquando torſit. Cùm. n. hunc S. Cyriacus, Chriſti nomine inuocato, eijceret; nec vllum ipſi aliud commodum (vt poſtulabat) domicilium aſsignaret; eiectus, *Cogam te*, inquiebat Spiris

tu-

tus, *cum moleſtia in Perſidem venire.* Quid deinde? Mox ab eodem Spiritu in Perſide obſidetur Saporis Perſarum Imper filia. Pro cuius incolumitate, cùm pater eſſet ſolicitus, intelligit Cyriaci opera filiã iuuari poſſe; eundemq́ue accerſit. Accerſito inſultat Sathanas: *Nunquid dixeram, inquit, futurum, vt in Perſidem difficile iter ſubires.* Apud Surium Tom. 4.

Quid quòd & ad eundem, ſemel eiectus Dæmon, aliquando redeat? Docet hoc Domini oratio. *Cùm enim immundus Spiritus,* inquit, *diſceſſerit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Idem ſignificat Dominus Marci 9. quando iam egreſſuro Dæmoni præcepit, *ne rurſus hominem ingrediatur.* Si enim rurſus ingredi non potuit, cur ne ingrediatur præcepit? 6.

Quod Dominus docet, confirmant exempla; illius imprimis, quem S. Bernardus aliquando eiecit. Res ſic ſe habet. Papiæ Sanctus vir agebat. Hic ipſi Dæmoniaca adducitur: quòd ſpes eſſet meritis atque patrocinio Bernardi liberandam. At Dæmon mox Sancto viro cœpit inſultare: *Non me* inquiens, *de anicula mea pelles, porculos edens, & braſſicas deuorans.* Tum Bernardus Obſeſſam ad S. Syri Reliquias iuſſit adduci. Sed mox inſolentior factus Spiritus, *Non me Syrolus; Non me Bernardulus eijciet,* clamabat. Reductæ ad ſe Bernardus: *Nec te, Syrus, nec Bernardus eijciet;* inquit, *ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Et ad orationem conuerſus, impudentem Spiritum eiecit. Marito domum reuerſo, iterum à Spiritu mulier inuaditur. Rurſus igitur ad Bernardum maritus. Rurſus Spiritum expellit Bernardus: & ne ſe diſcedente tertiò mulierem ingrederetur Dęmon, collo Obſeſſæ hunc appendit Exorciſmum: *In nomine Domine noſtri Ieſu Chriſti, præcipio tibi Dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris.* Ita cap. 4. lib. 2. vitæ S. Bernardi, apud Surium, Tom. 4. fol. 802. 7.

Et exemplum Saulis primi Iudęorum Regis hîc nobis ſeruit. De hoc, quòd verè aliquãdo Obſeſſus fuerit, oſtenſum eſt ſuperiꝰ, quòd verò Spiritus aliquando ipſum reliquerit, admodum eſt probabile, propter illud, quod in fine ca. 16. dicitur: *Recedebat ab eo Spiritus.* Et tamen ad eundem rediſſe Dæmonium manifeſtum eſt ex ca. 18. vbi ſic dicitur: *Poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul.* Atque hoc prioribus ſit dictum. 8.

Poſteriores quamuis cum ratione loqui videantur; quod tamen aſſeritur, non poteſt certò conſtare. Vnde qua ſo cõſtabit? Non patrocina- 9.

 trocina-

Digitized by Google

trocinatur huic ſententię ſenſuum iudicium: Nō ſacra eloquia: Non Dæmonum confeſsio.

10. Quid quòd contrarium non obſcurè Sacra eloquia inſinuent? Scimus Raphaelem Dæmonium abegiſſe: veruntamen non in *infernum*; ſed in Ægyptum relegauit. Neque hic multùm referre putamus; ex homine, an ex domo Dęmonium eiectum ſit. Omnino huic, quòd Raphael eiecit, locus videbatur aſsignandus, quem petunt, qui ex humanis corporibus eijciuntur.

Tob. 8.

11. Idem illi, qui à Domino eiecti poſtulant; vt ne in abyſſum mitterentur, confirmant. Si enim conſtabat ſe, poſtquam eiecti eſſent, in *Infernum* mittendos; quid rogant, ne mittantur? Sed quia non neceſſariò ad *Inferos* mittuntur eiecti; Chriſti autem ſummam in eijciendo facilitatem & poteſtatem obſeruabant; verebantur, ne qui ipſos corporibus expelleret; in *Infernum* pelleret: quod ne faceret, precabantur.

Luca 8.

Cum his idem ſenſerunt, quorum in Vita S. Germani Pariſienſis Epiſcopi fit mentio. Egreſſuri enim Sanctum virum rogatunt; vt ſi inter homines verſari non permitterentur, liceret ſaltem errare per deſertum. Ita Fortunatus ca. 30 S. Germ.

12. Veruntamen quamuis *Infernus* non ſit definitus locus Dæmonibus, humana corpora relinquentibus; ad *Infernum* tamen relegari poſſe ex eo, ni fallimur, poſſumus conijcere: quòd, ſi quando ex hominibus expelluntur, nihil ita timeant; quàm quòd in Infernum relegantur.

13. Quocirca non probatur quod quidam dicunt, nullam hominum in Dęmonia aliam eſſe poteſtatem; quàm quòd illa ex humanis corporibus eijcere valeant. Eſto, dicatur Dominus dediſſe *poteſtatem eijciendi Dæmonia*; non tamen aliam quamcunque negauit. Quid, quod alibi dederit *poteſtatem calcandi ſuper Dæmonia*? & Sanctiſsimus Paulus, qua poteſtate Dæmonia in homines immiſit? Vide Abulenſ. in 10. Matthæi.

Luca 10.

1. Cor. 5.

CAPVT LI.

Quod quidam Spiritus Dæmoniorum difficilius eijciantur: & quinam illi ſint: atque vnde hoc habeant.

1. QVamuis omnes Spiritus humana domicilia ægrè admodum relinquant; quidam tamen ſunt inter ipſos; qui cæteris difficiliùs eijciuntur; quidam faciliùs. Et quemadmodum hoc certum eſt accidere; ita non ita certum eſt, *Qui-*

nam illi ſint, qui difficiliùs eijciuntur: & *quibus de cauſis* idipſum contingat. Omnia verò hæc tria præſenti Capite oſtendenda ſunt.

Et primùm illud, vt à pluribus ſuperſedeamus, illius Dæmonis exemplo manifeſtum eſt, qui ab Apoſtolis eijci non potuit; quorũ tamen in Dæmonia fuit plena & ſumma poteſtas. Nam qui plurima iam in varijs locis eiecerant; in vno, cuius tres Euangeliſtæ (Matth. 17. Luc. 9. Marc. 9.) meminerunt, fruſtra laborarunt. 2.

Nec eſt, quòd quis omnem, huius difficilis diſceſſus, cauſam in Apoſtolos conijciat; quaſi fides ad hoc opus perficiendum ipſis defuerit; quæ non defuerit, quando alios Spiritus ex hominibus eiecerunt. Quamuis enim incredulitati ipſorum Dominus tribuat, quòd Dæmonium illud non eiecerint: præter incredulitatem tamẽ ſignificat etiam in ipſo Dæmonio cauſam fuiſſe. *Hoc genus Dæmoniorum*, inquit, *non eijcitur niſi ieiunio & oratione.* Inſinuat ſcilicet, Dominus, in alijs profligandis ab Apoſtolis non opus fuiſſe ieiunio & oratione, ſuffeciſſe Chriſti inuocatum nomen. hîc præterea fuiſſe illis opus alijs ſubſidijs: quòd difficiliùs hoc, quam alia pellantur. 3.

Idem admiratio, & ſtupor populi Iudaici confirmat. Neque enim ſemper illi ſtupebant aut mirabantur; quando vel ipſorum filij, vel Apoſtoli, aut etiam Dominus Dæmonia eijciebat: in aliquorum eiectione clamant: *Nihil ſimile viſum in Iſrael*: Matth. 9. nunc etiam Chriſtum pro Meſsia incipiunt habere, Matth. 12: *Nunquid*, inquiunt, *hic eſt filius Dauid?* Meſsias? quia ſcilicet, ea à Domino videbant eijci, quæ ab alijs non poſſe pelli exiſtimabant. 4.

Sed *Qui illi* Spiritus? difficile eſt vniuerſim definire, quinam, ſcilicet, ex omnibus ſint, qui cæteris *difficiliùs* eijciantur; ſuperiorúmne Ordinum, an inferorum: qui maiores moleſtias alijs afferunt, an qui minores: qui diutius ſedes ſuas in hominibus habuerunt, an qui non ita diu: quibus cauſa data fuit in homines ingreſſus, an qui vltro, abſque vlla Obſeſſorum culpa eoſdem cruciant. Quamuis enim hinc aliqua coniectura peti poſſe videbatur; certa tamen, & quæ exceptionem non patiatur, peti non debet. 5.

Veriſimile eſt, & in inferioribus Ordinibus: & non tantùm in ſuperioribus, quoſdam eſſe; in quorum eiectione plus laboris ſuſcipiendum Exorciſtis: Et eſſe eos etiam aliquando, qui minores afferunt moleſtias: Et eos, qui non ita longo tempore in hominum corporibus ſedes ſuas habuerunt: Et præterea tales, quibus nulla per Obſeſſos in ipſos tyrannidis cauſa eſt data. 6.

Nam qui ſuperiorum Ordinum tantùm hos eſſe dixerint: propterea; quòd hi viribus maioribus polleant; non attendunt etiam

quii

qui inferiorum Ordinum ſunt, quamuis illis viribus ſint impares, omnibus tamen hominibus, à quibus eijciendi eſſent, eſſe ſuperiores. *Neque enim eſt poteſtas*, inquit Iob, cap. 41. hominis vllius, quæ cum cuiuſcunq;, etiam minimi, poteſtate cõferri poſſit. Sed nec ex viribus ſpirituum hæc res eſt metienda. quia non permittitur, quantum poſſunt, in miſeros mortales ſæuire modus ipſis impoſitus eſt. Quocirca fieri poteſt, vt plus etiam aliquando permittatur alicui inferioris Ordinis Spiritui, quàm alteri Ordinis ſuperioris: & difficiliùs ille, quam hic pelli poſſit.

8. Qui crediderint eos ſolos difficulter cedere; qui nullam quietem, nec diurnam, nec nocturnam ijs, quos obſident, relinquunt: refutantur exemplo illius, quem Matth. 17. Dominus docuit difficulter expelli. Difficulter ille admodum cedebat, ſed tamen non continuo moleſtus erat illi, quem obſidebat. aliquãdo etiam eundem deſerebat: quemadmodum Obſeſſi parens teſtatur apud Euangeliſtas, Mar. 9 & Luc. 6.

9. Eodẽ exemplo eorum ſentẽtia refellitur, qui difficiliùs expelli volunt, quibus iuſta ab hominibus, quos obſident data eſt vexandi cauſa. Refellitur, inquam, quia miſer ille nullam ingreſſus cauſam Spiritui dederat: vt qui ab ineunte ætate, quando peccare nondem potuit, carnificinam Dæmonis ſuſtinuerat.

10. Denique neque diurnitas vel breuitas temporis, quo hominibus moleſti fuerunt, certa hîc regula eſſe poteſt: vt difficiliùs pelli illi dicendi ſint, qui diutius ſuas in hominibus ſedes habuerunt, (quod Hieronymum ſenſiſſe teſtatur Maldonatus, Comm. in Euangel.) faciliùs qui non ita diu. Nam qui difficillimè pulſus eſt, Matth. 17. poſtquam aliquot annis miſerè puerum torſit: difficilimè etiam pulſus fuiſſet, ipſo quo primùm ingreſſus eſt die: cùm vt veriſimile eſt, in principio, quemadmodum fine & mutus fuerit & ſurdus.

11. Interim tamen quamuis ex iam dictis certum iudicium non videatur poſſe peti; ex vno tamen & de vno Dæmonum genere conſtare poteſt, quod quæritur. Ex quo vero? Chriſti ruuelatione. Et de quo? Illo à quo Lunatici, ſiue ſurdi & muti, Obſeſſi dicuntur. Poſtquam enim fruſtra in hoc Spirituum genere eijciendo laboraſſent Apoſtoli; *ſecretò* (quemadmodum S. Matth. habet, cap. 17.) Dominum acceſſerunt, interrogaturi, cur qui alios expuliſſent Spiritus, hunc eijcere nequirent: Quibus Dominus, poſt alia: *Hoc genus* inquit, *Dæmoniorum, non eijcitur, niſi in ieiunio & oratione*: quaſi dicat: Miſi quidem vos, cum poteſtate Dæmonia in nomine meo eijciendi.

endi. Eieciſtis quoq; plurima: veruntamen in hoc eijciendo, quamuis conſuetas machinas adhibueritis, nihil profeciſtis, quia ſcilicet aliud hoc Dæmoniorum genus eſt: Non ita facilè pellitur, vt cætera: hæc meo inuocato nomine fugiunt. Illud niſi oratione & ieiunio vrgeatur, non cedit. ita Toſtatus qu. 172 in 17. Matth.

Et certum hoc Dæmoniorum genus à Domino deſignatur. Pronomen, *Hoc*, magnum huius præbet argumentum. Demonſtrant idem omnes, quibus res geſta deſcribitur, circunſtantiæ. Dæmonium enim illud puerum miſerè torſerat: pro ipſo expellendo pater Apoſtolos rogarat: Apoſtoli eijcere, ſed fruſtra, tentarant: ante eius proſcriptionem Dominus fidem patris poſtulabat: torturæ tempus ſciſcitabatur: ieiunio atque oratione ſolùm profligari poterat. 12.

Verùm hic iam quæſtio eſt, Quodnam illud Dæmonum genus? Reſpondemus ex Euangelica id conſtare Hiſtoria. Lunatici dici poſſunt, ſiue ſurdi atque muti Dæmones. Quoniam Dæmonem, qui difficiliùs expellebatur, pater nunc *Lunaticum Spiritum* vocat, nunc *ſurdum & mutum*. Matth. 17. ſic loquitur: *filius meus Lunaticus eſt*. at Marci 9. *Tuli filium meum habentem Spiritum mutum*. Quod verò idē *ſurdus* fuerit, Chriſti exorciſmus confirmat: *Surde*, inquit ille, *& mute Spiritus, præcipio tibi, Ex ab homine*. Itaque ſiue Lunaticum dicas, ſiue ſurdum & mutum Spiritum; perinde: hoc certum, pelli difficulter hoc Dæmoniorum genus. 13.

Sed tamen ſi Lunaticum dicas, quod certis Lunę temporibus tantùm cruciat, non verò facultate vel audiendi, vel loquendi priuet, qualia inueniri nemo poteſt dubitare, non quoſcunque Spiritus Lunaticos; ſed mutos tātùm atque ſurdos dicemus eſſe, qui cæteris difficilius, ex humanis corporibus, exigantur. 14.

Et meritò difficiliùs. Quam enim rationem in his eijciendis ſequeris? Neque enim quid loqueris volent intelligere; cùm ſurdi dicantur: neque ad interrogata vnquam reſpondere; cum ſint muti. 15.

Meminiſſe tamen hîc oportet *mutos* atque *ſurdos* dici: non quòd facultate loquendi audiendiúe careant; ſed quod hac priuent, quos obſident. Et Lunatici vocantur, quod certis Lunæ temporibus & decrementis grauius torqueant. Priori illo oſtendunt odium, quo erga miſeros mortales flagrant, quos præcipuis ſentiendi facultatibus priuant: poſteriori inuidiam erga vniuerſorum Dominum, Deum Opt. Max. cum hac Lunatica vexatione malum, quod ipſi afferunt, in Dei cupiant deriuare creaturas atque ita ip- 16.

ſum apud mortales, vel in odium trahere, vel certè reddere contemptibilem.

17. Mutos igitur atque ſurdos Dæmones dicimus eſſe, qui difficiliùs expelluntur. Sed an hos ſolùm? An præter hos, alios quoque? Huius definitionem nos alijs relinquimus: ad Tertium, quod hoc Capite propoſitum nobis eſt, accedimus. & difficilis huius diſceſſus *cauſam* inquirimus.

18. Nicolaus igitur Liranus, in 9. cap. Marci, viribus & potentiæ Spiritum hoc tribuit, quòd hi alijs difficiliùs eijciantur. *Cùm enim viribus ſint impares Spiritus, qui maioribus,* inquit, *inſtructi ſunt, difficiliùs ex hominibus exiguntur, qui minoribus faciliùs.* Veruntamen hęc non ita bene dici videntur.

19. Primùm, Quoniam Spirituum immundorum vires maximæ ſunt, multiſque modis humanas quaſcunque ſuperantes. Neque hoc de ijs tantùm dictum volumus, qui ſuperiorum ſunt Ordinum, & viribus ſuperant eos, qui ſunt Ordinum inferiorum; de omnibus dictum volumus. Minimus Spirituum (cuiuſcunque etiam ille Ordinis, conditioniſque ſit) quemcunque mortalium, etiam robore viribuſque valentem ſuperat, Iob. 41. Quocirca ſi virium hîc ratio habenda, non minus difficulter minimus, quàm maximus à quocunque mortalium eijcietur.

20. Deinde, non permittuntur pro virium ſuarum quantitate in Obſeſſos mortales ſæuire Dæmones. Docet id, vel is, qui difficulter, Matth. 17. à Domino eſt pulſus. Quomodo, quæſo, non interfeciſſet miſerum puerum, quem nunc *in aquam atque ignem præcipitabat? nunc in terram proſternebat?* ſi quantum per vires ſuas voluit, ſæuire permiſſus fuit?

21. Tertiò, quia machinæ, quæ pro Dæmonum eiectione adhibentur, non ex ſe habent hoc, quod Dæmonum poſsint frangere vires: veluti calida frãgunt vim frigidorum: Dei voluntate quod poſſunt; poſſunt in Dæmones: & ab ijſdem tam facilè, ſi Deus vellet, vincentur, & ex hominibus eijcientur Spiritus ſupremi, viribuſque præſtantes; quam infimi; quorum minor virtus atque poteſtas.

22. Quę igitur tam difficilis egreſſus cauſa? quia, ſcilicet, hi Lunatici; ſiue ſurdi atque muti Spiritus *maiorem in Obſeſſorum corpora acceperũt à Deo poteſtatem.* Et quo maior ipſis in corpora poteſtas collata; eò difficiliùs ex corporibus eijciuntur. Pro quãtitate poteſtatis, quam in homines accipiunt; maior atque minor vis ad ipſos ex hominibus pellendos neceſſaria videtur. Ita Toſtatus Abulenſis, qu. 172. in 17. Matth.

Hinc

Hinc eſt, quod Chriſti in his Lunaticis, ſiue mutis atque ſurdis Spiritibus expellendis, poteſtatem plus mirati ſint, & prędicarint Iudæi; quàm in quibuſcunque alijs eijciendis: quàm etiam in mortuorum ad vitam reſtitutione. Poſtquam enim mutum Dęmoniũ eieciſſet, mutusque locutus fuiſſet; *miratæ* (inquit Matth. Euangeliſta, ca. 9. *ſunt turbæ dicentes; Nunquam ſic apparuit in Iſrael.* Et capite 12. cùm iterum eieciſſet Dęmonium mutum, in illam veniunt opinionem, vt credant eſſe Meſsiam. *Nunquid,* inquiunt, *hic eſt filius Dauid?* Similiter teſtatur Lucas, cap. 9. *obſtupuiſſe omnes in magnitudine Dei,* poſtquam curauit Lunaticum, cuius mentio fit Matth. 17. Et tamen hic ſtupor ipſos non apprehendit; quando mortuos excitabat: Nunquam in ſimiles voces proruperunt. Atque hoc breuiter pro hoc argumento. 23.

CAPVT LII.

Quibus potiſsimum ſignis egreſſum ſuum prodant Dæmones.

1. NOn quæritur, Quibus ſignis conſtare poteſt, homines à Dęmonum obſidentium tyrannide eſſe liberatos: ſed *Quibus egreſſum ſuum illi prodant.* Quemadmodum enim, vt prima diſputationis huius parte dictum eſt, alijs produnt ſuum in homines ingreſſum; alijs ſuam inhabitationem: ita alijs poteſt conſtare, quòd homines obſeſſos reliquerint iam; alijs quod egrediantur.

2. Prius illud vno aut altero argumento eſt clarum: poſterius poteſt innoteſcere pluribus. Obtentæ libertatis hoc vnũ argumentũ eſt, ſi nullum eorum, de quibus cap. 22. 23. 24. &c. egimus, ſignorum latentes Spiritus prodat: nullam etiam mortales ſentiant, aut experiantur moleſtiam, ſiue cruciatum alterum eſt, ſi qui Obſeſsi fuerũt, ſignificent ſe libertati eſſe reſtitutos.

3. Quamuis enim aliquando in hominibus poſsint latere Spiritus, & moleſti non eſſe, quemadmodum doctũ eſt prima Diſput. parte; vt tamen nullas moleſtias pariant, vel nullo ſe ſigno inſinuent; aut non contingit, aut contingit rariſsimè. Ille, cuius aliquoties mentionem fecimus, quem expulit B. Germanus, Pariſiorum Epiſcop. non ita moleſtus erat puellæ; quam obſidebat: ſed tamen hoc ipſo ſe inſinuabat, & proditus eſt; quòd vſu membrorũ Obſeſſam priuaret, ſi quando ad templum illa properaret. Sic qui Obſeſsi fuerunt, poſt adhibitos Exorciſmos & alia Chriſtianę religionis, qui-

Digitized by Google

bus contra Dæmones pugnatur, arma, ſi ſe ſignificent liberatos, de libertate ipſorum non temerè præſumitur.

4. Sed *Signa, quibus Dæmones diſceſſum ſuum prodant*, inquiramus. Igitur *duplicia* illa ſunt. Quædam ab Exorciſtis coacti dant Spiritus: quædam vltro dant non coacti. Siquidem aliquando Chriſtianorum adiurationibus iubentur diſceſſum ſuum, editis ſignis, prodere: aliquando diſcedentes, vltrò, poſt ſe diſceſſus ſigna relinquunt. In priori genere ſunt luminis extinctio, vitri alicuius ruptio, aut quid ſimile: in poſteriori alia atque alia.

5. Eſt verò inter duplicia hæc ſigna plurimum diſcriminis. Quæ coacti dant; pro imperantium imperio eduntur. Quæ ſponte: pro voluntate ipſorum Spirituum. Rurſus, in prioribus plerumque nihil eſt, quod reprehendas: in poſterioribus ſemper aliquid, quod meritò diſpliceat, Priora item ſæpe ſolius Dæmonis perficiuntur opera; extra ipſos Obſeſſos: poſteriora quamuis Dæmonum ſint opera: ſæpe tamen in, vel per ipſos Obſeſſos fiunt. De poſterioribus hic nobis maximè eſt ſermo.

6. Et quæ illa? Plurima ſunt, & admodum varia. Nec mirum. A libera, & quæ variorum & plurimorum effectuum cauſa eſſe poteſt, proficiſcuntur voluntate. Sed tamen ex multis quædam nobis, quę ex rerum geſtarum Hiſtorijs collegimus, ſunt recenſenda.

7. Primum ſit, *ipſorum Spirituum confeſſio.* Hac ſuum egreſſum indicarunt illi, quorum S. Euangeliſta Marc. cap. 1. meminit. cùm enim neceſsitas exeundi, & ſua domicilia, quæ poſſederant, relinquendi ipſos vrgeret, in hanc vocem eruperunt: *Quid nobis, & tibi, Ieſu Nazarene? veniſti ante tempus perdere nos.* Et ille, quem S. Cyriacus ex filia Diocletiani Imperatoris expulit. *Iam quidem,* inquiebat impoſtor, *diſcedam: ſed efficiam, vt cum difficultate in Perſidem venias.* Ita in Vita Cyriaci, apud Sur. Tom. 4.

8. Secundum eſt *animalculorum quorundam ab Obſeſſis diſceſſus:* In quorum genere præcipuè ſunt muſcæ, aranei, formicæ, & huius ſimilia. De Petro quodam Cauponis filio legitur, in Vita Theodori Archimandritæ: quòd cum ipſum à Dæmonis tyrannide vir ſanctus liberaret, Dæmon viſus ſit diſcedere, in ſpecie nigræ formicæ. De Magnofledini cuiuſdam filia ſcribit Fortunatus, in Vita ſancti Germani, cap. vigeſimoſeptimo; quòd ab illa, ad Imperium S. Germani, Spiritus malus exierit in ſpecie muſcæ.

Huc refero auiculam, quæ ſupra caput cuiuſdam Diaconi viſa eſt, mox, vbi eundem ab obſidente Spiritu liberauit. dem Germanus Pariſiorum Epiſcopus, teſte eodem Fortunato, Pictauorũ Epiſ-

copo,

Digitized by Google

cepo, cap. quinquageſimoſecundo, eius Vitæ. Refero quoque Draconem ſeptuaginta cubitorum; in quem mutatus eſt Dæmon, quem Paulus Simplex ab adoleſcente eiecit. Hiſtoriam ad longum refert Palladius Sect. 25. in Vita Pauli Simplicis.

Tertium ſit, *ingentes clamores, vociferationes, atque belluarum voces.* Cum clamore valido egreſſus eſt, quem; Marci primo, eiecit Dominus (quamquam, cum clamore, torturam grauem attulerit Obſeſſo): quemadmodum & ille, qui Marci nono expellitur: & plurimi, quorum Actuum octauo meminit ſanctus Lucas. Item alius, cuius in Vita ſancti Macarij fit mentio, qui & cum clamore coniunxit cruciatum. apud Metaphraſt. 7. Februarij. 9.

Cum eodem clamore egreſſum ſuum prodiderunt, qui ſe gemino incendio torqueri dicebant; quando S. Genoueſa Turonum ingrediebatur, viſitatura Reliquias ſancti Martini apud Surium 1. Ianuarij. Et illi, qui à ſancto Parthenio eijciendi, cùm petijſſent, quò diuerterent, audierunt, ſe, Parthenium ingrederentur. Magnis enim clamoribus editis, diſparuerunt, teſte Metaphraſte, ſeptimo Februarij. Sic magnos clamores cum corporis Obſeſsi colliſione edidit, quem Theodorus Archimandrita expulit, de quo Theſi 8. huius Capitis.

At beluarum voces, hoc eſt, vlulatum, rugitum, ſibilum, &c. in ſuo egreſſu, reddiderunt illi, qui ad Reliquias ſancti Lithorij, Cenomanenſis Epiſcopi fugêre, coacti ſunt. de quibus Surius, Tom 4. fol. 338. Illi quoque, quos ad ſepulchra Eliſæi, Ioannis Baptiſtæ, atque Abdiæ rugire conſueuiſſe, docet B. Hiero. Epiſt. 27. ad Euſtachium, de Vita Paulæ.

Quartum ſignum eſt, *deformitatis per Diabolum allatæ ceſſatio.* Hoc deprehenſum eſt, ab obſidente Dæmone liberatum eſſe puerum, qui in modũ vtris inflatus erat. Cùm enim pro hoc ſanctus Macarius oraſſet: maxima copia aquæ ex Obſeſsi corpore defluxit, tumorq; omnis reſedit, & expulſo Spiritu maligno priſtina incolumitas redijt. Metaphraſtes 7. Febr. 10.

Quinti ſigni loco ſit *vomitus*, cum quo Spiritus egreſsi leguntur haud raro. Propinauerat cuidam Obſeſſo puero ſanctus Bernardus aquam benedictam: & mox poſt hauſtum egreſſus eſt Spiritus cum ingenti vomitu. Ita in Vita Bernardi, libro ſecundo, cap. tertio. Sic quem beatus Dominicus eiecit, magnam vim carbonum, euomuit. In Dominici Vita, libro ſecundo, cap. nono, apud Surium, Tomo 3. 11.

Cum vomitu *ſanguinem* coniungo: quem præter iam dictum, per

nares abundantem, vnà cum muſca eiecit puella à S. Germano curata, de qua Theſi 8. huius Capitis. & Energumenus, de quo Gregorius Turonenſis, libr. 2. Miracul. cap. 44.

Coniungo *ſaniem*, quæ egreſſa eſt ex ore mulieris, quam à Dæmonis vexatione S. Huber. liberauit. de qua Surius Tom. 6. in Vita Huber.

12. Sextum ſignum ſit *fœtor grauis*, quem nunc exhalant Obſeſsi, núc poſt ſe relinquunt. Hic prodidit diſceſſum Dæmonis ex puella Toloſana; quæ ad S. Benedictum primùm à parentibus adducta, ab eodem deinde Rhemos, in Galliam, ad S. Remigium miſſa eſt, de qua Hincmarus, in Vita Remigij, quòd ingentem poſt ſe fœtorem reliquerit, quàm primùm eandem Diabolus reliquit. Cum ſimili fœtore diſceſsit Spiritus; quem S. Svvibertus, ex quodam Edelhero, in villa Velſenberg, profligauit. de quo cap. 20. Marcellinus in Vita eiuſdem. Et inter triginta ſeptem, qui vno eodemq; tempore ad Reliquias S. Maximini ſunt curati, mulier fuit; quæ 47. annis Spiritum obſidentem perpeſſa erat: quam poſtquam ille reliquit, ſulphureo odore templum reſperſit, teſte S. Lupo in Vita Maximini. Simili ſulphureo fœtore aerem infecit, quem S. Columbanus imperio ſuo expulit, cùm Pariſeos, Clotharium Regem inuiſurus, eſſet ingreſſus. ita Ionas cap. 27. in eius Vita.

13. Septimum indicium diſceſſus Spirituum immundorum, eſt *inſolitus tumor in Obſeſſorum corpore, maximè illa parte qua egredi volũt*. Hoc agnouerunt diſceſſum ſuum moliri illum, quem B. Catarina Senenſis eiecit. Recedente ſiquidem tumore, quem in Obſeſsi gutture excitauerat; obſeruata eſt mox integra ſanitas Obſeſſo reſtituta. Vide Raimundum in Catarinæ Vita.

14. Octauum argumentum eſt, *membrorum diſruptio*, & vehemens cruciatus. Hoc in illo fuit, cuius S. Marc. meminit, Dæmonio. Cùm enim iuberetur à Domino exire, hominem diſcerpſit; &, magna voce edita, diſceſsit, Marc. 1. Et Spiritus, qui per ſolùm Triphonem ex Diocletiani filia ſe eijci poſſe dixerat, poſtquam puellam multum diſcrutiaſſet, egreſſus eſt, teſte Metaphr. 1. Febr. Sic cum ingenti corporis membrorumq; omnium diſtractione diſceſsit, cui S. Dominicus imperauit exire ex muliere, quæ Romæ ipſius interturbabat concionem, quemquam hæc ſimul & multum ſanguinis, & magnam carbonum euomuerit copiam; vt lib. 2. cap. 9. Vitæ eiuſdem docetur. Ille item, qui coactus eſt cedere S. Columbano, de quo ſuperiùs Theſ. 12. huius Capitis.

Nonum ſignum ſit *Obſeſſorum in terram deiectio, & alliſio*. Cum hoc ſani-

ſanitatem conſecuta eſt Principis cuiuſdam filia, per Theodorum Archimand. Cùm enim vir ſanctus importunius Dæmoné vrgeret: miſeram ille terræ alliſit, & magna voce edita diſceſsit, ita Georgius presbyter in Vita Theodori. Similiter in terram proſtrauit hominem, quem Simon Salus, alapa inflicta, curauit: de quo Leontius Epiſcopus Neapoleos in Vita Simonis. Illa quoque, quæ poſt hauſtam aquam benedictam, quam S. Maltouius propinauerat, curata mox fuit, in terrā primùm corruit, teſte Sigeberto, in eius Vita. Et cui S. Nicetius Treuirenſis Epiſcopus, Crucem oppoſuit, primùm in terram dilapſus eſt, poſt ſanus ſurrexit. Vide Theſ. vltimam, cap. 25.

Decimum ſignum ſit. *Imago mortis*: Neque enim rarò obſeruatur eos, à quibus Dæmones eiecti ſunt, veluti mortuos concidere, & à mortuis vix differre. Exemplum huius præbet S. Marcus ca. 9. Euangelicæ hiſtoriæ. *Comminatus eſt*, inquit, *Dominus Spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, Exi ab homine: & amplius ne introeas in eum. Et exclamās, & multū diſcerpēs eum, exijt ab eo: & factus eſt ſicut mortuus. Et multi dicebant, quia mortuus eſt.* Hæc Marcus. Præbet aliud huius exemplum Surius Tom. 6 in Vita S. Huberti, Epiſcopi Leodienſis. Nam quam hic ab infeſtante Dæmone eripuit; eandem ſemimortuam Dæmon reliquit. 16.

Denique vndecimum ſignum ſit, *magni tumultus, & cum tumultibus damna* aliquādo mortalibus allata in fortunę bonis. Refert Palladius, Sect 71. in Vita Abbatis Poſsidonij, à muliere grauida eiectum eſſe immundum Spiritum, *qui egrediens diruerit à fundamento totum aulæ parietem.* 17.

Hæc ſigna. Duo verò vel tria his adijcienda ſunt. Primùm eſt, non credendum eſſe, vt quemadmodum nos dicta ſigna diſtinximus, & in certas claſſes coniecimus, ita ipſa ſemper diſtincta inueniri. Quoniam quamuis quædam per ſe inueniantur ſola, nihil tamen prohibet, multa (quid quod omnia?) aliquando obſeruari, quæ vnius Spiritus diſceſſum teſtentur. Hoc & exempla pleraque à nobis allata teſtantur; & quotidiana confirmat experientia. 18.

Alterum eſt, non certum omnino atque infallibile ex his ſignis datis, diſceſſus Dæmonum argumentum accipi. Sicuti pro voluntate ſua Spiritus hæc poſt ſe ſigna relinquunt; ita eadem poſſunt dare, & nihilominus in hominibus, quos aliquandiu obſederunt, ſedes ſuas retinere. Et de hoc nullum apud doctos dubium eſt. 19.

Tertium eſt, nec neceſſariò ſigna hæc cum Spirituū diſceſſu coniuncta eſſe; adeò, vt ex humanis corporibus migrare valeat nullus, 20.

quin

quin ſimul editis ſignis diſceſſum ſuum teſtetur. Sæpenumero ipſa cum Dæmonum diſceſſu coniuncta ſunt, ſed nihilominus fieri poteſt, adeoque fit non rarò, vt diſcedant; nullis ſui diſceſſus poſt ſe da-
21. tis ſignis.

Nec hæc mira cuiquam videri debent, quia pleraque ſignorum dictorum à libera ipſorum Spirituum pendent voluntate; non illa tantùm, vt quemadmodum hæc, ita alia reddere valeant; verùm etiam ea, vt omittere omnino poſsint. Ad ſigna hæc edenda, plena eſt ijs libertas, vt in ſcholis loquimur; & quo ad *ſpectationem* & quo ad *actus exercitium.*

Hinc eſt, vt multoties eiectos legamus Spiritus, de quibus, quòd ex humanis corporibus diſceſſerint nullis, in egreſſu, datis ſignis conſtare potuit. qualis ſunt eiecti à Triphone Phrygienſi, Berthulpho Abbate Bobienſi, Bernardo Clareuallenſi, Germano item Epiſcopo Antiſiodorenſi, alijſque quam plurimis; quorum frequens in hac Diſputatione facta eſt mentio.

CAPVT LIII.

Explicantur rationes & cauſæ ſignorum diſceſſus, quæ ex humanis corporibus eiecti Spiritus edere ſolent.

IN cauſis rationibuſque Signorum, quæ Spiritus Nequam ex hominibus egreſſuri edere ſolent, inueſtigãdis, vel quæ-
31. ri poteſt, *Cur Spiritus plerunq; non egrediantur, niſi ſignis ſui diſceſſus relictis*; vel non hoc ſolùm, verùm etiam, *Cur hæc atque illa ſigna relinquãt.* Quemadmodum enim rerum omnium aliæ poſſunt eſſe rationes cur operentur; aliæ cur hoc vel illud operentur: ita aliæ poſſunt eſſe cauſæ atq; rationes; cur ſigna in ſuo diſceſſu Spiritus immundi edant; aliæ cur hæc atque alia edant.

Vtriuſque vero rationes & cauſæ nobis explicandæ ſunt; tum vt abſolutior ſit Diſputatio: tum quia vtrobique ſunt, quæ non inutilem habent inueſtigationem. A prioribus initium ſumemus.

Cur igitur *Signis quibuſdam* ſuum diſceſſum produnt Dæmones? Reſpondeo breuiſsimè; *partim quia prodere coguntur: partim quia vltro prodere volunt.* Quod dicimus ex diſtinctione ſignorum, præcedenti Capite data, manifeſtum eſt. quædam enim ipſis ab Exorciſtis im-
11 perantur; quædam ipſi vltro, nec rogati, nec coacti, dant. In prioribus illis coguntur; in poſterioribus his liberrima eſt voluntas, quæ ſignorum eſt cauſa.

Digitized by Google

Sed, *Itane in prioribus coguntur, vt illa edere prorſus ſit neceſſe?* Si non ſemper, profectò, vt plurimum coguntur. Quemadmodum enim vi Exorciſmorum, atq; imperio Sanctorum hominum, vſu etiam conſecratarum rerum illis neceſsitas imponitur, vt domicilia ſua relinquant inuiti; ita vt diſceſſus ſui ſigna dent & argumenta.

Rurſus, *Siccine libera ſunt poſteriora, vt omittere ſi vellent,* 5.
poſſent? Poſſunt. Neq; enim liberè illa ab ipſorum voluntate proficiſcerentur; niſi penes ipſos eſſet eadem intermittere. Quæ liberè dant; liberè poſſunt non dare: liberè poſſunt intermittere.

Cæterùm *alterum*, hoc eſt, Cauſas atque rationes inueſtigemus, 6.
cur hæc potius, quàm illa ſui diſceſſus dent ſymbola. Et hic nobis prior diſtinctio ſignorum ſeruire debet. Siquidem aliæ locum habent in prioribus illis, aliæ in poſterioribus. Quid mirum? Nam priora pro hominum redduntur imperio & voluntate; poſteriora pro beneplacito Dæmonum. Poſſunt autem aliæ rationes & cauſæ homines mouere, cur hæc vel illa poſtulent: aliæ Dæmones; cur hæc vel illa relinquant.

Et quæ cauſæ ſignorum, quæ ab hominibus petuntur? Propemo- 7.
dum ſemper vna eademq;: & quidem illa ipſa, quæ diſceſſus Spirituum ſit argumentum. Neque enim aliud omnibus, quæcunque & qualiacunque homines petunt, indicijs propoſitum eſt, quàm vt de Spirituum exitu ſint certi. quocirca hic eadem cauſa *ſignorum*, & *talium* atque *talium* ſignorum.

Quæ vero rationes Signorum, quæ pro ſua voluntate aut certè 8.
non ab hominibus coacti, Dæmones relinquunt? Reſpondeo *ſemper ſibi conuenientiſſima dare,* quæcunque tandem dent. quemadmodum mali corui, malum ouum. quamuis aliæ atque aliæ rationes & cauſæ in alijs, atque alijs Signis ſint ipſis propoſitæ. Obſcurius hoc. Explicandum ergo.

Varia ſuperius docuimus eſſe ſigna, quibus egreſſuri Dæmones 9.
diſceſſum ſuum teſtantur. Sed tamen omnia propemodum ad *quatuor genera* reuocantur. Alia dici poſſunt *crudelia*: alia *ſordida*: alia *barbara*: alia *Leuia*. *Crudelia* ſunt, diſruptio membrorum, internus viſcerum dolor, corporum in terram diſiectio, & plurima mortis imago. *Sordida*, vomitus, tam per os, quam per nares, egeſtio ſordium, fœtor ſulphureus, odor grauis. *Barbara*, rugitus, boatus, inconditi clamores, aliæq; belluarum voces. *Leuia*, formæ quorundam animalium abiectorum.

Et hæc quidem omnia, vt diximus, Dæmonibus optimè conue- 10.

Digitized by Google

niunt. *Crudelia*, tanquam homicidis. quo nomine ipſos Dominus compellat, Ioannis, ca. 8. *Sordida*, tanquam Spiritibus immundis. quod nomen iiſdem idem Dominus tribuit; Lucæ 11. *Barbara*, tanquam Leonibus, quibus D. Petrus ipſos confert; cap. 4. *Leuia*, tanquam abiectis Dei hoſtibus, quorum pro ratione ſuorum peccatorum, miſerrima eſt conditio.

11. Sed tamen in ſingulis propemodum aliud atque aliud propoſitum videtur Spiritibus. *Crudelia* igitur ſtatuunt ex odio, quo flagrant erga miſeros mortales, nocendiq; libidine, quæ ipſos nunquam deſerit. Quemadmodum enim hæc omnium miſeriarum atq; moleſtiarum, quas obſeſsis hominibus afferunt, ſunt cauſa; ita efficiunt, vt ab hominibus diſcedentes, quam poſſunt, & permittuntur, exerceant crudelitatem.

12. *Sordida* relinquunt, vel ad præſentes vexandos; vel in deteſtationem rerum ſacrarum, quarum in ipſorum eiectione eſt vſus. Neque enim tantùm ijs cupiũt eſſe graues, in quibus ſuas ſedes habent: cupiunt eſſe quibuſcunque; quibus eorum ex mortalibus proſcriptio eſt grata. quocirca cùm præſentibus alia ratione aliquando nequeant, fœtore excitato ipſis ſunt moleſti. Sic quia Aqua benedicta ipſis aliquando porrigitur, ſuo vomitu, quàm hanc deteſtentur,

13. declarant.

Barbara ferocientis & belluini animi erga mortales ſunt argumenta: *ſimulq;* quam ægrè eoſdem relinquant, his volunt eſſe teſtatum. Quemadmodum enim eadem aliquando ab hominibus non bene ſanis, quamuis non Obſeſsis, ob eoſdem fines dantur, ita dari

14. ob eoſdem à Dæmonibus, admodum eſt veriſimile.

Leuia, ni fallimur, in ipſis Dęmonibus cauſas, vt plurimũ, nó habent: nec tam ipſa vltro dare videntur Spiritus; quàm aliunde, vt dent, cogi. Huius non leue argumentũ illud eſt; quòd ad formam dictorum animalium, quibus diſceſſum ſuum teſtentur, cogi videantur. Quocirca in his, non quid Spiritibus, quàm illi, qui hæc animalia imperat, propoſitum eſt, attendendum.

CAPVT LIV.

Qua via egrediantur Dæmones, quando humana corpora relinquunt.

1. QVæ Ca. 9. dicta ſunt de Via, quam Spiritus tenent in ſuo, in miſeros mortales, ingreſſu; eadem nobis ſeruiunt hoc loco, vt doceamus, quam ſeruent in egreſſu. Veriſimile eſt,

eſt, quod aut ſemper, aut plerunque eandem teneant, & quando ingrediuntur, & quando egrediuntur.

Quocirca primum hoc conſtitutum ſit, *certam determinatamq́;* illis nullam eſſe, ad nullam ita eſſe aſtrictos, vt illam deſerere nequeant; & aliam quamcunque in egreſſu tenere nõ valeant. Quemadmodum quicunque hominis meatus, atque porus ipſis patentiſſima eſt porta ad ingrediendum; ita ad egrediendum. Quid, quod aut meatibus, aut poris nullis egeant? poſſunt ipſa penetrare corpora? 2.

Si corporibus inſtructi eſſent Spiritus; poris indigerent, aut, meatibus: ſi non magnis, ſaltem aliquantis; per quos ſe in corpora inſinuarent: at quia corporum expertes ſunt; tam facilè loca peruadũt, quæ corporibus etiam ſolidiſsimis ſunt referta; quàm quæ corporibus ſunt deſtituta. 3.

Poſſunt igitur per os hominis egredi: poſſunt per nares; per aures, reliquoſque meatus & poros. Poſſunt per quemcunque hominis partem. Et de prioribus illis difficultas nulla eſt; pro poſteriori ſeruit nobis Theodorus Archimandrita: qui cùm obſeruaſſet Dæmonem in brachio Oſtiarij ſui Eutychij latere: non ad os; aut aliũ aliquem meatum, illum cõpulit: quin imò ne ad caput aliam ve partem, vbi facilior videtur eſſe egreſſus, perueniret; oppoſito humeris Crucis ſigno prohibuit; coegitque in brachio ſibi viam, qua exiret, quærere: quemadmodum & quæſiuit, & inuenit. Sic de Miraculis S. Martini refert Gregorius Turon. quòd cum obſeruatum eſſet, in vngulam pollicis cuiuſdam Energumeni deſcendiſſe Dæmonium, digito infuſum eſſe oleum de ſepulchro Martini ſumptum, & diſrupta cute, vnà cum ſanguine diſceſſiſſe Dæmonium. Ita Turo. cap. 9. de Gloria Confeſſ. 4.

Nihilominus qui multas habere, & tenere poſſunt in ſuo, ex humanis corporibus, egreſſu vias; *duas* videntur præcipuas obſeruare; quarum licet altera ipſis tanquam immundis Spiritibus ſit conuenientior: altera tamen magis vſitata. 5.

Prior illis Spiritibus fuiſſe videtur; qui, fœtore graui poſt ſe relicto, ſua habitacula deſeruerunt, quorum plures recenſuimus Cap. 52. & diſertè teſtatur Gregorius Turonenſis, de Gloria Confeſſorũ, c. 9. oleo; quod de S. Martini ſepulchro deſumptum fuit, vnctũ eſſe caput Energumeni cuiuſdam, *& ſubitò Dæmonem per fluxum ventris egreſſum eſſe.* Poſterior fuit alijs quam plurimis; ſed inprimis triplicibus; *Primùm* ijs, qui diſceſſus ſui ſigna in ore Obſeſsi dederunt, exhibitis animalculis; formicis, muſcis, araneis. *Deinde* ijs, qui eundem 6.

Digitized by Google

dem ſuum diſceſſum prodiderunt, tumore gutturis aut colli ipſorum Obſeſſorum. *Tertiò* ijs, qui cum vomitu turpi & fœdo diſceſſerunt. Et horum exempla eodem cap. 52, data fuerunt.

7. Probabilia ſunt hæc, quæ diximus; veruntamen non ita certa, vt contrarium aſſerere temerarium ſit, quin poſſunt & poſteriores hi, in Obſeſſorũ ore, aut circa os diſceſſus ſui ſigna dare, & alia via egredi: Et poſſunt priores fœtorem poſt ſe relinquere, & per os euolare, Sed, vt diximus, probabilitatis ſpeciem habent, quæ aſſerimus; non veritatis neceſsitatem.

CAPVT LV.

An omnes ſimul egrediantur, ſi quando multi fuerunt; qui vnum aliquem hominem obſederunt, & exire coguntur.

1. PRioris Capitis quæſtio curioſior fortaſsis fuit, hæc vtilior videtur. Nam cum conſtet plures quandoque in vno homine eſſe, ſi ſimul non omnes diſcedunt adiurati, intelligũt facilè Exorciſtæ nondum integram ſe victoriam obtinere de hoſte: quando de aliquorum diſceſſu magna manifeſtaque habent indicia: ſed vlterius ſibi eſſe progrediendum; nec ceſſandum, donec poſtremum eiecerint, ſi perfectam ſanitatem, & incolumitatem afflictis mortalibus velint eſſe reſtitutam.

2. Niſi fortè dicere velimus eam vim virtutemque eſſe machinarum, quibus domicilijs ſuis eijciuntur Spiritus; vt quamuis ipſi per ſe poſsint, & velint diſcedere nunc ſimul; nunc hi ſine illis: tamen tum ipſis neceſsitas incumbat ſimul diſcedere; quando his machinis petuntur. Sed quis hoc aſſeruerit?

Quid igitur ad propoſitam Quæſtionem? Hoc videlicet: *Nec ſemper ſimul egredi Spiritus*, quando per ſe egrediuntur, non coacti, aut ſaltem leuiter tentati: *Nec ſemper ſimul egredi*, quando grauioribus etiam tormentis vrgentur.

4. Prius illud clarum eſt ex ipſorum Spiritũum conditione. Liberrima hæc eſt, Non vnus ab alio pendet; aut vt ſit, aut vt operetur. Poteſt quiſque per ſe eſſe. Poteſt quiſque per ſe operari. Poteſt igitur hic voluntate ſua hominem, quem obſidet, relinquere, quamuis ab eiuſdem vexatione alter nolit deſiſtere.

5. Præterea in diſceſſu Spirituum ab hominibus, alia non eſt, quàm in

Digitized by Google

in eoſdem ingreſſu ratio. At neceſſe non eſt, vt omnes *ſimul* ingrediantur. Poteſt vnus alterum in ſocietatem aſciſcere, poteſt in domicilium recipere, quemadmodum haud obſcurè Dominus inſinuat, Matth. *12*. Poſſunt igitur & hi à mortalibus diſcedere; & illi in ijſdẽ cum eorundem moleſtia, perſeuerare.

Quod ſi vires Spirituum attendamus, hinc quoque conſtabit rationi admodum eſſe conſentaneum, quod dicimus. Non illæ æquales ſunt omnium. quidam alijs ſunt robuſtiores. Quocirca & hi inferiores, etiam inuitos ſuis ſedibus poſſunt pellere, & quamuis id non faciant, (Lucæ 11.) poſſunt tamen facere. 6.

Certum quoque eſt, vnum pro alterius imperio & voluntate cedere. Plura eius rei argumenta nos capite decimo ſexto attulimus. Si verò cedunt pro voluntate atque imperio eius, qui extra Obſeſſum eſt, quid prohibet, cur minus vnus alteri cedat pro voluntate aliquorum, qui vnum aliquem hominem ſimul poſsident? 7.

Cæterùm, *Vtrum, cùm Exorciſmis, aut alijs (quibus Chriſtiani contra ipſos pugnant) armis tentantur, ſimul omnes diſcedant*, forſitan aliquis dubitauerit: propterea, quòd quandocunque (ni fallimur) legimus ipſos per Sãctos homines eſſe eiectos; omnes ſimul eiectos legamus. Sed tamen nec hîc neceſſe eſt confiteamur, omnes cogi, vt *ſimul* diſcedant. 8.

Huius *prima ratio* ex Dæmonum inæquali in homines poteſtate accipitur. Cùm enim in vno eodemque plures eſſe poſsint, quorum non æqualis eſt in Obſeſſum poteſtas: potuerunt eijci, qui minorem habent poteſtatem; & ſedes ſuas retinere, qui habent maiorem. 9.

Altera ex machinis, quibus expugnantur expellendi: ſumitur. Neque enim omnes omnibus ſeruiunt. Etiam Chriſti Apoſtolorumque ætate pro quibuſdam exigendis ſeruiebat *Ieſu* inuocatum nomen; pro alijs illud vires non habebat: quemadmodum docet Lunaticus, cuius aliquoties meminimus. Quid ſi igitur *Ieſu* nomen adhibeatur quibuſdam; non verò, quæ Dominus docet requiri, Ieiunium atque Oratio? Et tamen poſſunt vtriuſque generis quidam in hominibus latere. Nónne igitur hi ſedes ſuas mutabunt; illi eaſdẽ retinebunt. 10.

Tertiam Exorciſtarum conditio ſuppeditat. Multa in ipſis neceſſaria eſſe, diximus cap. trigeſimo octauo, ſi ſuo officio bene fungi velint. At quædam horum ipſis poſſunt deeſſe: quædam quamuis adſint, poſſunt reddi perfectiora: quædam quamuis perfecta ſint, neceſſe eſt reperi, ſi optatos effectus obtineri debent. Fieri igitur 11.

 poteſt,

poteſt, vt Exorciſmis vel leuiter tentati, vel ſemel tentati, quidam fugam capeſſant: alij non niſi ijſdem identidem repetitis diſcedant.

12. Hæc omnia confirmat experientia, noſtra ætate obſeruata. Neque enim rarò notatum eſt quoſdam Spiritus, relictis poſt ſe certis indicijs, diſceſsiſſe; quoſdam ſedes ſuas in ijſdem hominibus retinuiſſe; qui & ipſi poſtmodum grauioribus machinis tentati, datis ſignis, egreſsi ſunt. Taceo confeſsionem Dęmonum, qui huic rei fidem quandoque fecerunt.

13. Quæ cùm ita ſint, non malè faciunt Exorciſtę, quando, cum Dęmonibus congreſſuri, primùm ſciſcitantur, *Quotnam* ipſorum ſint, qui miſerum hominem affligant; quiq; ſingulorum, vel certè præcipuorum capitum nomina exquirunt; nec exorciſandi finem faciunt priùs, quàm victoria de ſingulis ſit parta. Sic enim plena ſua mortalibus reſtituitur libertas. Sic omnis Dæmonum ceſſat vexatio. Sic non inanis eorum intelligitur fuiſſe labor, & defatigatio.

14. Verumenimuerò, quamuis non ſemper *neceſſe ſit ſimul* omnes egredi, quando Chriſtianę religionis, ſibi contrarijs, armis vrgentur; *vt plurimùm* tamen ſimul egredi ex *tribus* videmur colligere. *Primum* ex illo, quòd Sanctos homines, de quorum Dæmonomachia Annales extant, vel vno Exorciſmo, vel alia aliqua ratione vſos legamus, in quorumcunq; Dęmoniacorum curatione. *Alterum* eſt, quòd vel nunquam, vel rariſsimè legamus vnum aliquem, aut alterum eiectum ab aliquo homine fuiſſe, & interim in eodem, alios aliquos hæſiſſe. *Tertium*, quòd machinæ, quibus Dæmones tentantur, omnes ipſis ſint exoſæ: & ob id ſi vnum aliquem in fugam conuertant, veriſimile ſit in fugam conuerti omnes.

CAPVT LVI.

Quò tendant Spiritus Dæmoniorum ab hominibus eiecti.

1. VARIA ſunt loca, ad quæ immundi Spiritus, domicilia ſua relinquentes, ſolent diuertere, *ſed præcipuè ſex*, ni fallimur. Et ad horum quædam inuiti proficiſcuntur: ad quædam libenter: ad quædam libentiùs: ad quædam libentiſsimè.

2. Primum omnium ſunt *humana corpora*. Neque enim aut impoſſibil

ſibile eſt, aut nouum, quòd ex vno egreſsi, aliud ingrediantur. Qui Artemiam Diocletiani Imperatoris filiam obſidebat, à S. Cyriaco Diacono expulſus, mox in Perſidem tranſuolauit; ibique Iobiam, Saporis Perſarum Imperatoris filiá ingreſſus, magna ſummæ crudelitatis dedit argumenta: quemadmodum conſtat in vita Cyriaci, apud Surium Tomo 4. Et qui noſtris temporibus eijciuntur, ſæpiſsimè, vt alios ingredi liceat, efflagitant.

Sunt ſecundo loco *beſtiæ atq; pecudes* humanis vſibus ſeruientes. Exemplum huius præbet grex porcorum; in quos integra legio expulſorum Spirituum permiſſa eſt ingredi: qui deinde magno impetu facto, cum dominorum ſuorum damno gregem in mare egerunt præcipitem. de quibus Matth. 8. 3.

Sunt tertio, *loca culta*, hominum vſibus apta, atque ab ijs inhabitata. Nam quemadmodum dubium non eſt quoſdam inter mortales, cum voluptate conuerſari, atque etiam aliquos ingredi: ita credi poteſt quoſdam ex hominibus egreſſos, hominum ſocietatem quærere. Seruit hic eadem Dæmonum legio; quæ rogabat *ne extra regionem, in qua verſabatur, mitteretur*. Sed & de locis infeſtis Diſputatio plurima hîc exempla ſuppeditat. 4.

Quartus locus eſt *ſuperior aër*, quibuſdam vſque ad diem ſupremi iudicij, à Deo Opt. Max. ad homines exercendos deſtinatus. Quemadmodum ex hoc plerique, Dei permiſſu, homines ingrediuntur: ita ex hominibus eiecti, ad hunc, quaſi ſibi deputatum & proprium locum, reuertuntur. 5.

Quintus locus eſt *ſolitudo ſiue deſertum*. Hîc ſedem ſuam habuit Dæmonium, quod mortem attulit viris, qui Saræ concubitum expetebant. de quo Tobiæ 8. Capite. Et de hoc loco plura in illa de Locis infeſtis Diſputatione. 6.

Sextus denique locus eſt *infernus*, quem Dominus dixit *paratum Diabolo, & Angelis eius*. Matth. 25. Ad hunc ne mitterentur rogabant illi, qui *abyſſum* deprecabantur, Matt. 8. Quamuis enim, vt bene notat Ianſenius, cap. 31. Concordiæ Euangelicæ, *Abyſſus* propriè ſignificet aquarum profunditatem; accipitur tamen quandoque (maximè in nouo Teſtamento) pro Inferno; propterea, quod ſub terra ſit; mortuos damnatos ita abſorbens, vt emergere illinc non poſſint. Sic ad Rom. 10. accipitur, & Apoc. 9. 11. 17. 20. 7.

Magna autem & multiplex eſt inter hæc loca *differentia*: Sed cuius hîc habenda ratio; illa ex voluptate & difficultate, quam eiecti ex hominibus Spiritus his habent, nobis diſcutienda eſt. 8.

Ad *prima* igitur illa loca libentiſsimè diuertunt, verſipelles. 9.

Nul-

Nullubi maiorem, quàm his voluptatem percipiunt. Nec mirum, quia, quod, Nequam intendunt, hic aſſequuntur facilè,hominum ſcilicet malum: quod partim corporibus afferunt, partim animabus; quando ſedes ſuas in hominibus habent.

10. In hoc verò domicilij genere, impios ſiue malos homines præ bonis expetere videntur. niſi fortè illa impiorum ſit conditio; vt prorſus deſperatæ ſint ſalutis. Quamuis enim vtriſque incommodare deſiderent;hos tamen præferunt.:quòd intelligant hic ſe,cum maiori ſuo emolumento,& horum detrimento verſari:cùm his ad gratiam reditum videantur præcludere; bonis maiorem & gloriæ & gratię ſua tortura præbere ſegetem.

11. Poſt humana corpora, reliquis locis *beſtias & pecudes*, quæ humanis vſibus ſeruiunt, præferunt: non tam vt beſtijs moleſtiam; quam vt hominibus, quorum beſtiæ ſunt, detrimentum afferant. Vbicunque magis mortalibus poſſunt incommodare, gratior illis eſt reſidentia:quia vt mortalibus incommodent, præcipuę eorum cogitationes. Hinc, quos ex homine eijciebat Dominus, Matth. 8. quia, vt eiecti rurſus in homines mitterentur, ſpem nullam habebant; vt porcos ingredi liceret, precati ſunt, & obtinuerunt.

12. Quod ſi iam dictis locis habitatio negatur; vt *inter homines* ſaltem ipſis eſſe,& verſari liceat petunt. Idẽ iam dicti à Domino eiecti docent. Quam enim aliam ob cauſam, ne *extra regionem mitterentur* rogarunt? Et ijs locis libentiùs verſantur Nequam; vbi nequitiæ ſuæ aliquando argumenta dederunt: & quibus, quòd dare poſsint, ſpes affulget: qualia ſunt, quæ ab hominibus incoluntur.

13. Quid ſi nec inter homines ipſis locus datur? Eligent præ reliquis *vaſtas ſolitudines*. Neque enim ab his ita abhorrent; ſicut ab aere, aut inferno,ipſis per voluntatem Dei,quem oderunt,deſtinatis locis. Crux quædam, atque tormentum ipſis eſt, & aer, & infernus: quamuis maius infernus.

14. Atque vt hæc loca vel expetunt; vel præ alijs eligunt Dæmones, ita præ omnibus abominantur, fugiunt & horrent *Abyſſum*, ſiue *Infernum*. Rex ipſorum confeſsione clara eſt, Matth. 8. Cur verò? An quia in inferno concluſi, viuis incommodare nequeunt? An quia extra infernum ſupplicia nulla ſuſtinent? illa verò mox ſubeunda, vt in infernum relegãtur? An quia maiora & grauiora ipſorum ſupplicia in inferno, quam extra? An quia ſemel in infernum miſsi, nunquam facultatem habent inde redeundi? Cauſas has ſequenti Capite diſcutiemus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LVII.

Cur Diaboli ægerrimè ad Infernum deſcendant.

FInis precedentis Capitis materiam ſuppeditat preſenti. Inquirebantur ibi cauſæ, *cur Abyſſum ſiue Infernum horreant eiecti ex hominibus Dæmones*: & potius quæcunque alia, quàm inferni loca eligant adire. Illæ hoc Capite explicandæ. 1.

2. De *quatuor* verò quæſtio inſtituta fuit: quæ Vtrum omnes; an vna, aut plures locum habeant, quamuis curioſè, fortaſsis tamen cum fructu, diſputatur. Et alijs quidem Dæmones bono aliquo priuari poſſunt videri: vt ſi ideo refugiant; quòd vel libidini ſuæ, qua hominibus nocere cupiunt, nequeant ſatisfacere: vel quia vagandi libertate, neceſsitate carceris infernalis, priuentur: Alijs malo affici; vt ſi reformident infernum, vel ob meritas pœnas, quæ ſunt ſubeundæ: vel ob earundem augmentum, quod ad priores accedit.

3. Et ſunt, qui dictas cauſas omnes volunt valere apud hos Spiritus. Alij non omnes, ſed aliquot; & horum quidam pauciores; quidam plures. Nos quod res eſt paucis Aſſertis definimus.

4. Rectè ſentiunt, qui Dæmones Infernum reformidare, & horrere exiſtimant, *quòd libidini ſuæ in hominibus vexandis ſatisfacere nequeant*. Hoc primùm Aſſertum. Huius ratio manifeſta eſt. quoniam Infernus iiſdem, non vt ibidem noceant; ſed vt, quas meruerunt, pœnas perſoluant, deſtinatus eſt. Quocirca cùm voluptatem ex hominum vexatione haud paruam capiant; eaque priuentur, cùm Inferno concluduntur; non poſſunt non tantùm odiſſe Infernum; quantum, vt hominibus noceant, habent deſiderium, atque voluptatem.

5. Non tamen Inferno concluſis omnis poteſtas, mortales cruciandi ablata eſt. Illa ſolùm eſt ablata; quam in viuos habent. Interim qua in damnatos ſæuire poſſunt, tantùm abeſt, vt ablata ſit: vt tum

primùm atrocius in miſeros ſæuire credi debeat. Neque enim tantùm ad Infernum retruſi ſunt Dęmones, vt patiantur: etiam vt diuinæ iuſtitiæ ſint miniſtri, & damnatorum hominum ſint tortores hæc loca *modò* occupant.

6. Secundò, eos bene ſentire exiſtimamus, qui ob aliquod emolumentum, quo infernali carcere priuantur, eos credunt Infernum horrere. Et quod illud? *Quòd vagandi libertas ipſis ablata ſit.* Dubium nō eſt; quin res creatę omnes ſua, quam habere aptę natę ſunt, libertate gaudeant; & magis atque magis illæ, quæ excellentiora, præ cęteris, naturæ pręſidia obtinuerunt. Res inductione omnium clariſſima eſt. At præ cęteris omnibus naturę dignitate excellunt Spiritus Inprimis igitur libertatis erunt amantiſsimi. Iam verò hac priuantur Spiritus Dęmonum, *Inferni* carceribus concluſi. Non igitur poſſunt non odiſſe eos, & deteſtari.

7. Tertium *Aſſertum* eſto. Errant qui Infernum Dæmonibus horrori eſſe dicunt, quòd *ibidem ſupplicia, quæ iam olim promeruerunt ſint ſuſtinenda*; à quibus extra Infernum conſtituti ſunt liberi. Vbicunque miſeri ſunt; ſunt miſerrimi. In inferno, in aere, in ſolitudinibus, in pecudibus, in hominibus, in ipſo quoque ſi eò redire daretur, cælo. Suum ſemper ſecum cruciantem ignem circumferunt. Hoc quia copioſiùs docet Diſputatio de Locis infeſtis, hîc pluribus proſequi neceſſe non eſt.

8. Hinc perſpicuum eſt, in graui errore verſari eos, qui Dæmonum ſupplicia vſque ad extremum generalis iudicij diem volunt eſſe ſuſpenſa. Quamuis enim in hac olim ſententia fuerunt viri, non parum literati; tamen noſtris temporibus, ſine graui hæreſios periculo, ea ſententia non defenditur. *Hic* omnium iam rectè ſentiētium eſt ſenſus, & conſenſus, mox poſt peccatum à Spiritibus *Nequam* commiſſum, ſua de generibus ſupplicia à Deo fuiſſe decreta; & à miſeris ſubita.

9. Veruntamen (quod quartum ſit *Aſſertum*) quamuis quod ſemel meruerunt ſupplicium, ſemper paſsi ſint, patianturque Dæmones; quocunque etiam loco verſentur: dubium tamen nullum *Inferni carcere cruciatum ipſorum augeri*; & ob hoc pœnarum auctuarium Infernum ipſis odio eſſe.

Acciden-

Accidentalem hanc pœnam vocant Theologi: quemadmodum priorem, quę ipſorum peccatis debetur, *eſſentialem*. Neque enim hęc propriè ipſorum, vt *eſſentialis* illa, peccatis debetur; ſed conditionem miſerorum ſequitur: & inde proficiſcitur, quod Inferno concluſi facultate vagandi priuati ſint, & libidini, qua hominibus nocere cupiunt (quod ipſis graue eſt) nequeant ſatisfacere. Atque hactenus de locis. 10.

CAPVT LVIII.

An voto & deſiderio Dæmonum liceat obtemperare, quando egreſſuri ex hominum corporibus aliquid petunt?

HAbent quandoque, quòd petant egreſſuri Dæmones. Et 1.
vt quotidiana omittamus, id clarum eſt, exemplo aliquot milium; qui à Domino, iam iam eijciendi, leguntur poſtulaſſe, *ne extra Geraſenorum regionem mitterentur: atque vt liceret ingredi in porcos.*

Hinc quæſtio oritur: *An ipſorum deſiderio, ſi quid egreſſuri petant, poſſit fieri ſatis.* Chriſti exemplum ſuadere videtur, vt quandoque poſſit: Contrarium inſinuat nocendi eorum ſummum & indefeſſum ſtudium. 2.

Res, ni fallimur, ſic ſe habet: *Vt ſi iniquum non ſit, quod petunt, petitioni poſſit fieri ſatis: ſin ſecus, non poſſit.* Prius trifariam contigit. Nam vel petunt, ne malum ipſis afferatur: vel ne bono aliquo, quod habent, priuentur: vel vt bonum aliquod de nouo conſequantur. Poſterius duo rerum genera continet; quorum aliæ Dei honorem lædunt, alię proximorum ſaluti officiunt. Diſcutiamus ſingula. A poſtremis incipiamus. 3.

Nunquam Dæmonum petitioni ſatis fieri debet; ſi quod Dei honorem, aut gloriam lædat, poſtulant. Nihil Dei honori præferendum. 4.

rendum. Etiamſi ab homine egreſſuri non putentur Spiritus Nequam, niſi in hac re ipſorum petioni fiat ſatis, petitioni annuendum non eſt.

5. Sic, ſi quid, quod proximorum ſaluti officiat, petant; audiendi non ſunt. Poſt Dei honorem Dei amicitia atque noſtra ſalute nihil poſſumus habere prius. Quocirca ſi ſalutis vnius etiam hominis iactura fieri debeat; quamuis totius mundi incolumitas, & pax, opera Dæmonum, expectetur; Dæmonibus acquieſcendum non eſt.

6. Dum poſtulant, ne nouis malis grauentur, ne ſcilicet in infernum detrudantur miſeri, petitioni acquieſcere poſſunt Exorciſtæ: hoc eſt, poſſunt non in infernum relegare, quos poteſtate ſibi diuinitus data, ſi vellent, relegare valerent. Hoc quid mirum? Si ſine peccato ſunt Exorciſtæ, quando Dæmones ex hominibus obſeſsis non eijciunt, criminis rei erunt, ſi quos eijciunt, non ad inferos remittant.

7. Si rogent, ne bono quod poſsident priuentur; audiri aliquando poſſunt. Chriſti hic nobis ſuffragatur exemplum. Rogabant eum quidam, *ne regione Geraſenorum*, quam quaſi poſsidebant, pellerentur. Nec pulſi ſunt à Domino. Fortè nullum ipſis bonum, ea in regione? Cur igitur ne pellantur, rogant? Quemadmodum diuerſi Dæmones alijs & alijs vitijs delectantur: ita diuerſi ad diuerſas regiones afficiuntur: & eas maximè, in quibus mores hominum, propter longam conſuetudinem perſpectos habent; atque vbi ipſis maior ſpes eſt, & occaſio nocendi.

8. Quid, quòd ſi bonum aliquod poſtulent, obtinere id quandoque poſsint? Bonum quoddam ipſorum eſt, hominum vexatio & cruciatus: hoc ijs poteſt aliquando concedi petentibus. Nunquid
Iob 1. non Deum roganti cuidam, vt Iob affligeret, id eſt, conceſſum? Ad-
1. Cor. 5. de quòd Dæmoni Apoſtolus Paulus quendam Corinthium tradi-
1. Tim. 1. derit. tradiderit etiam Alexandrum & Hymenæum. An poteſt Apoſtolus Dæmoni præcipere, vt homines ingrediatur; & roganti, vt in hominem ingrediatur, ſi quando expellitur, non poteſt facultaem facere?

9. Veruntamen magna hîc cautela opus eſt. Multa in hac permiſſione

ſione Exorciſtis ſunt attendenda. Non facilè hic Dæmonum petitioni acquieſcendum. Neceſſe eſt, vt ſi in aliquos ingrediendi facultas conferenda ſit; id ipſorum opera mereantur: dignumque ſit, de quibus ob demerita graues pœnæ ſumantur: quemadmodum Apoſtolus ſuo exemplo docuit in Alexandro, Hymenæo, & Corinthio.

Nec hoc ſufficit. Neceſſe etiam eſt, vt qui Exorciſtarum officio funguntur, in eos, quos Dęmoni tradunt, imperium & ius habeant; adeoq; ratione officij & poſſint, & valeant animaduertere. Quemadmodum habuit Elogius Nouiomenſis Epiſcopus; qui in ſuorum ſubditorum quinquaginta Dæmonibus ſæuiendi poteſtatem fecit, quod ab impijs & ſacrilegis ritibus non abſtinerent. teſte Audoeno in Vita eius, cap. 20. 10.

Debet quoque hîc propoſita eſſe ſpes maioris boni: vt, ſcilicet, qui alijs rationibus non videbantur poſſe iuuari, hac iuuandi credanrur: & ſpiritus ſaluus fiat, dum in corpus ſæuiunt Dæmones. Et hæc ſpes eidem Elogio propoſita fuit. Vnde rogatus, non ſtatim hanc pœnam relaxauit: *Diſcant*, inquit, *prius, cui ſeruire elegerunt, antequam à tyrannide Dæmonis abſoluantur.* Eandem fuiſſe propoſitam D. Paulo, hæc ipſius oſtendit oratio: *Quos* (intellige Hymenæum & Alexandrum) *tradidi Sathanæ*, inquit, *vt diſcant non blaſphemare.* Sic (1. Corinth 5.) tradidit Sathanæ Corinthium in interitum carnis, *vt Spiritus eius ſaluus ſit, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 11.

Debet etiam abeſſe ſtudium Dæmonibus placendi. Non ipſis tanquam amicis hîc gratificandum eſt; ſed tanquam lictoribus & carnificibus vtendum. quibus quanquam gratum eſt incommodare; pro hominum tamen imperio & voluntate incommodare, moleſtum eſt. Quapropter non hic Dæmonum malitiæ ſeruitur; ſed eorum malitia & nocendi ſtudium nobis ſeruit. 12.

Addiderim his, Hanc poteſtatem Dæmonibus dandam non eſſe, niſi ab ijs; qui ſummum in ipſos ius habent; & quandocunque libet eos humanis corporibus exigere poſſunt, qualem habuiſſe D. Paulum Sacræ docent literæ: & Elogium, cuius iam ſecundò mentionem fecimus, res ipſa. Siquidem poſtquam iuſtum de ſuis ſupplicium ſumptum eſt: aquam benedictam ipſis offert: qua ſumpta, 13.

mox Spiritus receſſerunt. Quia verò hoc ius paucis, hoc tempore, tributum eſt, parciſsimè Dæmonum petitioni in hac cauſa putarem ſatisfieri oportere.

Porrò quamuis in quibuſdam, vt dictum eſt, poſsimus ipſorum deſiderio ſatisfacere; in nullo tamen facere tenemur: licet etiam quæ ex re hominum ſunt, petant. Nobilis quædam mulier obſeſſum ſeruum ad Theodorum Archimandritam adducebat; atque vt ab eo Dæmonium pelleret, rogabat. Theodorus mox, ne ſe loco moueat, imperat. Quid Dæmon? magnis vocibus ſe torqueri clamabat. facultatemque diſcedendi petebat. An obtinuit? Non obtinuit, niſi poſtquam Theodoro viſum eſt. Ita Georgius presbyter in Theodori Vita, apud Surium, Tom. 2.

Finis Diſputationis de Dæmoniacis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nihil

Nihil in hac aut doctrinæ Catholicæ, aut melius ſentientium iudicio contrarium dictum eſſe volumus.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

DE LOCIS INFESTIS PRIMA DISPVTATIONIS PARS.

IN QVA

IPSORVM LOCORVM ATQVE Spirituũ, moleſtiarum quoque, quæ locis infeſtis afferuntur, genera, modi, fines, cauſæ, & his ſimilia, inquiruntur, examinantur, & explicantur.

ISAGOGE IN PRIMAM DISPVTAtionis partem, de Locis Infeſtis.

ARgumentum præſentis Diſputationis trium definitionem requirit. Principiò demonſtrandum eſt, eſſe quædam loca Spiritibus & Spectris infeſta. Deinde aſsignandæ rationes, quibus Spirituum talium ſtatus & conditio innoteſcit. Tertiò præſcribendus modus, qui in huiuſmodi Spiritibus exigendis, & Locis ab iiſdem purgandis, ſeruari poßit. Potuerunt pleraque horum ex iis, quæ aliàs de Spiritibus, & Dæmoniacis dicta ſunt, à prudentioribus intelligi, verùm, quia non omnium idem ingenij acumen; quædam etiam hic ſingularem habent difficultatem, libenter quorundam deſiderio & petitioni ſatisfaci- 2

mus, & hanc, de Locis infeſtis, Diſputationem damus.

4\. *Porrò primum Caput trium explicationem poſtulat, quorum in titulo fit mentio: locorum, qui infeſtantur: Spirituum, qui infeſtant: moleſtiarum & difficultatum, quæ in Locis infeſtis, ab infeſtantibus Spiritibus hominibus afferuntur.*

5\. *In vnoquoq; genere haud pauca ſunt, quæ difficultatem habent. In Locis quæritur: Sintne verè quædam loca infeſta. Præterea, ſintne omnia vnius generis. Rurſus, an omnia æquè infeſta, an alia alijs magis, minuſue: & vnde hoc accidat, atq; his ſimilia. In Spiritibus: Quinam & quales Spiritus ſint, qui infeſtant, quibuſque de cauſis infeſtant: quas ob cauſas hæc potius, quàm illa loca: hos potius, quàm illos homines infeſtant: quando infeſtant, &c. In moleſtijs duo ſpectantur; ſcilicet, modus, quo moleſti ſunt: & mala, quæ ſua moleſtia afferunt. Neq; enim vnus eſt moleſtandi modus; neq; vnius generis, quæ afferuntur, mala. Omnia hæc prima Diſputationis parte inquirimus.*

CAP.

CAPVT I.

Varijs, omnium propemodum temporum, atque locorum, exemplis docetur, loca quædam Spectris, atque Spiritibus infeſta eſſe.

Eſſe quædam loca Spectris & Spiritibus infeſta, dubium non eſt. 1
Rerum geſtarum hiſtoria rem hanc egregijs exemplis declarat atque confirmat. Recentia & quotidiana omittimus, proferimus aliquot priorũ temporum, quæ idcirco hîc maius robur habere debent; quòd & plurima ſint: & probatos authores habeant: & varijs diſiunctiſsimiſq; locis, atque temporibus acciderint: & tum Gentilium, tum Chriſtianorum opinione ſunt confirmata.

Refert B. Auguſtinus Heſperij cuiuſdam, viri Tribunitij, do- 2
mum à Spiritibus plurimùm vexatam eſſe. Verba eius aſſcribimus. Vir Tribunitius, inquit, Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum, Cubedi appellatum: vbi, cùm afflictione animalium, & ſeruorum ſuorum, domum ſuam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros, me abſente, presbyteros; vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus: obtulit ibi ſacrificiũ Corporis Chriſti; orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio: Deoq; protinus miſerante ceſſauit. Acceperat autem ab amico ſuo terrã ſanctam, de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus, die tertio reſurrexit, eamq; ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. Hæc B. Auguſtinus li. 22. de Ciuit. Dei, ca. 8.

In Thermis Angularibus, à Germano Capuano Epiſcopo, viſum 3
eſſe, & verſatum, Spiritum Paſchaſij cuiuſdã recenſet B. Gregorius. Poſt multũ, inquit, temporis (intellige à morte Paſchaſij) Germano Capuano Epiſcopo, Medici pro corporis ſalute dictauerant, vt in Angularibus Thermis lauaretur. Ille ingreſſus Thermas, Paſchaſium Diaconũ obſequentem in caloribus inuenit. Viſo ipſo vehemẽter extimuit, & quid illic tantus vir (Apoſtolicę ſedis Diaconus) faceret, inquiſiuit. Cui ille: Pro nulla alia cauſa, inquit, in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentij, contra Symmachũ ſenſi. Sed quæſo te, pro me Dominũ deprecare: atq; in hoc cognoſces quòd exauditus ſis; ſi, huc rediens, me non inueneris. Fecit vir Domini Germanus, quod rogatus fuit; & poſt paucos dies rediens,

iam dictum Paſchaſium in eodē loco minimè inuenit. Ita B. Greg. lib. 4. Dialog. c. 39. Simile huic aliud exemplum idem habet Gregorius, quod à Felice Portuenſi Epiſcopo ſe accepiſſe aſſerit. In eiuſdem etiam Vita legitur Spiritum quendam habitationem ſuam habuiſſe poſt abſidem oratorij, vbi Gregorius Deo laudes conſueuerat celebrare: eūdemq; intempeſtiuo incurſu ſępiùs Sanctū virum, orationi intentum, perturbaſſe: equos ex ſtabulo eduxiſſe: duos ex ipſis præcipites egiſſe: viros religioſos, eiuſdem cum B. Gregorio profeſsionis, nunc in forma cati vnguibus tentaſſe lacerare, nunc ſub ſpecie Æthiopis lancea petiuiſſe. Ita Ioannes Diaconus, in *Vita* Greg. lib. 4. cap. 89.

4 Infeſtorum quoq; balneorum meminit alius Gregorius, Nyſſenus dictus, in Vita Gregorij Neocæſarienſis; docetq; Spectra, quæ in ijſdem fuere, plurima mala attuliſſe; & neminem illorum, qui balnea noctu intraſſet, manè viuum exiuiſſe, præter Gregorij Neocæſarienſis Diaconum, qui ſigno crucis munitus nihil ſit paſſus. Rē geſtam adſcribimus Gregorij verbis. Cùm veſpere, inquit, ingreſſus ciuitatē Diaconus laſſus eſſet ex itinere; neceſſe eſſe duxit corpus lauacro reficere. In eo autē loco dominatū obtinebat quidā Dęmon homicida, verſans in lauacro: cuius vis exitialis, poſt tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de cauſa poſt occaſum ſolis non patebat ad id aditus; neq; id exercebatur. Ad quod cū acceſsiſſet, rogabat eū, qui illi præ erat, vt id ei aperiret, & non ei inuideret balnei vſum, quo ſe recrearet. Cū is autem teſtaretur, nullū ex ijs, qui illa hora auſi ſunt intrare, ſuis rediſſe pedibus; ſed Dæmonem omnes veſpere ſuperaſſe, multosq; ob ignorationē paſſos eſſe grauiſsima, quos pro ſperata recreatione exceperunt lamentationes, eiulatus & ſepulchra. Cùm hæc referret, & quæ ſunt huiuſmodi; ille nihil de ſuo remiſit deſiderio: ſed inſtabat omnino cogens, vt eū intromitteret. Ille autem ſatis ſe lucrifacere exiſtimans, ſi non cum hoſpitis ignoratione vna veniret in periculum; cùm ei dediſſet clauem, procul recedit à balneo. Poſtquam autem nudatus fuit intus, multiplices terrores, & variæ obſtupefaciendi cauſæ adornabantur à Dæmonio. nempe omnis generis viſa, oſtendentia naturam igne & fumo mixtam, & quę in forma hominum & ferarum in oculos incurrebant, in auribus reſonabant, anhelitui appropinquabant, & in orbē circa corpus effundebantur. Ille verò ſe ſignaculo Crucis muniens, & Chriſti nomen inuocans, domos peruaſit illęſus. Interius autem progreſſus, in grauiora incidit ſpectacula, in grauiorem aſpectū transformato Dæmonio. Nam & ſimul terręmotu exiſtimabat do-

mum

mium concuti, & perruptum ſolum nudam flammam oſtendere
inferius, & ſcintillas ex aquis emitti flammeas. Rurſusq́; ei arma iti-
dem fuère ſignaculũ & Chriſti nomen, & quod per Magiſtri (Gre-
gorij) preces ferebatur auxilium, diſcutiebat quę videbantur, & fie-
bant terribilia. Aqua autem recreatus, cùm properaret egredi; rur-
ſus prohibebatur, fores opponẽte Dęmonio. Sed hoc quoq; rurſus
impedimentum, pari rurſus virtute eſt ſolutum, foribus ſignaculo
cedentibus. Poſtquam autem ei omnia proceſſerunt ex ſententia,
dicitur Dæmonium voce humana ad eum exclamaſſe, Ne ſibi vim
illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim quæ eum
commendauit, ei qui cuſtodiebat, præſtitit, vt minimè læderetur.
Hoc ergo modo conſeruatus, magnã attulit admirationem ijs, qui
loco præerant, cùm nullus apparuiſſet viuus ex illis, qui illa hora
aquam auſi eſſent ingredi. Hæc Gregorius de Gregorij Diacono, a-
pud Surium Tom. 4.

Meminit infeſtæ à Spiritibus domus, in Vita Theodori Sicæo- 5.
rum Archimandritæ, Georgius presbyter, Theodori diſcipulus, in
qua & hominibus & iumentis plurimum moleſtiarum afferebant
Spiritus. In eadẽ cùm domeſtici pranderent, aut cœnarent, lapides
in menſas à Spiritibus iaciebantur, & telæ mulierũ rumpebantur.
Tanta quoq; murium & ſerpentum multitudo domum occupabat;
vt, præ formidine, nemo ingredi auderet.

Et Metaphraſtes in Vita S. Parthenij meminit officinæ purpura-
riæ, quam Dæmon ita infeſtauit, vt cum magno ſuo detrimento,
domini eandem deſerere fuiſſent coacti, niſi Parthenius rogatus in
Chriſti nomine Spiritũ eieciſſet. Apud Surium Tom. 1. Sancto. Vbi
ſic Metaphraſtes, Accidit, inquit, vt officina, in qua tingebatur pur-
pura, impediretur ab immũdo Spiritu. Sed & immũdus Spiritus ap-
parebat tinctoribus & opus Imperatoris nõ ſinebat effectũ redde-
re: adeò, vt ex hac re magnũ periculum & damnũ ſerui ſuſtinerent
& tinctores. Quamobrẽ cùm hæc reſciuiſſet homo Dei Parthenius,
& ab ijs fuiſſet rogatus, prompto & alacri animo venit ad locũ offi-
cinæ: & cùm aduocaſſet immundũ operantẽ Dęmonem, & eũ inuo-
caſſet terribili & ſancto nomine Chriſti, fecit eum euaneſcere ex om-
nibus finibus: illo clamante omnibus audientibus: Tanquam ab ig-
ne expellor in gehennam ignis. Cùm autẽ iuſsiſſet Sanctus, tinctores
impleuerunt lebetes, & eo præſente immiſerunt lanã. Eâ verò ab il-
lo tempore, quàm oportebat, tincturam, citra vllũ impedimentũ
accepit etiã in futurum. Sicq́; & qui gerebant rempub. & tinctores
omnes liberati ſunt à periculo Imperatoris. Hæc Metaphraſt.

7. In Anaſtaſio Imperatore ſic ſcribit Glycas, parte 4. Erat his temporibus Rex Perſarum Coades; qui cùm in caſtello quodam gemmas magni pretij abſcondiſſet; ne quo minus potiretur ab incolis loci Genijs impediretur; omni genere præſtigiarum vſus eſt. Nam & Iudæos, & quoſuis alios accerſitos adhibebat; neq; tamen illorũ quiſquam aliquid efficere potuit, Tandem Antiſtes eius loci ſolo Crucis ſigno Dæmonem expulit, ita Glycas.

8. Tempore Romani Argyropoli Imperatoris, in Tracenſi Prouincia, apud radices montis Cuzenæ, *vox miſerabilis cum eiulatibus & lamentis, à Menſe Martio audita*, primùm quidem præſentes Spiritus indicauit; deinde etiam cladem Romanorum in Cęloſyria portendit. Hoc Cedrenus, & poſt ipſum Ioannes Curopalates, in Hiſtoria Gręcorum Impp.

9. Scribit Plinius li. 7. Epiſt. 27. Athenis fuiſſe ædes, in quibus *vmbra ingens & macilenta, catenarum ſtridore, quibus vincta videbatur, ædes ipſas replebat*. Propter quam rem cùm inhabitare ædes nullus auderet, ad exiguum pretium locatio redacta eſt. Athenodorus verò Athenas profectus, domum conduxit. perſpectaque Vmbra eam audacter ſequutus: vbi vidit locum, in quo apparere deſineret, humum effodit, illicq; corpus catenatum, vmbræ, quæ apparuerat, ſimile inuenit, ſublatumq; cadauer horrore ædes liberauit. Fulgoſus li. 1 c. 6. Exemplum hoc ad longum referimus Plinij verbis, Capite 86. præſentis Diſputationis.

10. Simile quid accidiſſe Corinthi, in domo Eubatidæ refert Pythagoricus quidam Arignotus apud Lucianum in Philopſeude. Inhabitabilis illa erat, propter terricula: quòd ſi quis inhabitaſſet, expauefactus ſubitò fugiebat. Deciderat ergo iam, tectumq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hæc audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Vmbrã, ſi appareat, domo exacturus. Dũ tacitus in vaſtiſsimo atrio ſedens, ad lumen legit, adeſt Dæmon ſquallidus, hirſutus, & tenebris nigrior: tentatq; ſi qua ratione terreat & expugnet: & nunc in canẽ, nunc in taurũ, nunc in leonem ſe vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus: ſed aſſumpto carmine, in quendam domicilij tenebroſum angulum, Spiritũ compulit, vbi mox ille diſparuit. Mane ſumptis ligonibus iuſsit effodi locum, vbi Spiritum ſe condentem noctu obſeruârat. inuenitur cadauer hominis defuncti, quod exhumatũ, vbi ſepulturæ fuit traditum, omnis infeſtatio domum reliquit. Ita Arignotus apud Lucianum.

11. Pauſanias Spartanorum Rex interfecta Cleonice Byzantina virgine,

gine, per tenebras, manibus illius, ad mortem vſq; exagitatus fuit, teſte Plutarcho Sed Plutarchum audiamus. Fama eſt, inquit, virginem Byzantinam, illuſtribus ortam parentibus, nomine Cleonicen, quam ſtupri cauſa accerſiuerat Pauſanias, à parentibus fuiſſe neceſsitate & metu ſubactis dimiſſam. Eam pro cubiculo precatam vt lumen auferretur, cùm per tenebras ſilentio ad cubile pergeret ſopiti iam Pauſaniæ, incurriſſe inuitam in lucernam, eamq; euertiſſe. At illum ex ſtrepitu obturbatum, ſtricto pugione, qui propè iacebat, quaſi ab hoſte aliquo peteretur, percuſsiſſe, & proſtrauiſſe puellam, quam ex vulnere mortuam non permiſiſſe Pauſaniæ quietem, ſed Spectrum noctu ſe offerens, in ſomno hunc verſum cum indignatione ad illum protuliſſe.

Tu cole iuſtitiam; teq; atq; alios manet vltor. Quod factum ſocij cum Cimone, iniquo animo ferentes arctè obſederunt eum Byzantij. Elapſus tamē eſt, & viſo illo exterritus, Heracleam confugit ad manium oraculum, euocataq; Cleonices anima, offenſam deprecatus eſt. Illa in conſpectum Pauſaniæ venit, ac breui eum oſtendit illis malis explicatum iri, vbi Spartam veniſſet, obſcurè vt conijcio, imminentia illi fata deſignans. Hæc Plutarchus in vita Cimonis.

Non caruerunt Spectris aliquando ædes Dionis. Et huius teſtis 12
eſt Plutarchus, in Dione. Dum coniuratio, inquit, coitur, Spectrum eſt Dioni immane & monſtrificum oblatum. Sedebat fortè diei ſerò domi cogitabundus in porticu: ſtrepitu repente ibi facto reſpiciens, clara adhuc luce, ad alteram porticus partem, conſpexit grandē mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia; quæ verrebat ſcopis domum. Ille vehementer perculſus & trepidans, acciuit amicos, viſumq; ijs narrauit: atq; orauit, apud ſe vt permanerēt & pernoctârent; quòd planè extorpeſceret; timens ne ſi ſolum reliquiſſent, iterum ſibi obuerſaretur monſtrum. Cęterùm id nō eſt reuerſum, ſed filius eius ferè adultus, per dolorem aliquem animi, & iram ex parua & puerili ortam occaſione, è faſtigio domus præcipitauit ſe in caput, & interijt. Et hæc Plutarch.

Antequam cadauer C. Cæſaris Caligulæ ſepeliretur, cuſtodes 13
hortorum lamiarum vmbris inquietati ſunt. In domo verò, qua occubuit, *nullam noctem, ſine aliquo terrore, transactam eſſe* affirmarunt, donec tandem incendio domus eſt conſumpta. Hoc Suetonius in Caligula: & his propemodum verbis.

Sic Neronem, poſtquam matrem Agrippinam, dicta factaque 14
acerbius corrigentem, interfecit, vbiq; Spiritus infeſtantes ſecuti ſunt. Nunquam, vt teſtatur Suetonius, potuit ſceleris conſcientiam

ferre

Digitized by Google

ferre: ſæpe confeſſus ſe materna ſpecie exagitari, atq; verberibus furiarũ, ac ardentibus tedis. Antè eiuſdem Neronis mortem, in Curia, *barbaricum murmur*, cum multò riſu; *& tumultum*, in theatro, cum magno fletu auditum eſſe, cùm tamẽ nullus ibi hominum eſſet, ſcribit Xiphilinus in Dione.

15. De Ottone refert idem Suetonius. A ſupplicijs ille imperiũ, occiſo Galba, auſpicatus; ſed infeliciter. Siquidem nox, quæ primum diem imperij ſecuta eſt, adeò infeſta illi contigit, vt gemitus ediderit ingentes, repertusq; ſit humi antè lectum iacens, à Galbæ manibus ſe expelli, & proſequi dicens. Suetonius hanc rem his verbis refert. Dicitur ea nocte per quietem pauefactus, gemitus maximos ediidiſſe: repertusq; à concurſantibus humi antè lectum iacens, per omnia piaculorum genera, Manes Galbę, à quo deturbari expelliq; ſe viderat, propitiare tentaſſe. Ita in Ottone Suetonius.

16. Inhabitauit Romæ ædes Alexander ab Alexandro, ita euidentiſſimis portentis infames, vt nemo illas incolere auſus fuerit: quin aſſiduis Vmbrarum illuſionibus, & terris imaginibus, noctibus ferè ſingulis, inquietaretur. Docet in ijſdem, præter nocturnus tumultus, qui medio noctis ſilentio audiebantur, & horridos fremitus, cum eiulatu ſtriduloq; vocis ſono, quibus lachrymari & tremere videbatur; viſam eſſe ſpeciem hominis ſqualida facie, vultu minaci, nigro corpore, aſpectu formidabili, nomen ſuum exprimentem, & opem implorantem. Hæc ipſe Alexander lib. 5. Genialium dierum, cap. 23. qui & pro horum confirmatione egregia exempla adfert.

17. Refert Cardanus, li. 16 ca 93. de Rerum Varietate, quod ſequitur. Eſt, inquit, familia nobilis, ac inter primas Parmæ, Torrellorum nuncupata. Poſsident arcem, in qua aula eſt: in ea, ſub camino, ſolet videri anus, iam centum annis, quoties ex familia obiturus eſt aliquis.

18. Pertulit & Hildesheimenſis in Saxonia Diœceſis *infeſtantem Spiritum*, Hudekin appellarunt lingua Saxonica, ſiue pileatum, à pileo, quo caput opertus fuit. Mira de eo referuntur. Hominum conuerſatione plurimum videbatur delectari, quibus nunc ſub humana ſpecie, in habitu ruſtico, ſeſe exhibebat, nunc inuiſibiliter illudebat. Principes viros de rebus magnis admonebat: alijs ſua obſequia non negabat. In culina Præſulis frequẽtius inueniebatur cocis miniſtrare. Cùm quidam, longius profecturus, ipſi vxorem ſatis procacẽ, commendaſſet per iocum; officio ille ſtrenuè functus; qui libidinis

nis cauſa vxorem petebant, aliquoties impediuit. Neminem, niſi prius læſus, iniuria afficiebat; læſus non parcebat. Itaque cùm in prędicti Præſulis culina puerulus quidam aſsidua conſuetudine ipſi familiarior factus, eundem contumelijs afficeret; principiò culinæ Præfectum admonuit, vt inſolentiam pueri coërceret. At vbi nihil profecit, inuentum, in culina, dormientem puerum primùm ſuffocat; mox in fruſta diuidit; tandem igni appoſitum coquit. Nec hac vindicta contentus, multis alijs modis, & culinæ Præfectum, & pleroſq; alios ex aulicis vexat, quemadmodum pluribus proſequitur Ioannes Trithemius, in hiſtoria Monaſterij Hirſaugienſis, circa annum Domini 1132. Tandem ab eius loci Epiſcopo, Bernardo, per Eccleſiaſticas Cenſuras, Prouincia illa excedere compulſus eſt.

Teſtatur VVilhelmus Pariſienſis, Pictauij, in parochia S. Pauli, 19. anno 1447. fuiſſe Spiritum, qui cyathos & vitramenta frangebat, inictis lapidibus; neminem tamen mortalium præſentium læderet. Bodinus lib 3. de Dæmon. cap. 6.

Haud procul à Binga oppido, vbi Naas fluuiolus Rheno miſcetur, pagus eſt, Camon vulgò, quaſi caput montium, dictus Hîc anno 858. Spiritus fuit, qui plurimas incolis moleſtias attulit. Primò à nemine viſus, cœpit in homines iactare lapides, & pulſare fores. Mox, ſub humana ſpecie, reſponſa reddidit; furta prodidit; quoſcunque nota infamiæ aſperſit; diſcordiaſque & ſimultates excitauit. Paulatim horrea omneſque caſas ſuccendit & exuſsit. Vni autem, præ cæteris, fuit moleſtior, perpetuo eius lateri, quocunq; diuerteret, hærens, atque domum comburens. Nec hac moleſtia contentus, vt vicinam vniuerſam in necem innocentis concitaret, ob ſcelera illius, hunc locum infamem eſſe, & ſuis infeſtationibus obnoxium, mentiebatur. Vexatio tum demum finem habuit, quando ab Archiepiſcopo Moguntino miſsi ſacerdotes, luſtrali aqua, atque comprecationibus peſtilentem Spiritum profligarunt. Hæc Sigebertus, Martinus, Chronicon Hirſaugienſe. 20.

Simile quid refert Ioannes Diaconus, in Vita B. Gregorij, li. 4, c. 21. 93. accidiſſe in fundo Barbiliano. Hunc propter incolarum ſcelera, plurimùm infeſtabat Dæmon; atque in forma ferocientis tauri nûc oues inſectabatur, & fatigabat: nunc gregum atq; armentorum cuſtodibus graues moleſtias afferebat, vt etiam quidam ipſorum propter moleſtias ſolum mutare coacti ſint. Hunc tandem vir Sanctus Litaniarum, atque aquæ luſtralis præſidio profligauit.

Eandem propemodum moleſtiam ab infeſtantibus Spiritibus, 22. ſuſtinuere Deo conſecratæ Virgines, Monaſterij Verretenſis, in

comitatu Hornenſi. Siquidem in loco, vbi dormire ſolent, audiebatur inceſſus Spectri ingemiſcentis: audiebatur item vox, quæ Virgines hortaretur, vt ſurgerent, & ſecum ad ignem, ægrotum conſulaturæ, accederent. Aliquoties pedibus è lecto, ad paſſus aliquot, ſubtrahebantur à Spectro: aliquoties ſub plantis adeò titillabantur, vt præ nimio riſu, modò non morerentur: quibuſdam particulæ carnis euellebantur: pleriſque in aduerſam partem prorſus intorquebantur tibiæ, brachia, & facies. Mitto reliquas, quas ſuſtinuerunt, ad tres annos, moleſtias: quas videre licet apud VVierum, li. 3. c. 9. de Præſtigijs Dæmon:

13. Circa annum Domini 1098. non longè à VVormatia, multis diebus ac noctibus, maxima multitudo armatorum equitum, & peditum apparuit, tanquam ad placiti colloquium, ſeu bellum proceſſura: & nunc huc, nunc illuc, quaſi per turmas diſcurrentes, circa nonam horam noctis, ad vicinum montem: ex quo prodire conſueuerunt, reuertebantur. Tandem, nocte quadam, Monachus Limburgenſis Cœnobij, non procul à monte, de quo exire ſolebant, diſtantis, aſſumptis, ſecum quibuſdam alijs, ad locum infeſtum acceſſit; muniensque ſe ſignaculo ſanctæ Crucis, exeuntes de monte, *Qui eſſent*, per virtutem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vt dicerent, adiurauit. Cui vnus ex turma: Nos phanthaſma, inquit, ſumus, nec militum viuentium turba; ſed animæ hominum, quondam in hoc mundo, Principi terrenorum militantium, non ante multos annos, in hoc loco, interfectorum. Arma, habitus, & equi; quæ nobis, dum viueremus, inſtrumenta fuerunt peccati, etiam nunc, poſt mortem, in nobis ſunt quædam indicia tormenti. Omne quod iam cernitis circa nos totum ignitum eſt nobis; quanquam vos ignem noſtrum minimè videatis. Cumq; Monachus, vtrū ab hominibus iuuari poſſent, inquireret; reſpondit Spiritus: Ieiunijs, & orationibus, & maximè oblatione corporis & ſanguinis Chriſti adiuuari poſſumus & rogamus. His dictis omnis illa multitudo Spirituum, quaſi vna voce, clamabat trina vice: Orate pro nobis: orate pro nobis: orate pro nobis. Mox omnes in ignem reſoluti videbantur. Sed & mons ipſe, quaſi arderet, ignē & maximum fragorem arborum & ſtrepitū emiſit. Ita Chronicon Hirſaugienſe, circa annū Dom. 1098.

Similia Spectra ſunt, quę Marathonicum campum, olim horrendum reddiderunt: illa etiam quę Calcerandus Rochenſis Hiſpanus conſpexit, & quaſi prænuncia fuerunt ingentium motuum Siciliæ, quibus furens plebs Hugonem Montecanum Proregem, vrbe Panormitana eiecit, eo tempore, quo Siciliæ Regnum ad Carolum

V. per-

V. peruenit: de quibus ſic Thomas Fazellus. *Paucis antè diebus.* (ſcilicet quàm tumultus excitaretur, viuente adhuc Ferdinando Rege) cùm ſub primam lucem in lectulo vigilaret Calcerandus, magnam hominum multitudinem in area perſtrepentem audiuit. Ad feneſtram ocyus accurrit, virorum frequentiam primùm, peditumque ſpecies: mox haſtatos ſcutatosq; ſubſequi, ac equites deinde in turmas diuiſos, armatorumque acies in prælij ſpeciem concurrentes in regiam domum, qua Hugo vtebatur, irruere, ac oppugnare, oculis per inanem vmbram ſibi videre eſt viſus. Plerique præterea ſub idē tempus ad verticem ac radices. Peregrini montis milites armis inſtructos noctu concurſantes ſe vidiſſe faſſi ſunt. Hæc Fazellus li. 10. & vltimo de Rebus Siculis.

24. Apud Aquilonares populos plura loca infeſtantur. Refert Olaus Magnus, ſolere apud ipſos, nocturnos viatores, gregumque & armentorum excubijs intentos, *portentis diuerſi generis circumfundi, mirifico concentu.* Hunc nocturnum Monſtrorum ludum vocant incolę Choream Eluarum; de quibus eam habent opinionem, quòd animi eorum hominum, qui ſe corporeis voluptatibus dedunt, corporibus illapſi, circa terram volutentur. Veſtigia harum laruarum manè interdum, in herba roſida, deprehenduntur; interdum verò ceu igne exeſa conſpiciuntur. Olaus, li. 3. ca. 11. Gentium Septentrionalium.

25. In Iſlandia inſula, ſub polo Arctico, promontorium eſt, quòd inſtar Aetnæ perpetuis ignibus æſtuat. Illic ſubmerſorum, ſiue alio violento caſu occiſorum Spectra ſeſe offerunt congreſsibus notorū hominum, tam manifeſta, vt tanquam viuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum. Nec deprehenditur error, priuſquam diſparuerint Vmbræ. Idem Olaus, li. 2. ca. 3.

26. Arx eſt in extremis terris Finlandiæ ſuppolaris, Regno Suetiæ ſubiecta. Præterlabitur hanc vaſtiſsimus fluuius, inſcrutabilis profunditatis. Ad hunc Spectra ſubinde apparent: & imminente morte Præfecti arcis, vel militis alicuius, Cytharædus, per noctem, in medijs vndis, ludens conſpicitur, & auditur. Hóc quoque Olaus, li. 2. c. 19. & 20. Apud Philappas quoque ingens eſt numerus Spectrorum; quæ cùm ipſis conuerſantur, colloquuntur, conuiuantur; nec arceri aut abigi vlla ratione dicuntur. Cumq; præcipuè terreantur à manibus cognatorum; ne id fiat, prohibent cadaueribus defoſsis & ſepultis ſub foco. Peucerus li. de Diuinat. fol. 283.

27. Similiter Sterlingi, arx in Scotia, à Spiritibus infeſtatur: & quia ibidem *gementes & clamantes nocte audiuntur*, nomen accepit vt

Mons doloroſus dicatur, quemadmodum ſcribit lib. 4. Scotorum hiſtoriæ H. Boethus.

28. In ea, quæ eſt circa Syrtes Lybia, quandoque, & maximè quieto à ventis tempore, apparent in aere diuerſarum animantium formę, quarum quædam quieſcunt, quædam mouentur: & hæ aliquando fugiunt; aliquando fugientes inſequuntur: quos verò comprehendunt, frigido circundant contactu. Refert hoc Diod. li. 3 c. 4.

29. Ex Ariſtotele de Admirandis auditionibus refert Thomas Fazellus lib. 1. de Rebus Siculis, tumulum in Lipara Inſula olim fuiſſe, ad quem noctu accedere nemini licebat. Cymbala namque, crotali quoque, immanes præterea ſonitus, tumultusq; cum inconditis cachinnis ibi exaudiebantur. Quibus territi Liparenſes, ne quid ſibi mali accideret, illuc progredi perhorrebant. At cùm mero quidam correptus, eo temere peruaſiſſet: iuxta tumuli ſpecum obdormiuit, perquęſitusq; à domeſticis poſt triduum exanimis eſt repertus. Pro mortuo autem inde elatus, cùm ſepulturæ paratis exequijs, ac funebri pompa tradendus efferretur, repente omnibus admirantibus experrectus, quæ & viderat, & paſſus fuerat enarrauit Hoc Fazellus.

30. Et fodinæ metallicæ quędam à Spiritibus infeſtantur. Hinc Spiritus Annebergicus, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in ſpecu, qui Corona Roſacea appellatur, eo etiam nomine relictus; quamuis argento diues eſſet, flatū verò emittebat ex rictu: cùm equi ſpecie, habentis procerum collum, & truces oculos, appareret. Hinc alter Schnebergicus, nigro cucullo veſtitus; qui in fodina Georgiana operariū è ſolo ſublatum, in ſuperiori loco maximæ illius concauitatis, quondā feracis argenti, collocauit, non ſine corporis attritu. Hęc ex Georgio Agricola Munſterus l. 1. Coſmogra. ca. 15.

31. In Prouinciæ Peruanæ ea parte, quæ Itinanorum eſt, Catarina ſedecim annorum puella, ob ſacrilegio ſæpius violatā Confeſsionē, & infelicem mortem, poſt mortem multarum turbarum atq; tumultuum fuit cauſa. Mox, vt anima exhalauit, fœdum cadauer remanſit, tam tetri odoris, vt ſeponendū fuerit ſub dio, ne inficeret domum. Eodem tempore manſuetus alioquin equus & placidus ſic furere cœpit, vt calcibus arietaret, in murum, & hac illacq; percurſaret, vinculis abruptis. Auditi canum latratus, & inquieti diſcurſus. Adoleſcens quidam extra lectum brachio extractus, vna ex ancillis calce in humerum percuſſa, cuius plures ad dies manſerūt veſtigia. Hæc corpore Catarinæ nondum humato acciderunt. Poſt ſepulturam in famulam, ingredi cupientem cubiculum, vbi illa erat, vas

Digitized by Google

vas deiectum eſt de tabulato ſuperiore. Et maior pars oppidanorum conſpexit vim magnam laterum tegularumque magno fragore diſpergi per ædes. Neque hoc ſatis. Domina coram decemq; alijs aut duodecim mulieribus, ſemel iterumque ac tertiò eſt rapta pede altero (nec apparebat raptator) famula, quæ Catarinæ familiaris fuerat. Secuta ſunt alia monſtra. Cùm in cellam veſtiariam iret ancilla, vt promeret veſtem, videt Catarinam extollentem ſeſe vaſi prenſando. at ipſa cum clamore repente ſe proripit; cæterum vas in parietē proiectum, diffractum eſt quaſſu ingenti. Cùm Domina ſtrepitu excitata, intraret cellam, dimidiatus later magno impetu in murum eſt impactus. Poſtridie, impreſſa in pagina Chriſti effigies de cruce pendentis, aptè applicata eſt glutine in pariete veſtiarij; ſtatimque cunctis inſpectātibus, euulſa tres in partes conſciſſa eſt. Eodem die cùm in horto cœna eſſet, magna pars lateris decidit in lancem, & conturbauit menſam. Vide Annales Societatis Ieſu anno 90. & 91. in prouincia Peruana fol. 766. vbi hæc & plura his ſimilia habentur.

Kerope caſtrum eſt vnum ex ijs, quæ Moſchus Polono ceſsit, in quo multi Germani à Moſchouitis occiſi ſunt. Caſtrum hoc, & tota vicinia illuſionibus diabolicis adeò erant ante annos adhuc duodecim infeſta, vt Cacodæmones palam, & in conſpectu omnium, cùm luna nocte ſplenderet, in equis ſedentes effuſis habenis circum mœnia, magno cum impetu, currerent, & ſubinde morerentur. Interdiu quoq; more Moſchorum veſtiti, integros currus onuſtos frumento, in humeros ſuos ferentes, omnibus aſpicientibus in vicinum locum villæ cuiuſdam arci proximæ conijcerent. Hæc Iſſelt anno 86. Hiſtoriæ. 32.

Eſt alius locus paluſtris, decē ſcilicet paſſuum millibus ab Odepe, quod prædium eſt noui Epiſcopatus Vendæ in Liuonia. Lacus autem, qui in eo erat, ſic infeſtabatur, vt niſi ſingulis annis ſanguis infantium in eum mitteretur, vltra modum affligarentur vicini, & plurima damna ijs Dęmones afferrent; conturbarent aera: tonitrua, fulmina, procellas & tempeſtates excitarent. Hinc vſitatum apud illos erat matribus furari infantes, atq; in lacum proijcere, aut ſaltē extractum ex eorundem corporibus ſanguinem in eundem mittere. Etiam hoc Iſſelt eodem loco. 33.

Hæc pro veritate infeſtorum locorum exempla. Quæ in hac Diſputatione ad duo valere volumus Lectori. Primùm, ne de infeſtis quibuſdam locis vllum in animo ipſius relinquatur dubium. Deinde, vt ad hæc, id eſt, ad primum Caput recurrat, ſi quando in 34.

 diſpu-

diſputationis noſtræ diſcurſu quædam exemplis confirmamus & vnde illa petita ſunt, non aſsignamus. Ad primum caput conuerte animum cogitationesque: illud, quod deſiderabitur, docebit.

CAP. II.

Multiplicia eſſe loca, quæ à Spiritibus infeſtantur: & quòd omnia ad duo genera poßint reuocari, quæq; ſit inter ipſa differentia.

1. PRæcedenti Capite demonſtratum eſt *eſſe quædam loca Spectris & Spiritibus infeſta*; ſed ita; vt ſimul inſinuatum ſit, non vnius generis omnia illa eſſe. Datæ ſunt infeſtæ *domus*; vt inter alias illa, quam Alexander ab Alexandro inhabitauit, Dati *fundi*; vt Heſperij, quorum meminit Auguſtinus. Datæ *arces* & *palatia*, vt illa in Scotia, ob Spirituum gemitus Mons doloroſus dicta. Datæ ciuitates; vt Moguntia. Datæ *inſulæ & prouinciæ*, apud Aquilonares populos, & in Saxonia *Epiſcopatus* Hildesheimenſis. Rurſus data loca ſubterranea, in Fodinis metallicis. Data priuata, vt domus, quam Theodorus, Sicæorum Archimandrita, purgauit. Data publica, vt Angulares Thermæ &c. Sed hæc omnia ad *pauciora genera* reuocantur.

2. Et quidem, ſi rectè ratiocinabimur, duo conſtitui poſſunt. Locorum enim quædam poſſumus dicere *infeſta propter homines*: quędam *infeſta per ſe*. *Infeſta propter homines* illa vocamus, quæ non niſi propter certos homines, quos ipſi Spiritus perſequuntur, horrida ſunt. *Infeſta per ſe*, quorum infeſtationis ratio ex ſpiritibus; & non ex hominibus, qui iiſdem locis degunt, petitur.

3. Itaq; *infeſta propter homines* ſunt, domus, quæcunque Pauſaniam Spartianorum Regem excipiebat: domus quam Nero poſt cædem matris inhabitabat: Locus, vbicunque Otto Romanorum Imperator, poſt internecionem Galbæ, reperiebatur, &c. Hos ſiquidem, quocunq; diuerterent, ob vindictam patrati ſceleris, infeſtantes ſequebantur Spiritus.

4. *Infeſta per ſe erunt*, fundus Heſperij, apud B. Auguſtinum: Thermę Angulares, apud B. Gregoriũ: domus, tam illa, quam Theodorus Sicæorum Archimandrita liberauit; quàm alia, quam Romæ inhabitauit Alexander: Aquilonares prouinciæ, & arces Olai Magni; campi VVormatienſes: & fodinæ metallicæ, &c.

5. Multiplex verò eſt, inter hæc duo locorum genera, *differentia*. Prima à *tempore*, quo Spiritus moleſtare incipiunt, ſumitur. Nam in il-

Digitized by Google

In illis, quæ propter homines infeſta ſunt, prius ipſi homines in locis inueniuntur; quàm loca Spectris ſint horrida. Quia enim certis locis Nero, Pauſanias, atque Otto inueniebantur; idcirco moleſtantes patiebantur Spiritus, quibus antea caruerant. In poſterioribus, prius ipſa loca infeſta ſunt, quàm hominibus moleſtia à Spiritibus afferatur; quemadmodum 1. Cap. allata probant exempla.

Altera differentia à *duratione petitur*. Illa tamdiu infeſta ſunt, quamdiu homines, quos infeſtantes Spiritus ſequuntur, ijs locis degunt, & cauſas moleſtiarum non tollunt: Sublatis verò hominibus, aut cauſis moleſtiarum ceſſantibus, deſinunt infeſtantes Spiritus. At poſteriora hæc infeſta manent; quamuis etiam ab hominibus prorſus deſerantur. 6

Tertiam differentiam ſuppeditant *fines Spiritibus in his locis propoſiti*. Qui prioribus locis inueniuntur, vindices plerumque ſunt patratorum ſcelerum; quemadmodum Spiritus virginis à Pauſania interfectæ; manes matris Neronis, & Imperatoris Galbæ. Qui verò poſterioribus, non item. Et quamuis aliquando, non tamen ſemper, mortales affligunt: vt verò affligant, per ſe ipſis propoſitum non eſt. 7

Quartam differentiam *formæ*, quibus ſe Spiritus dictis locis exhibent. Præbent priorum locorum Spiritus *plerumq;* ſub eorum ſe ſpecie (& ob id humana) exhibent, qui iniuriam paſſi, vindictam his terriculamentis expetere videntur. Hinc à matris Spiritu Nero; à virginis Byzantinæ Pauſanias; & à Galbæ Spiritu Otto cognouit ſe perſecutionem pati. At poſteriorum locorum Spiritus, nunc ſub proprijs, nunc ſub peregrinis formis conſpiciuntur, quemadmodũ primi Capitis exempla demonſtrant. 8

Quintò differunt dictorum locorum Spiritus; quòd *in priori genere pauciores* ferè inueniantur, qui moleſtent; *in poſteriori plures*. Rarius audimus, quoſdam ſuos vbiq; moleſtantes ſequi Spiritus; ſæpius certis atque definitis locis alios atque alios moleſtos eſſe. 9

Denique hoc differunt, quòd in his alia; quàm illis, *expiandis* ratio ſeruari debeat. In ijs, quæ propter homines infeſta ſunt, præcipua eſt occupatio, (ſi modò plena ſecuritas obtinẽda eſt,) cum hominibus, quorum cauſa loca infeſta ſunt; in alijs non tam hominum, qui infeſtis locis degunt; quàm ipſorum locorum ratio habenda eſt, quemadmodum ſuo loco docebitur; Tertia parte Diſput. præſ. 10

Cæterùm, quamuis iam dictis rationibus loca hæc diſtinguantur; multa tamen habent communia, imprimis illud, quòd in vtriſque om- 11

que om-

quę omnis generis moleſtantes Spiritus deprehendantur, dæmoniaci ſcilicet, & hominum, tam purgandorum, quàm perpetuis ſupplicijs deputatorum. De quo in ſequentibus.

CAP. III.

Tria eſſe Spiritum genera, quæ loca infeſtent, de quibus præſens eſt Diſputatio.

1. IN argumento Capiti huic præfixo, vnum certum ponitur, alterum in quæſtionem vocatur. Illud eſt, Eſſe plura Spirituum genera, per quos loca infeſtari queant: hoc, Quinam illi ſint Spiritus. Nec de potentia quæſtio eſt; Sed de *facto*, quia, non, quinam valeant loca infeſta reddere; ſed qui reipſa infeſtent, quæritur.

2. *Primum* autem omnium confeſsione manifeſtum eſt. Nec malè. Quoniam ſunt boni Spiritus, & mali: & inter vtroſque (vt de Deo Spirituum auctore nihil dicamus) quidā humani ſunt; vt inter malos damnatorum animæ; inter bonos, mentes beatæ atq; purgandæ: quidam Angelici, vt inter malos, Diaboli: inter bonos, Spiritus cæleſtes, in nouem ordines ſiue choros diſtincti.

3. De *potentia* verò quæſtio non eſt, Quinam, videlicet, Spiritus loca infeſtare valeant. Cùm enim omniū magnæ ſint in res corporeas vires; & in rebus corporeis loca, & quæ in locis ſunt, habeantur: dubium nullum eſt, quin quicumq; Spiritus, ſi modò velint, & nulla ſuperioris authoritate prohibeantur, loca infeſtare poſsint.

4. Qui igitur *reipſa* infeſtant. *Tria potiſsimum Spirituum genera.* Vnum prorſus incorporeorum: duo humanorum: hoc eſt: Diaboli primùm; deinde hominum animæ ad inferorum ſupplicia damnatæ: & tertio illæ, quæ purgatorijs pœnis expiantur, viuentibus moleſti ſunt.

5. Non negamus interim *Angelos bonos* certis quibuſdam locis, & olim viſos eſſe, & modò interdum videri. Plura pro hoc argumento exempla protulimus illa, quam de Spirituum Apparitionibus dedimus, Diſputatione. Nec ita cælis includimus *bonos hominum Spiritus*; vt ipſis quaſi vincula ijnjciamus; & extra cęlū comparere fas non ſit, quoniam etiam hos ſæpiùs alijs locis viſos eſſe, in iam dicta Diſputatione demonſtratum eſt. ſed aliud eſt *apparere* Spiritus certis locis: aliud locis eſſe affixos quaſi & moleſtos.

6. Quòd ſi quis etiam, ipſorum præſentia opera, loca infeſta fuiſſe, aut eſſe, omninò velit conuincere; non multū repugnabimus: quæ

tamen

tamen nos Loca Infeſta *hac diſputatione* dicimus, illa prioribus, triplicibus Spiritibus, infeſtari, intelligi volumus.

Neminem verò vſque adeò deſipere exiſtimamus, vt omnes omninò, quę vel moleſtiæ percipiuntur; vel tumultus infeſtis locis audiuntur, *bonis tantùm Angelis*, vel certè *humanis illis fœlicibus* Spiritibus auctoribus fieri credat. Multa hic fiunt, quæ non, niſi à prauis atq; peruerſis; aut certè miſeris hominum Spiritibus fieri poſſunt, vt aliâs demonſtrandum erit. 7.

Sic nec quiſquam erit, qui moleſtias atque tumultus omnes ab Angelicis illis *prauis Spiritibus* putabit excitari. Quemadmodum non omnia, quæ fiunt, cæleſtibus illis beatis poſſunt aſſcribi; ita neque omnia Dæmonibus. Quædam non niſi Dæmones, quædam non niſi homines habent authores. Sic quædam non niſi homines, quædam non niſi Dæmones produnt. 8.

Et quæ hic ab humanis Spiritibus fieri certum eſt, non *eiuſdem conditionis* ſunt omnia, quamuis prodant miſeros Spiritus aliqua: non tamen ſemper damnatos. Neque enim omnes miſeri Spiritus, damnati Spiritus: quamuis damnati omnes, miſeri. Miſeri illi, qui purgatorijs pœnis expiantur: miſeri, & damnati; qui infernalibus ſupplicijs adiudicati. 9.

Cæterùm à dictis *tribus* Spirituũ generibus loca infeſtari, quamuis difficile non ſit, certa quadam ratione docere; *exemplis* tamen rem illuſtraſſe breuitati ſtudentibus ſuffecerit. 10.

Pro *Dæmonibus* igitur ſunt Spectra, quæ in fodinis mineralibus, & ſalinis obſeruata: quæ Heſperij domũ reddiderunt infeſtã: quæ in balneis, quorum B. Gregorius Nyſſenus meminit, multis mortem attulerunt: quæq; aqua benedicta profligata à Theodoro Sicæorum Archimandrita: quæ agrum Bingenſem afflixerunt: choreæ item Eluarum, quarum mentionem fecit Olaus: Hutingen etiam Hildesheimenſis. De quibus primo Capite. 11.

Præterea terribilis & monſtroſa effigies, quæ ad M. Brutum noctu ingreſſa, & quiſnam eſſet interrogata, reſpondit ſe eius eſſe genium. Fœdum quoque & dirum Spectrum, quod Caſſio Parmenſi obuerſatum eſt, ſub id temporis, quo iuſſu Augeſti interfectus eſt. De vtroque Sabellicus Tom. 4. li. 1. Exemplorum, ca. 3. Denique quæcunq; viſa ſunt ſub peregrinis formis, de quibus capite 19. Theſ. 9. & 10. in ſequentibus.

Pro *animabus purgandis* ſunt, Paſchaſius; quem celebrat Gregorius Magnus: Spiritus, qui obſequium aliquamdiu exhibuit presbytero, Felici, Portuenſi Epiſcopo noto: & armatorum, vt credimus, 12.

mus, tam equitum, quàm peditum multitudo, quæ in agro VVormatienſi, multis noctibus atque diebus, conſpecta eſt: de quibus 1. cap.

Mater quoque S. Eliſabethæ, Hungarorum Reginæ; quæ filiæ poſt mortem apparuit; pœnas, quas ob vitam negligentius actam ſuſtineret, expoſuit: & vt filiæ ſuffragijs iuuetur, rogauit: & tandem, voti compos facta, pro matura liberatione gratias egit, cum ſecundò iam filię, poſt fuſas ad Deum preces, appareret. quemadmodum in eius Vita teſtatur Iacobus Montanus Spirenſis, ca 23.

13. Denique pro ijs, qui *inferni cruciatibus addicti ſunt*, eſt Vmbra, quę Athenis domum, quam poſtea Athenodorus inhabitauit, turbabat: ſunt manes matris Neronis, Cleonicæ Byzantinæ Virginis, & Galbæ Imperatoris: Aethiops, qui apparuit Iſidoro Monacho: de quo vide Theſin 8. c. 38. Spectra demum, quæ plurima offerunt Regiones Aquilonares.

Quamuis enim ipſa apparitionis, & infeſtationis horum Spirituum ratio, ipſos damnandorum loco habendos eſſe, non *neceſſariò* demonſtret; ex alijs tamen nullam ijs cum beatis aliquando partem futuram clarum eſt. Ex quibus verò? quia vera fide deſtituti (vt de alijs criminibus dicatur nihil) ex hac vita diſceſſerunt. Nequit cuiquam quæcunque, probè tranſacta, vita ad ſalutem prodeſſe; qui vera fide deſtitutus, præſentem hanc cum alia vita (vt illi) commutat. Pro hac (ne plura dicam,) diſerta eſt B. Auguſtini ſententia, li. de fide ad Petrum. Firmiſsimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, non ſolum omnes Paganos; ſed etiam Iudæos, Hæreticos atque Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam, præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.

Eodem modo in damnatorum Spirituum numero illi erunt; qui quamuis cum Chriſtiana fide; ſine charitate tamē hinc diſceſſerunt: quemadmodū idem Auguſtinus eodem loco his verbis teſtatur: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, nō omnes, qui intra Eccleſiam Catholicam baptizantur, accepturos eſſe vitam æternam: ſed eos; qui, percepto baptiſmate, rectè viuunt, id eſt, qui abſtinuerunt à vitijs & concupiſcentijs carnis. Regnum enim cælorum, ſicut Infideles, Hæretici atque Schiſmatici non habebunt; ſic Catholici criminoſi poſsidere non poterunt.

14. Porrò ex dictis *tria*, vel *quatuor*, inferimus. Primùm eſt, *Animas hominum cum corporibus non interire*; ſed depoſitis corporibus vitam aliam viuere. Hoc probant & defunctorum Spiritus, qui apparent; & quos

Digitized by Google

& quos in diuerſis locis excitant, tumultus atque terrificationes.

Alterum eſt, *Non vno tantùm loco infernales pœnas ſuſtineri.* Eſto ſit vnus locus, qui hoc ſibi ius, præ reliquis, vendicet; & qui poſt extremum Iudicij diem, ſolus damnatorum ſedes erit, & domicilium; nunc tamen, præter hunc, plures habet Deus Opt. Max. in quibus debitas, pro meritis, à damnatis, pœnas exigit. Nónne damnati Dęmones? nónne infernalem ignem ſuſtinent? Et tamen eos *mundi Rectores tenebrarũ harum, & Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus* vocat Apoſtolus Paulus. Et aerem ſublunarem plenum eſſe Dęmonibus, vt communis, ita non vana, mortalium eſt opinio. 15.

Tertium eſt, *Non vno loco contineri animas, quæ non plenè purgatæ, ex hoc ſæculo diſceſſerunt.* Præcipuus earum locus, quem *Purgatorium* dicimus, haud procul ab Inferno conſtitutus eſt, in viſceribus terræ. ad hunc maxima ipſarũ pars à morte demigrat. Prętér hũc, ſingulari Dei prouidentia & clementia, quædam alia habent, quibus purgantur loca. Sed hæc aliò pertinent. 16.

CAP. IV.

Varios eſſe tam Dæmoniorum, quàm miſerorum hominum Spiritus; qui mortalibus moleſti eſſe ſolent, & loca reddere infeſta.

TRia Spirituum genera aſtruximus, quę loca infeſta reddere ſolent: Dæmones, Damnatorum hominum animas, & illas, quę purgãtur. *Vtrũ in ſingulis generibus gradus ſint, & ordines*; an, contra, in vnoquoque genere omnes vnius eiuſdemqúe conditionis, definiendum eſt. a

Dæmonum igitur (ab his initium faciamus) Pſellus, quidam Philoſophus & Chriſtianus, (ſed vt videtur Chriſtianæ doctrinæ rudis) *ſex* genera, ſecundùm locorum varietatem, diſtinguit. Vnum *Igneum* vocatur; quod circa ſublimiorem aerem vagatur. Alterum nominatur *Aereum*, in hoc aere, nobis proximo oberrans. Tertium appellatur *Terreum*; quia plurimum circa terram verſatur, *terrenisq́;* rebus, & machinis aduerſatur homini. Quartum dicitur *Aquatile & Marinum*; quod humoribus immergitur, libenter circa lacus & fluuios habitans: in mari fluctus & tempeſtates ſuſcitans; nauigiaque hominibus onuſta, ſubmergens. Quintum eſt *Subterraneum*, ſubter terram habitans, infeſtansq́ue foſſores puteorum, & metallorum: efficiens terræ hiatus: concutiens fundamenta, & flammiuomos ventos excitans. Sextum & a

vltimum genus eſt *Lucifugum*, & *inſcrutabile*; & penitus tenebroſum, paſsionibusq́; frigidis, violenter multas res perdens. Ita Pſellus lib. de Dæmonibus.

3. Melius alij moleſtantes *Dæmones in duo genera diſtinguunt*; in *Mites*, & *Tetricos*, ſiue *Truculentos*. *Mites* volunt *Lares* dici, qui concubia nocte in domibus verſantur; & aliquid facere ſe, ſtrepitu vario, indicant: nihil tamen faciunt. *Germani* (inquit Georgius Agricola libro de Animantibus ſubterraneis) *Gutcolos* vocant, à bonitate: alij *virunculos montanos* dicunt, quia plerumq; apparent Nani, tres dodrãtes longi. *Truculentos Laruarum* appellatione dignantur: hi familiam terrent, moleſtant, turbant. Vtrorumque meminit Caſsianus, Collat. 7. c. 32. Priorum his verbis: Nonnullos immundorum Spirituũ, (quos etiam *Faunos* vulgus appellat) ita ſeductores, & ioculatores eſſe manifeſtum eſt, vt certa quædam loca ſeu vias iugiter obſidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur: ſed riſu tantummodo & illuſione contenti, fatigare eos potius ſtudeant, quam nocere. Poſteriorũ verò ſequentibus: Alios ita eſſe furori ac truculentiæ deditos, eſt manifeſtum, vt non ſint contenti hominum tantummodo corpora, quos ſuppleuerint, atroci dilaceratione vexare; ſed etiam irruere ſuper eminus tranſeuntes; & affligere illos ſæuiſsima cæde feſtinent. Ex hoc poſteriorum genere inueniuntur plures. Ex priorum fuit, cuius mentionem facit VVilhelmus Pariſienſis (c. 8. ſecundæ partis, partis ſecundæ principalis) qui cum ioculatore, quem VVilhelmus ſe vidiſſe teſtatur, ſolebat ludere: nec quieſcere eundẽ patiebatur: quiq́; noctis quietem nunc lapidibus in parietem iniectis nunc tumultu & ſtrepitu ſuppellectilis, nunc detracto lecto, interturbabat.

4. Sed diſtinctio hæc non in diſiuncta Spirituum genera eſt, ſed in vnius generis Dæmonium *diuerſa officia*. Nullos Dæmones crediderim, qui tantùm ſunt *Mites*: nullos, qui tantũm ſunt *Truculenti*. Qui nunc mites; poſt truculenti: Qui nunc truculenti; poſt mites. Nam nec mitibus deeſt ſuabilis, aut nocendi poteſtas vel voluntas. Et qui ex odio in nos ſæuiunt (quia mille artes norunt) etiam in Angelos lucis ſe transformant, & ſummam quandoq; ſimulant mititatem.

5. Alij hos moleſtantes Spiritus diſtinguunt, pro ratione *Ordinum*, in quibus à Deo creati ſunt. Hi nec in hoc errant, quòd vt bonos, ita malos Angelos, nouem Ordinibus diſtinguunt: nec in illo, quòd quoſcunque, quorumcunque etiam ſint Ordinum, putant loca infeſta reddere. Quamuis enim ſuperiorum Ordinum Spiri-

Spiritus *beati* minima officia non ſubeant; ſuperiorum tamen Ordinum Nequam Spiritus conditionis ſuæ rationem non habent: & ſæpe, non quòd ipſos, pro naturæ ſuæ conditione, facere oporteat, attendunt; ſed quò libido trahit, perficiunt. De quo aliâs, Diſput. de Dæmoniacis.

Damnatorum hominum Spiritus duplicis ſunt generis. Quidam propter ſolum originale peccatum, cum quo ex hac vita migrarunt, miſeri ſunt: quidam propter actualia etiam, quæ commiſerunt. Poſteriores hos, certis locis, moleſtos eſſe poſſe, clarum videtur ex multis, quæ primo Diſputationis Capite allata ſunt, exemplis. De prioribus maior eſt difficultas; *præſertim* ſi, qui cum originali labe diſceſſerunt, infantes fuerunt: aut teneræ adhuc atque immaturæ ætatis. 6.

Cùm enim hæc moleſtandi ratio horum Spirituum quodquam etiam ſupplicium ſit: quod ob ſua ipſorũ delicta, de ijs Deus Opt. Max. exigit; omnino ab hoc liberi videntur ij, qui propria voluntate Deum non offenderunt; nec quicquam, quod propter grauius puniantur, commiſerunt, vt hi poſteriores ſunt. 7.

Vniuerſim tamen non facilè negauerim, *hos Spiritus* poſſe eſſe moleſtos. Quid ita? quia quòd defunctorum manes viuentibus moleſti ſint; non ſolùm ob defunctorum, quæ commiſerunt, fit delicta; ſed aliquando etiam viuentium malo merito; quod dignum eſt mortuorum Spirituum moleſtatione vindicari. 8.

Non merebatur Cleonice, Byzantina virgo: vt poſt mortem adeſſet aliquoties viuenti Pauſaniæ: ſed Pauſaniæ hoc exigebat peccatum, & crudelitas. Non matrem Neronis defunctam propria; ſed filij culpa cogebat viuorum rebus ſæpe intereſſe. Et quod poſt mortem Galba eſſet moleſtior, viuentis Ottonis merebatur impietas. De his 1. Cap. 9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Amauerit pater quidam plus æquo filium, Deumque amando grauiter offenderit: Sit alius, qui per nefandam libidinem filium procrearit; quid obſtabit, ne dicamus manibus defunctorum filiorum terreri, affligi, atque moleſtari poſſe parentes viuos? 10.

Probandum erit, Capite decimo ſeptimo, iuſto Dei iudicio fieri, vt crudeles homicidæ innocentium interfectorum Spiritibus infeſtentur: At verò poteſt innocenter vita priuari, non adultus tantùm, qui Deum grauiter offendit: poteſt etiam *infans*, & quem ſolum grauet originalis culpa: quidni igitur & hic, vt ille, poſt mortem grauis erit cædis authori? Hoc probabiliter dici putamus 11.

Digitized by Google

tamus, quamuis contrarium docet Toſtatus in 25. Matt. q. 754.

14. *Purgandæ animæ etiam ſunt in duplici ordine.* Quædam ſolas pœnas perſoluunt, quas in hac vita peccatis grauioribus contraxerunt: quædam etiam leuiores culpas purgatorio igne deponunt. Vtræque viuorum rebus intereſſe poſſunt, & viuentium auxilia excitato ſtrepitu, poſtulare. Sed tamen illæ in primis, quę perſoluendarum pœnarum pondere grauantur. Priorum culpæ facilius expiari videntur, vt ob id hac infeſtatione, ijs viuorum auxilia implorare neceſſe non ſit. Poſteriorum pœnæ, quia grauius, & diutius vindicandæ; etiam hac ratione, poſſunt vel expiari, vel viuentium ſubſidium obtinere.

CAP. V.

Quinam dictorum Spirituum, præ omnibus, frequentius rebus humanis interſint, & loca reddant infeſta.

1. OMnes Spiritus moleſtos *poſſe* eſſe, & *eſſe*, demonſtratum eſt. *An æquè omnes moleſti ſint*, nūc inquiramus. Duplex autem eius, quod quæritur ſenſus eſt. Alter, an omnes *æquales* moleſtias afferant: Alter, an omnes *æquè frequenter* infeſtēt, & mortalibus *adſint*; an potius hi illis frequentius. Poſterius hîc definiendum: prius illud alium habet locum.

2. Difficilis autem admodum eſt illius definitio. Neque enim ex *effectibus* hîc certum argumentum peti poteſt; cùm ſępe eadem hominum, atq; Dæmonum Spiritus operentur. Nec clarum eſt ex Spirituum *confeſſione*; quòd & ſuſpecta illa ſit; & admodum rarò habeatur. Nec deprehenditur ex Spirituum *cōditione & attributis*; cùm quę quorum propria ſint, difficilimum ſit intelligere.

3. Sed tamen omnino intellectu res hæc impoſsibilis non eſt. Cùm enim quæ hîc fiunt, ratione & conſilio fiant, ſi rationem ducem ſequamur, poterimus veritatem ipſam, ſi non perfectè aſſequi, certè à longè intueri.

4. Ratio verò omnino ſuadet, vt credamus quàm rariſsimè Spiritus damnatorum hominum rebus viuētium intereſſe, & moleſtias excitare: frequentius purgandorum hominum: præ vtriſque Spiritus Dæmoniorum.

5. Quam enim ob cauſam credi debet, *frequentius* rebus viuen-

tium

tium adeſſe, & intereſſe *damnatorum hominum Spiritus?* An fortè, quia id ipſi expetunt? *An* quia ita placet Deo Opt. Maximo? An velle id poſſunt Dæmones, ſub quorum poteſtate damnati ſunt?

Expetere hoc non poſſunt ipſi mortalium Spiritus. quia cauſam, cur expeterent, nullam habent: habent verò, cur cupere debeant latere, & ad viuos redire nunquam. Priùs clarum eſt ex eo; quòd *bonum* ſperent nullum: poſteriùs ex *malo*, quod ſuo ad nos reditu incurrunt. 6.

Si miſeris *bonum* aliquod propoſitum eſſet; quod viuorum conſuetudine conſequi valerent, reditum fortè affectarent: *At* propoſitum prorſus eſt nullum. Non fortunarum, aut corporis; quia huius capaces non ſunt. Non animę; quia ea Spirituum horum eſt conditio, vt ſecundùm animam perpetuò debeant eſſe miſeri, & infelices. 7.

Sed & *malum*, quod ſuo ad nos reditu incurrunt, ne reditum affectent, impedit. Illud eſt honoris, quem apud nos ſaluum eſſe cupiunt, iactura: qui in præſentiſsimum periculum hoc reditu adducitur. *An* fortè honoris rationem non habent ſuperbię filij? quorū, vt diuina habent eloquia, *Superbia aſcendit ſemper?* Aut in diſcrimen honor non vocatur; cùm ſocij intelliguntur eſſe Dęmonum? hoſtes Dei? ter, in omnem æternitatem, miſerrimæ creaturæ? 8.

Dei forſitan *voluntate*, atque imperio, rebus viuorum ſæpiùs interſunt damnatorum Spiritus? Verùm vnde hoc conſtat? Quòd Dei voluntate ad nos redeant certum: quòd ſæpiſsimè redeant; nec certum, nec veriſimile, imò improbabile. 9.

Habet hoc Deus Opt. Max. vt legum, quas ſanxiuit, ſtudioſiſsimus ſit obſeruator. Iam verò ita de perditæ ſalutis hominibus ſtatuit; vt quamprimum ex hac vita diſcederēt: mox ſua ipſis ſupplicia, ſuis certis locis, manerent, quæ perpetuum ſuſtinerent. An decretum hoc temerè violabit? An locis alijs, quàm à mundi conſtitutione ordinatis, volet hærere? 10.

Quid verò hîc dubium? Vtrum, quòd perditis hominibus *mox* à morte, ſua maneant ſupplicia? An quòd hæc *certis locis* miſeri ſuſtineant? *An* quòd Deus legum ſuarum ſit ſtudioſus *obſeruator*. 11.

Primùm clarum eſt, vel ſolo diuitis Epulonis exemplo; qui ſuorum, quæ *mox* à morte ſuſtinuit, tormentorum, teſtis eſt miſera illa & lamentabili oratione; *Crucior in hac flamma*. Lucæ 16. Scio quoſdam hoc argumentum illudere, & docere præſentis tēporis verbo, 12.

Digitized by Google

futuras pœnas ſignificari, quas poſt diem Iudicij Epulo, cum alijs damnatis, communes habiturus eſt: ſed attendant illi: vtrum etiam poſt futurum Iudicij diem velint futuros in mundo Epulonis *fratres*; quos tamen ipſe ſuo malo deſiderat ſapientiores reddi: vtrum tunc tempus velint admittere, quo audire licebit *Moyſen & Prophetas*; quos audiendos docet Abraham. Quo tempore licuit Moyſen & Prophetas audire: quo tempore ſuperſtites erant fratres Epulonis, cruciabatur Epulo. *Mox* igitur à morte cruciabatur. Sed de hoc aliâs.

13. Et *certis locis* miſeri ſupplicia ſuſtinent: In Inferno, Damnatorũ perpetuo carcere: loco vmbroſo, omnis deſperationis & miſeriæ pleniſsimo. de quo licet quidam diſputent, Vbinam ſit: nobis tamen ſatis ex Scriptura colligitur, eſſe intra viſcera terræ. *Infernus ſubtus* (inquit Iſaias cap. 14.) *conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui.* Et Eccleſiaſticus prædicens aduentum Chriſti ad inferos(cap. 24.) dixit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Denique explicans Scriptura(Num. 16.) quomodo Dathan & Abiron deſcenderint in Infernum, ait: *Diſrupta eſt terra, ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderũtq́, viui in Infernum, operti humo.*

14. Longè verò eſt à Deo, quas ipſe *leges* poſuit, mox *violet. Fidelis eſt in omnibus verbis ſuis. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur; neq;, vt filius hominis, vt mutetur.* Num. 23. *Apud ipſum nulla tranſmutatio,* inquit B. Iacobus c. 1. Ipſe verò, *Ego Deus,* inquit, *& non mutor,* Malach. 3. Quid ex his? Hoc ſcilicet; Non facilè redire Spiritus hominum damnatorum.

15. Sed & hoc quærimus, *quam ob cauſam* poſsit Deus velle, vt miſeri rebus viuentium, interſint? An vt teſtes ſint ſuppliciorum infernalium, apud viuentes? Habent hi Moyſen & Prophetas; illos audiant. Habent Verbum Dei; illi credant. Fortè credituri ſunt ex inferis reſurgentibus: Si Moyſi; Prophetis, & Verbo Dei non credunt; nec credent reſurgentibus à mortuis. An fortè volet redire; vt per hos de peccatoribus iuſta exigat ſupplicia, & peccata inflictis malis vindicet? Hic ipſi ſeruiũt mentes Angelicæ, ab hoc, & alijs (quibus Deo famulantur) officijs dicti *Adminiſtratorij Spiritus.*

16. Ex his facilè colligitur aut *nunquam* viuorum rebus intereſſe hominum damnatorum ſpiritus, quod dici non debet; aut intereſſe *rariſsimè*, quod in hoc Capite probare nobis eſt propoſitum. Quamuis enim Deus legum ſuarum obſeruator ſit ſtudioſiſsimus: in ijs tamen

tamen, quæ à libera ipſius pendent voluntate, diſpenſat aliquando; & non priuati ſemper; ſed communis boni rationem habet quandoque.

Nec Spirituum igitur propria voluntate, nec Dei permiſſu frequenter viuentibus adſunt hominum damnatorum Spiritus. An fortè hoc volunt *Dæmones*, ſub quorum degunt poteſtate? Primùm omnium hæc res à Dæmonum voluntate non pendet. Quæ Dei legibus ſubiecta ſunt (quemadmodum eſſe oſtendimus, quòd in Inferno ſint damnatorum Spiritus) non Dæmonum, nec vllius creaturæ voluntate; niſi Deus permittat, violantur, aut infringuntur. Quocirca hinc maior neceſsitas, cur ad nos hi Spiritus redire *frequenter* poſsint, non petitur; quàm ex ipſa Dei voluntate. Deinde vt maximè Dæmonum voluntati eſſet ſubiecta; cur tamen, redire velint ad nos Spiritus hos, cauſam non habent Dæmones. Quid enim? An hoc reditu ipſis ſeruitur? an ſic, quod quærunt, regni ipſorũ propagantur fines? an horum indigent opera, vt mortalibus noceant? Nulla hîc ipſis ſeruitus præſtatur. Regnum ipſorum hoc reditu magnas ſæpè patitur defectiones. Per ſe, vt noceant, ſunt promptiſsimi & potentiſsimi. 17.

Quæ cùm ita ſint, ſi qui Spiritus *rarò* rebus mortalium interſunt, profectò *damnatorum hominum Spiritus ſunt*. Addiderim & illud non ſolùm damnatorum hominum Spiritus *rariſsimè* ad nos redire; ſed ſæpe quoque viuentibus *illudi*; vt damnatorum hominum Spiritus ſe videre exiſtiment, qui tamen nonniſi Dæmones ſunt; ſub damnatorum hominum forma, & imagine. Hoc quomodo, & quibus de cauſis Dæmones efficiant, alterius eſt loci. 18.

Poſt hos *frequentius viuentibus adſunt Spiritus hominum purgandorum.* Quamuis enim ipſis ſuus ſit determinatus locus; & hoc, pro Dei voluntate, puniantur: deſiderare tamẽ ipſi poſſunt, vt rebus viuorum interſint; & deſiderio ipſorum atque exſpectationi faciliùs poteſt ſatisfacere Deus. 19.

Damnatorum Spiritus redire non affectant: quia bonum à viuis nullum ſperant. Deſiderant non redire: quia honoris timent iacturam. At alia purgandorum Spirituum ratio. Quia enim boni à viuis & ſperare & conſequi poſſunt; redire deſiderant: & quia honorem non quærunt; quinimò libenter peccatum ſuum agnoſcunt, redire non refugiunt. 20.

Neque erga hos ea ſeueritate, atque vigore iuſtitia, vtitur clementiſsimus Deus; quo erga damnatos, atque reprobatos: quin potius, quia ipſos, vt filios chariſsimos, amat; ſeueritatem diſciplinæ, 21.

D leuiori

ſeuiori pœna mitigat: permittit, vt aliorum ipſis charitas proſit, qui egregia erga bonos omnes flagrant charitate.

22. Accedit, quòd & in hoc ſuo permiſſu magnæ & multæ rationes Deo poſſunt eſſe propoſitę, quæ apud Spiritus damnatorum locum non habent: quas, quia aliâs proſecuti ſumus, hîc repetere neceſſe non eſt.

23 Porrò his purgandis Spiritibus *frequentius adhuc viuentium rebus interſunt Dæmoniorum Spiritus*. Hoc ex dictis, & quotidiana experientia eſt manifeſtum. Cùm enim plurima loca infeſta ſint; & raró purgandorum Spiritus adſint; rariſsimè damnatorum; omninò neceſſe, *frequentiſsimè* Dæmonibus loca infeſta eſſe.

24. Idem aliunde demonſtratur. Ex Spirituum iſtorum voluntate & deſiderio: Ex Dei prouidentia atque ordinatione: Ex hominum quorundam nunc moleſtia, nunc patientia quæ hîc proſequi prohibemur, quòd aliâs illa à nobis ſint tractata; Diſputatione de Apparit. Spirituum.

CAP. VI.

Qui præ cæteris, vt plurimùm ex Spiritibus Dæmoniorum ſoleant rebus viuentium intereſſe: loca reddere infeſta, & mortales moleſtia afficere.

1. IN maximo numero eſſe Dæmones extra controuerſiam eſt. Et profani nôrunt hoc auctores; & Sacrarum literarum ſcriptores. Sed & ſi his præſidijs deſtituti eſſemus, vnius miſeri hominis exemplum magno nobis poteſt eſſe argumento, à quò Dominus verbo *legionem*, id eſt, 6666. (rectius ſecundùm Ianſenium in Euang. Concord. 12250.) aliquando expulit.

2. Confiſi autem hæc multitudo nôn eſt. Quem *Ordinem* Spiritus, antequam ob peccata è cælo diſturbarentur, habuerunt; eundem adhuc habent, habituriq́ue ſunt in omnem æternitatem. Nec mirùm. Naturam ſequitur Ordo: naturam eandem ſemper retinent Spiritus. Vt idcirco nouum videri non debeat, quòd *Regnum* Spiritus illi habere dicantur, Matth. 12. *Principes* item atque *Poteſtates*, Epheſ. 6.

3. Hinc eſt, vt quemadmodum inter beatos Spiritus, *tres* diſtinguuntur

guuntur Ordines; & in ſingulis Ordinibus Chori tres: ita inter Dæmoniorum Spiritus, tria prima genera liceat diſtinguere, & in ſingulis generibus tres Choros; quos iiſdem poſſemus (quamuis vſus non ita permittat) nominibus, quibus beatos Spiritus ſolemus, compellare.

Hęc cùm ita ſint, quæritur, *Omneſne hi Dæmoniorum Spiritus loca reddant infeſta, & moleſtijs mortales fatigent promiſcuè*, an potius, ex toto numero *certi* ſint aliqui? & *qui* illi? quorum Ordinum? quorum Chororum? Curioſa forſitan quæſtio: ſed certè difficilis explicatu: & quæ ſi non magnam, aliquam poteſt lucem præſenti Diſputationi afferre. 4.

Eius verò ſolutio non ex Dæmonum voluntate petenda eſt; ſed diuino potius decreto, decretique cauſis. Si ſolius Dęmonum voluntatis ratio habenda eſſet; nullos iuſtè excluſeris. Si diuini decreti, de pluribus merito dubitaueris. 5.

Quid quærunt magis verſipelles; quid ita expetunt; quàm, primùm ne infernalibus carceribus includantur? Deinde, vt mortalium generi, quibuſcunque rationibus valent, incommodent? Omnium quidem hoc deſiderium: ſed illorum ardentius, qui naturæ præſtantia ſuperant. Quid inde? omnes, & in primis illos ſuperiorum Chororum deſiderare loca viuorum infeſtare, nullamque ipſis pacem relinquere. 6.

Quod inferimus, rectè inferri omnes intelligunt. Sed de *propoſitionum* veritate forſitan quis dubitat. At non minus certæ ſunt omnes, quas ponimus. Certum, omnes Spiritus horrere carceres inferni. Certum, mortalibus omnes cupere incommodare. Certum, horrorem carceris atque nocendi ſtudium maius eſſe apud ſuperiorum Ordinum Spiritus. 7.

Quòd *Inferni carceres omnes horreant*, malintque quibuſuis alijs, quàm inferorum locis eſſe, illud probat, quòd hîc in peccatorum pœnam, quam ſummoperè deteſtantur; conſtituti ſint: ſed inprimis oſtendit ipſorum oratio ad Chriſtum, ipſos ex homine quodam exigentem, facta; qua ſignificant vereri ſe, ne ab ipſo *ante tempus torqueantur* (Lucæ 8.) tum etiam deprecatio, qua vt *in porcos & non in abyſſum* mittantur, rogant, Matth. 8. Scilicet potius *in porcos* cupiunt mitti, quàm in Inferni abyſſum: quod grauius ipſorum in Inferno, quàm porcis, ſupplicium. Et *ante tempus* torqueri ſe exiſtimabant; ſi, ante iudicij diem, ad inferos detruderentur: quod grauioris pœnæ loco habebant, quàm ſi extra inferni locum, ſuum nihilominus infernum haberent. 8.

diſputationis noſtræ diſcurſu quædam exemplis confirmamus & vnde illa petita ſunt, non aſsignamus. Ad primum caput conuerte animum cogitationesque: illud, quod deſiderabitur, docebit.

CAP. II.

Multiplicia eſſe loca, quæ à Spiritibus infeſtantur: & quòd omnia ad duo genera poßint reuocari, quæq; ſit inter ipſa differentia.

1. PRæcedenti Capite demonſtratum eſt *eſſe quædam loca Spectris & Spiritibus infeſta*; ſed ita; vt ſimul inſinuatum ſit, non vnius generis omnia illa eſſe. Datæ ſunt infeſtæ *domus*; vt inter alias illa, quam Alexander ab Alexandro inhabitauit, Dati *fundi*; vt Heſperij, quorum meminit Auguſtinus. Datæ *arces* & *palatia*, vt illa in Scotia, ob Spirituum gemitus Mons doloroſus dicta. Datæ ciuitates; vt Moguntia. Datæ *inſulæ & prouinciæ*, apud Aquilonares populos, & in Saxonia *Epiſcopatus* Hildesheimenſis. Rurſus data loca ſubterranea, in Fodinis metallicis. Data priuata, vt domus, quam Theodorus, Sicæorum Archimandrita, purgauit. Data publica, vt Angulares Thermæ &c. Sed hæc omnia ad *pauciora genera* reuocantur.

2. Et quidem, ſi rectè ratiocinabimur, duo conſtitui poſſunt. Locorum enim quædam poſſumus dicere *infeſta propter homines*: quędam *infeſta per ſe*. *Infeſta propter homines* illa vocamus, quæ non niſi propter certos homines, quos ipſi Spiritus perſequuntur, horrida ſunt. *Infeſta per ſe*, quorum infeſtationis ratio ex ſpiritibus; & non ex hominibus, qui iiſdem locis degunt, petitur.

3. Itaq; *infeſta propter homines* ſunt, domus, quæcunque Pauſaniam Spartianorum Regem excipiebat: domus quam Nero poſt cædem matris inhabitabat: Locus, vbicunque Otto Romanorum Imperator, poſt internecionem Galbæ, reperiebatur, &c. Hos ſiquidem, quocunq; diuerterent, ob vindictam patrati ſceleris, infeſtantes ſequebantur Spiritus.

4. *Infeſta per ſe erunt*, fundus Heſperij, apud B. Auguſtinum: Thermę Angulares, apud B. Gregoriū: domus, tam illa, quam Theodorus Sicæorum Archimandrita liberauit; quàm alia, quam Romæ inhabitauit Alexander: Aquilonares prouinciæ, & arces Olai Magni; campi VVormatienſes: & fodinæ metallicæ, &c.

5. Multiplex verò eſt, inter hæc duo locorum genera, *differentia*. Prima à *tempore*, quo Spiritus moleſtare incipiunt, ſumitur. Nam in il-

In illis, quæ propter homines infeſta ſunt, prius ipſi homines in locis inueniuntur; quàm loca Spectris ſint horrida. Quia enim certis locis Nero, Pauſanias, atque Otto inueniebantur; idcirco moleſtantes patiebantur Spiritus, quibus antea caruerant. In poſterioribus, prius ipſa loca infeſta ſunt, quàm hominibus moleſtia à Spiritibus afferatur; quemadmodum 1. Cap. allata probant exempla.

Altera differentia à *duratione petitur*. Illa tamdiu infeſta ſunt, 6. quamdiu homines, quos infeſtantes Spiritus ſequuntur, iis locis degunt, & cauſas moleſtiarum non tollunt: Sublatis verò hominibus, aut cauſis moleſtiarum ceſſantibus, deſinunt infeſtantes Spiritus. At poſteriora hæc infeſta manent; quamuis etiam ab hominibus prorſus deſerantur.

Tertiam differentiam ſuppeditant *fines Spiritibus in his locis propoſiti*. 7. Qui prioribus locis inueniuntur, vindices plerumque ſunt patratorum ſcelerum; quemadmodum Spiritus virginis à Pauſania interfectæ; manes matris Neronis, & Imperatoris Galbæ. Qui verò poſterioribus, non item. Et quamuis aliquando, non tamen ſemper, mortales affligunt: vt verò affligant, per ſe ipſis propoſitum non eſt.

Quartam differentiam *formæ*, quibus ſe Spiritus dictis locis exhibent. 8. Præbent priorum locorum Spiritus *plerumque* ſub eorum ſe ſpecie (& ob id humana) exhibent, qui iniuriam paſſi, vindictam his terriculamentis expetere videntur. Hinc à matris Spiritu Nero; à virginis Byzantinæ Pauſanias; & à Galbæ Spiritu Otto cognouit ſe perſecutionem pati. At poſteriorum locorum Spiritus, nunc ſub proprijs, nunc ſub peregrinis formis conſpiciuntur, quemadmodū primi Capitis exempla demōnſtrant.

Quintò differunt dictorum locorum Spiritus; quòd *in priori genere pauciores* ferè inueniantur, qui moleſtent; *in poſteriori plures*. 9. Rarius audimus, quoſdam ſuos vbiq; moleſtantes ſequi Spiritus; ſępius certis atque definitis locis alios atque alios moleſtos eſſe.

Denique hoc differunt, quòd in his alia; quàm illis, *expiandis* ratio 10. ſeruari debeat. In iis, quę propter homines infeſta ſunt, præcipua eſt occupatio, (ſi modò plena ſecuritas obtinēda eſt,) cum hominibus, quorum cauſa loca infeſta ſunt; in alijs non tam hominum, qui infeſtis locis degunt; quàm ipſorum locorum ratio habenda eſt, quemadmodum ſuo loco docebitur; Tertia parte Diſput. præf.

Cæterùm, quamuis iam dictis rationibus loca hæc diſtinguantur; multa tamen habent communia, imprimis illud, quòd in vtriſ- 11.

que om-

que omnis generis moleſtantes Spiritus deprehendantur, dæmoniaci ſcilicet, & hominum, tam purgandorum, quàm perpetuis ſupplicijs deputatorum. De quo in ſequentibus.

CAP. III.

Tria eſſe Spiritum genera, quæ loca infeſtent, de quibus præſens eſt Diſputatio.

1. IN argumento Capiti huic præfixo, vnum certum ponitur, alterum in quæſtionem vocatur. Illud eſt, Eſſe plura Spirituum genera, per quos loca infeſtari queant: hoc, Quinam illi ſint Spiritus. Nec de potentia quæſtio eſt; Sed de *facto*, quia, non, quinam valeant loca infeſta reddere; ſed qui reipſa infeſtent, quæritur.

2. *Primum* autem omnium confeſsione manifeſtum eſt. Nec malè. Quoniam ſunt boni Spiritus, & mali: & inter vtroſque (vt de Deo Spirituum auctore nihil dicamus) quidã humani ſunt; vt inter malos damnatorum animæ; inter bonos, mentes beatæ atq; purgandæ: quidam *Angelici*, vt inter malos, Diaboli: inter bonos, Spiritus cæleſtes, in nouem ordines ſiue choros diſtincti.

3. De *potentia* verò quæſtio non eſt, Quinam, videlicet, Spiritus loca infeſtare valeant. Cùm enim omniũ magnæ ſint in res corporeas vires; & in rebus corporeis loca, & quæ in locis ſunt, habeantur: dubium nullum eſt, quin quicumq; Spiritus, ſi modò velint, & nulla ſuperioris authoritate prohibeantur, loca infeſtare poſsint.

4. Qui igitur *reipſa* infeſtant. *Tria potiſsimum Spirituum genera.* Vnum prorſus incorporeorum: duo humanorum: hoc eſt: Diaboli primùm; deinde hominum animæ ad inferorum ſupplicia damnatæ: & tertio illæ, quæ purgatorijs pœnis expiantur, viuentibus moleſti ſunt.

5. Non negamus interim *Angelos bonos* certis quibuſdam locis, & olim viſos eſſe, & modò interdum videri. Plura pro hoc argumento exempla protulimus illa, quam de Spirituum Apparitionibus dedimus, Diſputatione. Nec ita cælis includimus *bonos hominum Spiritus*; vt ipſis quaſi vincula ijnjciamus; & extra cęlũ comparere fas non ſit, quoniam etiam hos ſæpiùs alijs locis viſos eſſe, in iam dicta Diſputatione demonſtratum eſt. ſed aliud eſt *apparere* Spiritus certis locis: aliud locis eſſe affixos quaſi & moleſtos.

6. Quòd ſi quis etiam, ipſorum præſentia opera, loca infeſta fuiſſe, aut eſſe, omninò velit conuincere; non multũ repugnabimus: quæ

tamen

Digitized by Google

tamen nos Loca Infeſta *hac diſputatione* dicimus, illa prioribus, triplicibus Spiritibus, infeſtari, intelligi volumus.

Neminem verò vſque adeò deſipere exiſtimamus, vt omnes omninò, quę vel moleſtiæ percipiuntur; vel tumultus infeſtis locis audiuntur, *bonis tantùm Angelis*, vel certè *humanis illis felicibus* Spiritibus auctoribus fieri credat. Multa hic fiunt, quæ non, niſi à prauis atq; peruerſis; aut certè miſeris hominum Spiritibus fieri poſſunt, vt aliàs demonſtrandum erit. 7.

Sic nec quiſquam erit, qui moleſtias atque tumultus omnes ab Angelicis illis *prauis Spiritibus* putabit excitari. Quemadmodum non omnia, quæ fiunt, cæleſtibus illis beatis poſſunt aſſcribi; ita neque omnia Dæmonibus. Quædam non niſi Dæmones, quædam non niſi homines habent authores. Sic quædam non niſi homines, quædam non niſi Dæmones produnt. 8.

Et quæ hic ab humanis Spiritibus fieri certum eſt, non *eiuſdem conditionis* ſunt omnia, quamuis prodant miſeros Spiritus aliqua: non tamen ſemper damnatos. Neque enim omnes miſeri Spiritus, damnati Spiritus: quamuis damnati omnes, miſeri. Miſeri illi, qui purgatorijs pœnis expiantur: miſeri, & damnati; qui infernalibus ſupplicijs adiudicati. 9.

Cæterùm à dictis *tribus* Spirituũ generibus loca infeſtari, quamuis difficile non ſit, certa quadam ratione docere; *exemplis* tamen rem illuſtraſſe breuitati ſtudentibus ſufficerit. 10.

Pro *Dæmonibus* igitur ſunt Spectra, quæ in fodinis mineralibus, & ſalinis obſeruata: quæ Heſperij domũ reddiderunt infeſtã: quæ in balneis, quorum B. Gregorius Nyſſenus meminit, multis mortem attulerunt: quæq; ꝗ benedicta profligata à Theodoro Sicæorum Archimandrita: quæ agrum Bingenſem afflixerunt: choreæ item Eluarum, quarum mentionem fecit Olaus: Hutingen etiam Hildesheimenſis. De quibus primo Capite. 11.

Præterea terribilis & monſtroſa effigies, quæ ad M. Brutum noctu ingreſſa, & quiſnam eſſet interrogata, reſpondit ſe eius eſſe genium. Fœdum quoque & dirum Spectrum, quod Caſſio Parmenſi obuerſatum eſt, ſub id temporis, quo iuſſu Auguſti interfectus eſt. De vtroque Sabellicus Tom. 4. li. 1. Exemplorum, ca. 3 Denique quæcunq; viſa ſunt ſub peregrinis formis, de quibus capite 19. Theſ. 9. & 10. in ſequentibus.

Pro *animabus purgandis* ſunt, Paſchaſius; quem celebrat Gregorius Magnus: Spiritus, qui obſequium aliquamdiu exhibuit presbytero, Felici, Portuenſi Epiſcopo noto: & armatorum, vt credimus, 12.

mus,

mus, tamequitum, quàm peditum multitudo, quæ in agro VVormatienſi, multis noctibus atque diebus, conſpecta eſt: de quibus 1.cap.

Mater quoque S. Eliſabethæ Hungarorum Reginæ; quæ filiæ poſt mortem apparuit; pœnas, quas ob vitam negligentius actam ſuſtineret, expoſuit: & vt filiæ ſuffragijs iuuetur, rogauit: & tandem, voti compos facta, pro matura liberatione gratias egit, cum ſecundò iam filię, poſt fuſas ad Deum preces, appareret. quemadmodum in eius Vita teſtatur Iacobus Montanus Spirenſis, ca 23.

13. Denique pro ijs, qui *inferni cruciatibus addicti ſunt*, eſt Vmbra, quę Athenis domum, quam poſtea Athenodorus inhabitauit, turbabat: ſunt manes matris Neronis, Cleonicæ Byzantinæ Virginis, & Galbæ Imperatoris: Aethiops, qui apparuit Iſidoro Monacho: de quo vide Theſin 8. c. 38. Spectra demum, quæ plurima offerunt Regiones Aquilonares.

Quamuis enim ipſa apparitionis, & infeſtationis horum Spirituum ratio, ipſos damnandorum loco habendos eſſe, non *neceſſariò* demonſtret; ex alijs tamen nullam ijs cum beatis aliquando partem futuram clarum eſt. Ex quibus verò? quia vera fide deſtituti(vt de alijs criminibus dicatur nihil) ex hac vita diſceſſerunt. Nequit cuiquam quæcunque, probè tranſacta, vita ad ſalutem prodeſſe; qui vera fide deſtitutus, præſentem hanc cum alia vita(vt illi) commutat. Pro hac(ne plura dicam,)diſerta eſt B. Auguſtini ſententia, li. de fide ad Petrum. Firmiſsimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, non ſolum omnes Paganos; ſed etiam Iudæos, Hæreticos atque Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam, præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.

Eodem modo in damnatorum Spirituum numero illi erunt; qui quamuis cum Chriſtiana fide; ſine charitate tamē hinc diſceſſerunt: quemadmodū idem Auguſtinus eodem loco his verbis teſtatur: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, nō omnes, qui intra Eccleſiam Catholicam baptizantur, accepturos eſſe vitam æternam: ſed eos; qui, percepto baptiſmate, rectè viuunt, id eſt, qui abſtinuerunt à vitijs & concupiſcentijs carnis. Regnum enim cælorum, ſicut Infideles, Hæretici atque Schiſmatici non habebunt; ſic Catholici criminoſi poſsidere non poterunt.

14. Porrò ex dictis *tria*, vel *quatuor*, inferimus. Primùm eſt, *Animas hominum cum corporibus non interire*; ſed depoſitis corporibus vitam aliam viuere. Hoc probant & defunctorum Spiritus, qui apparent;

& quos-

& quos in diuerſis locis excitanr, tumultus atque terrificationes.

Alterum eſt, *Non vno tantùm loco infernales pœnas ſuſtineri.* Eſto ſit 15.
vnus locus, qui hoc ſibi ius, præ reliquis, vendicet; & qui poſt extremum Iudicij diem, ſolus damnatorum ſedes erit, & domicilium; nunc tamen, præter hunc, plures habet Deus Opt. Max. in quibus debitas, pro meritis, à damnatis, pœnas exigit. Nónne damnati Dęmones? nónne infernalem ignem ſuſtinent? Et tamen eos *mundi Rectores tenebrarũ harum, & Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus* vocat Apoſtolus Paulus. Et aerem ſublunarem plenum eſſe Dęmonibus, vt communis, ita non vana, mortalium eſt opinio.

Tertium eſt, *Non vno loco contineri animas, quæ non plenè purgatæ, ex* 16.
hoc ſæculo diſceſſerunt. Præcipuus earum locus, quem *Purgatorium* dicimus, haud procul ab Inferno conſtitutus eſt, in viſceribus terræ. ad hunc maxima ipſarũ pars à morte demigrat. Pręter hũc, ſingulari Dei prouidentia & clementia, quædam alia habent, quibus purgantur loca. Sed hæc aliò pertinent.

CAP. IV.

Varios eſſe tam Dæmoniorum, quàm miſerorum hominum Spiritus; qui mortalibus moleſti eſſe ſolent, & loca reddere infeſta.

TRia Spirituum genera aſtruximus, quę loca infeſta reddere ſolent: Dæmones, Damnatorum hominum animas, & illas, quę purgãtur. *Vtrũ in ſingulis generibus gradus ſint, & ordines*; an, contra, in vnoquoque genere omnes vnius eiuſdemque conditionis, definiendum eſt. 1.

Dæmonum igitur (ab his initium faciamus) Pſellus, quidam Philoſophus & Chriſtianus, (ſed vt videtur Chriſtianæ doctrinæ rudis) *ſex* genera, ſecundùm locorum varietatem, diſtinguit. Vnum *Igneum* vocatur; quod circa ſublimiorem aerem vagatur. Alterum nominatur *Aereum*, in hoc aere, nobis proximo oberrans. Tertium *appellatur Terreum*; quia plurimum circa terram verſatur, *terrenisq;* rebus, & machinis aduerſatur homini. Quartum dicitur *Aquatile & Marinum*; quod humoribus immergitur, libenter circa lacus & fluuios habitans: in mari fluctus & tempeſtates ſuſcitans; nauigiaque hominibus onuſta, ſubmergens. Quintum eſt *Subterraneum*, ſubter terram habitans, infeſtansque foſſores puteorum, & metallorum: efficiens terræ hiatus; concutiens fundamenta, & flammiuomos ventos excitans. Sextum & 2.

vltimum genus eſt *Lucifugum*, & *inſcrutabile*, & penitus tenebroſum, paſsionibusq; frigidis, violenter multas res perdens. Ita Pſellus lib. de Dæmonibus.

3. Melius alij moleſtantes *Dæmones in duo genera diſtinguunt*; in *Mites*, & *Tetricos*, ſiue *Truculentos*. *Mites* volunt *Lares* dici, qui concubia nocte in domibus verſantur; & aliquid facere ſe, ſtrepitu vario, indicant: nihil tamen faciunt. Germani (inquit Georgius Agricola libro de Animantibus ſubterraneis) *Gutelos* vocant, à bonitate: alij *virunculos montanos* dicunt, quia plerumq; apparent Nani, tres dodrãtes longi. *Truculentos Laruarum* appellatione dignantur: hi familiam terrent, moleſtant, turbant. Vtrorumque meminit Caſsianus, Collat. 7. c. 32. Priorum his verbis: Nonnullos immundorum Spirituũ, (quos etiam *Faunos* vulgus appellat) ita ſeductores, & ioculatores eſſe manifeſtum eſt, vt certa quædam loca ſeu vias iugiter obſidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur: ſed riſu tantummodo & illuſione contenti, fatigare eos potius ſtudeant, quam nocere. Poſteriorũ verò ſequentibus: Alios ita eſſe furori ac truculentiæ deditos, eſt manifeſtum, vt non ſint contenti hominum tantummodo corpora, quos ſuppleuerint, atroci dilaceratione vexare; ſed etiam irruere ſuper eminus tranſeuntes; & affligere illos ſæuiſsima cæde feſtinent. Ex hoc poſteriorum genere inueniuntur plures. Ex priorum fuit, cuius mentionem facit VVilhelmus Pariſienſis (c. 8. ſecundæ partis, partis ſecundæ principalis) qui cum ioculatore, quem VVilhelmus ſe vidiſſe teſtatur, ſolebat ludere: nec quieſcere eundẽ patiebatur: quiq; noctis quietem nunc lapidibus in parietem iniectis nunc tumultu & ſtrepitu ſuppellectilis, nunc detracto lecto, interturbabat.

4. Sed diſtinctio hæc non in diſiuncta Spirituum genera eſt, ſed in vnius generis Dæmonium *diuerſa officia*. Nullos Dæmones crediderim, qui tantùm ſunt *Mites*: nullos, qui tantũm ſunt *Truculenti*. Qui nunc mites; poſt truculenti: Qui nunc truculenti; poſt mites. Nam nec mitibus deeſt ſuabilis, aut nocendi poteſtas vel voluntas. Et qui ex odio in nos ſæuiunt (quia mille artes norunt) etiam in Angelos lucis ſe transformant, & ſummam quandoq; ſimulant mititatem.

5. Alij hos moleſtantes Spiritus diſtinguunt, pro ratione *Ordinum*, in quibus à Deo creati ſunt. Hic nec in hoc errant, quòd vt bonos, ita malos Angelos, nouem Ordinibus diſtinguunt: nec in illò, quòd quoſcunque, quorumcunque etiam ſint Ordinum, putant loca infeſta reddere. Quamuis enim ſuperiorum Ordinum Spiri-

Spiritus *beati* minima officia non ſubeant; ſuperiorum tamen Ordinum Nequam Spiritus conditionis ſuæ rationem non habent: & ſæpe, non quòd ipſos, pro naturæ ſuæ conditione, facere oporteat, attendunt; ſed quò libido trahit, perficiunt. De quo aliàs, Diſput. de Dæmoniacis.

Damnatorum hominum Spiritus duplicis ſunt generis. Quidam propter ſolum originale peccatum, cum quo ex hac vita migrarunt, miſeri ſunt: quidam propter actualia etiam, quæ commiſerunt. Poſteriores hos, certis locis, moleſtos eſſe poſſe, clarum videtur ex multis, quæ primo Diſputationis Capite allata ſunt, exemplis. De prioribus maior eſt difficultas; *præſertim* ſi, qui cum originali labe diſceſſerunt, infantes fuerunt: aut teneræ adhuc atque immaturæ ætatis. 6.

Cùm enim hæc moleſtandi ratio horum Spirituum quodquam etiam ſupplicium ſit: quod ob ſua ipſorũ delicta, de ijs Deus Opt. Max. exigit; omnino ab hoc liberi videntur ij, qui propria voluntate Deum non offenderunt; nec quicquam, quod propter grauius puniantur, commiſerunt, vt hi poſteriores ſunt. 7.

Vniuerſim tamen non facilè negauerim, *hos Spiritus* poſſe eſſe moleſtos. Quid ita? quia quòd defunctorum manes viuentibus moleſti ſint; non ſolùm ob defunctorum; quæ commiſerunt, ſit delicta; ſed aliquando etiam viuentium malo merito; quod dignum eſt mortuorum Spirituum moleſtatione vindicari. 8.

Non merebatur Cleonice, Byzantina virgo: vt poſt mortem adeſſet aliquoties viuenti Pauſaniæ: ſed Pauſaniæ hoc exigebat peccatum, & crudelitas. Non matrem Neronis defunctam propria; ſed filij culpa cogebat viuorum rebus ſępe intereſſe. Et quòd poſt mortem Galba eſſet moleſtior, viuentis Ottonis merebatur impietas. De his *1.* Cap. 9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Amauerit pater quidam plus æquo filium, Deumque amando grauiter offenderit: Sit alius, qui per nefandam libidinem filium procrearit; quid obſtabit, ne dicamus manibus defunctorum filiorum terreri, affligi, atque moleſtari poſſe parentes viuos? 10.

Probandum erit, Capite decimo ſeptimo, iuſto Dei iudicio fieri, vt crudeles homicidæ innocentium interfectorum Spiritibus infeſtentur: At verò poteſt innocenter vita priuari, non adultus tantùm, qui Deum grauiter offendit: poteſt etiam *infans*, & quem ſolum grauet originalis culpa. quidni igitur & hic, vt ille, poſt mortem grauis erit cædis authori? Hoc probabiliter dici putamus 11.

Digitized by Google

tamus, quamuis contrarium doceat Toſtatus in 25. Matt. q. 754.

12. *Purgandæ animæ etiam ſunt in duplici ordine.* Quædam ſolas pœnas perſoluunt, quas in hac vita peccatis grauioribus contraxerunt: quædam etiam leuiores culpas purgatorio igne deponunt. Vtręque viuorum rebus intereſſe poſſunt, & viuentium auxilia excitato ſtrepitu, poſtulare. Sed tamen illæ in primis, quę perſoluendarum pœnarum pondere grauantur. Priorum culpæ facilius expiari videntur, vt ob id hac infeſtatione, ijs viuorum auxilia implorare neceſſe non ſit. Poſteriorum pœnæ, quia grauius, & diutius vindicandæ, etiam hac ratione, poſſunt vel expiari, vel viuentium ſubſidium obtinere.

CAP. V.

Quinam dictorum Spirituum, præ omnibus, frequentius rebus humanis interſint, & loca reddant infeſta.

1. OMnes Spiritus moleſtos *poſſe* eſſe, & *eſſe*, demonſtratum eſt. *An æquè omnes moleſti ſint*, nũc inquiramus. Duplex autem eius, quod quæritur ſenſus eſt. Alter, an omnes *æquales* moleſtias afferant: Alter, an omnes *æquè frequenter* infeſtẽt, & mortalibus *adſint*; an potius hi illis frequentius. Poſterius hîc definiendum: prius illud alium habet locum.

2. Difficilis autem admodum eſt illius definitio. Neque enim ex *effectibus* hîc certum argumentum peti poteſt; cùm ſępe eadem hominum, atq; Dæmonum Spiritus operentur. Nec clarum eſt ex Spirituum *confeſſione*; quòd & ſuſpecta illa ſit; & admodum rarò habeatur. Nec deprehenditur ex Spirituum *cõditione & attributis*; cùm quę quorum propria ſint, difficilimum ſit intelligere.

3. Sed tamen omnino intellectu res hæc impoſſibilis non eſt. Cùm enim quæ hîc fiunt, ratione & conſilio fiant, ſi rationem ducem ſequamur, poterimus veritatem ipſam, ſi non perfectè aſſequi, certè à longè intueri.

4. Ratio verò omnino ſuadet, vt credamus quàm rariſsimè Spiritus damnatorum hominum rebus viuẽtium intereſſe, & moleſtias excitare: frequentius purgandorum hominum: præ vtriſque Spiritus Dæmoniorum.

5. Quam enim ob cauſam credi debet, *frequentius* rebus viuentium

ſtum adeſſe, & intereſſe *damnatorum hominum Spiritus?* An fortè, quia id ipſi expetunt? *An* quia ita placet Deo Opt. Maximo? An velle id poſſunt Dæmones, ſub quorum poteſtate damnati ſunt?

Expetere hoc non poſſunt ipſi mortalium Spiritus. quia cauſam, cur expeterent, nullam habent: habent verò, cur cupere debeant latere, & ad viuos redire nunquam. Priùs clarum eſt ex eo; quòd *bonum* ſperent nullum: poſteriùs ex *malo*, quod ſuo ad nos reditu incurrunt. 6.

Si miſeris *bonum* aliquod propoſitum eſſet; quod viuorum conſuetudine conſequi valerent, reditum fortè affectarent: *At* propoſitum prorſus eſt nullum. Non fortunarum, aut corporis; quia huius capaces non ſunt. Non animę; quia ea Spirituum horum eſt conditio, vt ſecundùm animam perpetuò debeant eſſe miſeri, & infelices. 7.

Sed & *malum*, quod ſuo ad nos reditu incurrunt, ne reditum affectent, impedit. Illud eſt honoris, quem apud nos ſaluum eſſe cupiunt, iactura: qui in præſentiſsimum periculum hoc reditu adducitur. *An* fortè honoris rationem non habent ſuperbię filij? quorū, vt diuina habent eloquia, *Superbia aſcendit ſemper?* *Aut* in diſcrimen honor non vocatur; cùm ſocij intelliguntur eſſe Dęmonum? hoſtes Dei? ter, in omnem æternitatem, miſerrimæ creaturæ? 8.

Dei forſitan *voluntate*, atque imperio, rebus viuorum ſæpiùs interſunt damnatorum Spiritus? Verùm vnde hoc conſtat? Quòd Dei voluntate ad nos redeant certum: quòd ſæpiſsimè redeant; nec certum, nec veriſimile, imò improbabile. 9.

Habet hoc Deus Opt. Max. vt legum, quas ſanxiuit, ſtudioſiſsimus ſit obſeruator. Iam verò ita de perditæ ſalutis hominibus ſtatuit; vt quamprimum ex hac vita diſcederēt: mox ſua ipſis ſupplicia, ſuis certis locis, manerent, quæ perpetuum ſuſtinerent. An decretum hoc temerè violabit? *An* locis alijs, quàm à mundi conſtitutione ordinatis, volet hærere? 10.

Quid verò hîc dubium? Vtrum, quod perditis hominibus *mox* à morte, ſua maneant ſupplicia? An quòd hæc *certis locis* miſeri ſuſtineant? *An* quòd Deus legum ſuarum ſit ſtudioſus *obſeruator.* 11.

Primùm clarum eſt, vel ſolo diuitis Epulonis exemplo; qui ſuorum, quæ *mox* à morte ſuſtinuit, tormentorum, teſtis eſt miſera illa & lamentabili oratione; *Crucior in hac flamma.* Lucæ 16. *S*cio quoſdam hoc argumentum illudere, & docere præſentis tēporis verbo, 12.

futuras

futuras pœnas ſignificari, quas poſt diem Iudicij Epulo, cum alijs damnatis, communes habiturus eſt: ſed attendant illi: vtrum etiam poſt futurum Iudicij diem velint futuros in mundo Epulonis *fratres*; quos tamen ipſe ſuo malo deſiderat ſapientiores reddi: vtrum tunc tempus velint admittere, quo audire licebit *Moyſen & Prophetas*; quos audiendos docet Abraham. Quo tempore licuit Moyſen & Prophetas audire: quo tempore ſuperſtites erant fratres Epulonis, cruciabatur Epulo. *Mox* igitur à morte cruciabatur. Sed de hoc aliâs.

13. Et *certis locis* miſeri ſupplicia ſuſtinent: In Inferno, Damnatorũ perpetuo carcere: loco vmbroſo, omnis deſperationis & miſeriæ pleniſsimo. de quo licet quidam diſputent, Vbinam ſit: nobis tamen ſatis ex Scriptura colligitur, eſſe intra viſcera terræ. *Infernus ſubtus* (inquit Iſaias cap. *14.*) *conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui*. Et Eccleſiaſticus prædicens aduentum Chriſti ad inferos (cap. *24.*) dixit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Denique explicans Scriptura (Num. 16.) quomodo Dathan & Abiron deſcenderint in Infernum, ait: *Diſrupta eſt terra, ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderũtq́; viui in Infernum, operti humo*.

14. Longè verò eſt à Deo, quas ipſe *leges* poſuit, mox *violet*. *Fidelis eſt in omnibus verbis ſuis*. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur; neq́; vt filius hominis, vt mutetur*. Num. *23*. *Apud ipſum nulla tranſmutatio*, inquit B. Iacobus c. 1. Ipſe verò, *Ego Deus*, inquit, *& non mutor*, Malach. *3*. Quid ex his? Hoc ſcilicet; Non facilè redire Spiritus hominum damnatorum.

15. Sed & hoc quærimus, *quam ob cauſam* poſsit Deus velle, vt miſeri rebus viuentium, interſint? An vt teſtes ſint ſuppliciorum infernalium, apud viuentes? Habent hi Moyſen & Prophetas; illos audiant. Habent Verbum Dei; illi credant. Fortè credituri ſunt ex inferis reſurgentibus: Si Moyſi, Prophetis, & Verbo Dei non credunt; nec credent reſurgentibus à mortuis. An fortè volet redire; vt per hos de peccatoribus iuſta exigat ſupplicia, & peccata inflictis malis vindicet? Hic ipſi ſeruiũt mentes Angelicæ, ab hoc, & alijs (quibus Deo famulantur) officijs dicti *Adminiſtratorij Spiritus*.

16. Ex his facilè colligitur aut *nunquam* viuorum rebus intereſſe hominum damnatorum ſpiritus, quod dici non debet; aut intereſſe *rariſsimè*, quod in hoc Capite probare nobis eſt propoſitum. Quamuis enim Deus legum ſuarum obſeruator ſit ſtudioſiſsimus: in ijs tamen

tamen, quæ à libera ipſius pendent voluntate, diſpenſat aliquando; & non priuati ſemper; ſed communis boni rationem habet quandoque.

Nec Spirituum igitur propria voluntate, nec Dei permiſſu frequenter viuentibus adſunt hominum damnatorum Spiritus. An fortè hoc volunt *Dæmones*, ſub quorum degunt poteſtate? Primùm omnium hæc res à Dæmonum voluntate non pendet. Quæ Dei legibus ſubiecta ſunt (quemadmodum eſſe oſtendimus, quòd in Inferno ſint damnatorum Spiritus) non Dæmonum, nec vllius creaturæ voluntate; niſi Deus permittat, violantur, aut infringuntur. Quocirca hinc maior neceſsitas, cur ad nos hi Spiritus redire *frequenter* poſsint, non petitur; quàm ex ipſa Dei voluntate. Deinde vt maximè Dæmonum voluntati eſſet ſubiecta; cur tamen, redire velint ad nos Spiritus hos, cauſam non habent Dæmones. Quid enim? An hoc reditu ipſis ſeruitur? an ſic, quod quærunt, regni ipſorũ propagantur fines? an horum indigent opera, vt mortalibus noceant? Nulla hîc ipſis ſeruitus prꝑſtatur. Regnum ipſorum hoc reditu magnas ſæpè patitur defectiones. Per ſe, vt noceant, ſunt promptiſsimi & potentiſsimi. 17.

Quæ cùm ita ſint, ſi qui Spiritus *rarò* rebus mortalium interſunt, profectò *damnatorum hominum Spiritus ſunt*. Addiderim & illud non ſolùm damnatorum hominum Spiritus *rariſsimè* ad nos redire; ſed ſæpe quoque viuentibus *illudi*, vt damnatorum hominum Spiritus ſe videre exiſtiment, qui tamen nonniſi Dæmones ſunt; ſub damnatorum hominum forma, & imagine. Hoc quomodo, & quibus de cauſis Dæmones efficiant, alterius eſt loci. 18.

Poſt hos *frequentius viuentibus adſunt Spiritus hominum purgandorum.* Quamuis enim ipſis ſuus ſit determinatus locus; & hoc, pro Dei voluntate, puniantur: deſiderare tamẽ ipſi poſſunt, vt rebus viuorum interſint; & deſiderio ipſorum atque exſpectationi faciliùs poteſt ſatisfacere Deus. 19.

Damnatorum Spiritus redire non affectant: quia bonum à viuis nullum ſperant. Deſiderant non redire: quia honoris timent iacturam. At alia purgandorum Spirituum ratio. Quia enim boni à viuis & ſperare & conſequi poſſunt; redire deſiderant: & quia honorem non quærunt; quinimò libenter peccatum ſuum agnoſcunt, redire non refugiunt. 20.

Neque erga hos ea ſeueritate, atque vigore iuſtitia, vtitur clementiſsimus Deus; duo erga damnatos, atque reprobatos: quin potius, quia ipſos, vt filios chariſsimos, amat; ſeueritatem diſciplinæ, 21.

Digitized by Google

guuntur Ordines; & in ſingulis Ordinibus Chori tres: ita inter Dæmoniorum Spiritus, tria prima genera liceat diſtinguere, & in ſingulis generibus tres Choros; quos iiſdem poſſemus (quamuis vſus non ita permittat) nominibus, quibus beatos Spiritus ſolemus, compellare.

Hęc cùm ita ſint, quæritur, *Omneſne hi Dæmoniorum Spiritus loca reddant infeſta, & moleſtijs mortales fatigent promiſcuè*, an potius, ex toto numero *certi* ſint aliqui? & *qui* illi? quorum Ordinum? quorum Chororum? Curioſa forſitan quæſtio: ſed certè difficilis explicatu: & quæ ſi non magnam, aliquam poteſt lucem præſenti Diſputationi afferre. 4.

Eius verò ſolutio non ex Dæmonum voluntate petenda eſt; ſed diuino potius decreto, decretique cauſis. Si ſolius Dęmonum voluntatis ratio habenda eſſet; nullos iuſtè excluſeris. Si diuini decreti, de pluribus merito dubitaueris. 5.

Quid quærunt magis verſipelles; quid ita expetunt; quàm, primùm ne infernalibus carceribus includantur? Deinde, vt mortalium generi, quibuſcunque rationibus valent, incommodent? Omnium quidem hoc deſiderium: ſed illorum ardentius, qui naturæ præſtantia ſuperant. Quid inde? omnes, & in primis illos ſuperiorum Chororum deſiderare loca viuorum infeſtare, nullamque ipſis pacem relinquere. 6.

Quod inferimus, rectè inferri omnes intelligunt. Sed de *propoſitionum* veritate forſitan quis dubitat. At non minus certæ ſunt omnes, quas ponimus. Certum, omnes Spiritus horrere carceres inferni. Certum, mortalibus omnes cupere incommodare. Certum, horrorem carceris atque nocendi ſtudium maius eſſe apud ſuperiorum Ordinum Spiritus. 7.

Quòd *Inferni carceres omnes horreant*, malintque quibuſuis alijs, quàm inferorum locis eſſe, illud probat, quòd hîc in peccatorum pœnam, quam ſummoperè deteſtantur; conſtituti ſint: ſed inprimis oſtendit ipſorum oratio ad Chriſtum, ipſos ex homine quodam exigentem, facta; qua ſignificant vereri ſe, ne ab ipſo *ante tempus torqueantur* (Lucæ 8.) tum etiam deprecatio, qua vt *in porcos & non in abyſſum* mittantur, rogant, Matth. 8. Scilicet potius *in porcos* cupiunt mitti, quàm in Inferni abyſſum: quod grauius ipſorum in Inferno, quàm porcis, ſupplicium. Et *ante tempus* torqueri ſe exiſtimabant; ſi, ante iudicij diem, ad inferos detruderentur: quod grauioris pœnæ loco habebant, quàm ſi extra inferni locum, ſuum nihilominus infernum haberent. 8.

Digitized by Google

9. Quòd verò *viuentibus cupiant incommodare omnes*, nemo non nouit. Clara eſt Apoſtoli oratio. *Diabolus*, inquit, *circuit tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret*. 1. Petri. 5. Idem alius Apoſtolus cõfirmat; dum docet nobis perpetuum grauiſsimumque eſſe bellum non aduerſus carnem & ſanguinem, ſed *aduerſus Principatus & Poteſtates; aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum*, &c. Epheſ. 6.

10. Sic dubium non eſt, *magis exhorreſcere inferni clauſtra ſuperiorum Ordinum Spiritus*. Quò illorum natura præſtantior, eò indignius ferunt peccatis ſuis cõſtitutas pœnas. Superborum hoc ingenium eſt. Præterea, cùm pœna ipſis ſit hic carcer; quò grauius ipſorum delictum: eò quoq; pœna carceris ipſis moleſtior. at grauius ſuperiorum eſſe delictum quis dubitat? Nonne grauitatem peccati dignitas perſonæ, quæ peccat, auget grauiſsimum igitur huius carceris odium.

11. Nec dubiũ, *grauius ſuperiorum Spirituum eſſe odium erga miſeros mortales*, quàm ſit inferiorum. Cùm enim odium ipſorum ex noſtro bono proficiſcatur; quò perfectius hoc Spiritus cognoſcunt, eò grauiori odio erga nos flagrabunt. At cognoſcunt tanto perfectiùs ſuperiorum Ordinum Spiritus, quanto naturæ dignitate, intelligendi vi, & ingenij perſpicuitate inferiores ſuperant.

12. Quocirca, quod initio dicebamus, ſi ex voluntate Spirituum iudicium petendum eſſet; non his potiùs, quàm illis infeſtatio locorum tribuenda; cùm ęquè *omnes* ab inferorum carcere cupiant abeſſe quàm remotiſsimè: æquè *omnes* cupiant mortalibus, quas poſſunt, moleſtias afferre.

13. Verùm, quod omnes cupiunt, non omnibus conceſſum videtur. *Diuinum decretum ipſis*, quemadmodum peccatoribus omnibus, *alias leges præſcripſit, & poſuit*. Exigit Deus pro ratione delictorum ſupplicia: grauiſsima grauiſsimis, leuia leuibus vindicat. Quorum igitur Spirituum grauiora peccata; illorum grauiora ſupplicia: quorum leuiora; leuiora ſupplicia.

14. Iam dubium non eſt ſuperiorum Spirituum grauiora multo eſſe peccata, quàm inferiorum. Oſtendit alicubi S. Thomas grauiſsimum fuiſſe peccatum primi Angeli: ſed qua ratione ille oſtendit huius fuiſſe grauiſsimum, eadem grauiora eſſe ſuperiorum Spirituum facilè concludunt docti: grauior igitur conſtituta pœna ſuperioribus.

15. Quid inde? *Rarius rebus viuentium intereſſe Spiritus ſuperiorum Ordinum frequentius inferiorum*. Quomodo hoc? quoniam pœnarum & ſup-

Digitized by Google

ſuppliciorum, quæ Dæmonibus decreta ſunt, haud parua pars ſunt ipſi, quibus concluſi ſunt, carceres. Si verò inferni carceribus ſuperiores concluſi ſunt; quomodo rebus viuentium poſſunt intereſſe? eoſdemq; moleſtare?

Aſſertionem hanc haud parum confirmant terriculamenta nocturna, quæ mortes hominum ſolent portendere. Hæc omnibus propemodum locis; omnibus propemodum temporibus obſeruātur: & authores, vt plurimùm inferiorum, non ſuperiorum Ordinum Spiritus habent. quemadmodum docet Libellus de Terrificationibus nocturnis, aliâs à nobis datus. 16.

Cæterùm, non ob hæc, vniuerſim omnes ſuperiorum Ordinum Spiritus excluſos à viuentium locis volumus: non volumus omnes Inferno ita concluſos, vt nulli inde ad viuos patuerit aliquando, aut adhuc pateat acceſſus. Quamuis carcer ipſis ſit iuſta pœna: poteſt tamen is, qui eos hac carceris iuſta pœna exercet, Deus Opt. Max. alia in eoſdem aduertere; quam etiam, extra infernum poſiti, maximo cum ſuo cruciatu ſuſtineant. Hoc ſolum volumus eſſe definitum, *frequentius eos, qui inferiorum ſunt Ordinum, & Chororum, loca reddere infeſta, & viuentibus moleſtos eſſe*. Vide Caput 12. de Dæmoniacis. 17.

CAP. VII.

Quinam ex Spiritibus ijs, qui purgatorias pœnas ſuſtinent, faciliùs ad viuos redeant, & viuentium ſuffragia poſtulent.

DIfficilis videtur ad propoſitam quæſtionem reſponſio: propterea, quòd ex locis purgatorijs reditus Spirituum ad viuos, pro Dei fiat voluntate atque iudicio; quod *abyſſus multa* dicitur, Pſalmo 35. & hominum ingenio comprehendi nequit. 1.

Nec enim Spirituum pro nobis hîc ſuppetit *confeſſio*. Nouimus multos ex ipſis ad viuos rediiſſe: ſed neminem nouimus, qui, cur ſibi hoc, præ cæteris, priuilegium conceſſum ſit, cauſas dederit, ex quibus quinam præ cæteris redeant, coniecturam capere poſſimus. 2.

Digitized by Google

3. Nec ex *peccatis*, quæ purgatorio igne expiantur, coniectura petenda eſt; quaſi illi faciliùs redeant, qui leuiora, & quæ veniam facilius merentur, commiſerunt: illi vel nunquam, vel difficilius, qui perpetrarunt grauiora. quoniam & difficile admodum eſt nobis de grauitate peccatorum, quæ ab alijs committuntur, iudicare; & eorum, qui ex purgatorijs locis ad nos redierunt, quidam leuius, quidam grauius deliquiſſe videntur.

4. Sic *ſtatus perſonæ* hîc parum facit; fuerit ſacris initiatus, qui ad nos redit, an homo profanus: quaſi hi præ illis, aut illi præ his facilius viuentibus adſint. Non tantùm redeunt ſacris initiati: non tantùm homines profani. Ex vtroque genere redeunt: ex vtroq; æquè frequentes redeunt. Nec profanus ſtatus facit, quòd redeant; nec ſacer, quòd non redeant; aut contra.

5. Verùm quamuis ex his ſimilibuſque rebus nulla coniectura capi poſsit; non tamen omninò *nullam eſſe* dici debet. Probabiliter admodum dicitur eos facilius ad viuos redire, *qui dum viuerent, vt redirent, quaſi meruerunt*, id eſt, qui illarum ſe virtutum ſtudio exercuerunt, quæ diuinam clementiam atque bonitatem maximè ſolent conciliare. Nec hoc mirum. Cùm enim ex ſingulari Dei clementia hi Spiritus redeant; nonne credi poteſt ijs hoc præ cæteris priuilegium concedi facilius; qui dum nobiſcum communem vitam agerent, eandem Dei clementiam pluribus, maioribuſque rationibus ſibi conciliârunt?

6. Sed quæ hæ *rationes*? quæ hæ *virtutes*? Duæ præcipuæ. Flagrans & ſingularis erga Deum charitas; & ardens, proximum, & inprimis piè in Chriſto defunctos iuuandi, ſtudium. Non poteſt non *Deus diligentes ſe diligere*; &, ob id, iiſdem benefacere. Et omnino conuenit, vt *qua quis menſura alijs menſus eſt, ipſi remetiatur*; atque ob id mortuus viuorum poſsit experiri, aut etiam expetere ſuffragia, qui viuens mortuorum patrocinium ſuſcepit, eoſdemque quibus potuit rationibus iuuit.

7. Eſt & aliud piè defunctorum genus, quod ſepiùs redire ſolet, viuentiumque operam implorare. Illorum, inquam, qui *ære alieno grauati* plenam perfectamque reſtitutionem, cùm ex hac vita diſcederent, non fecerunt. De horum reditu plurima noſtris temporibus referuntur exempla. Damnare omnia quis audeat?

8. Scimus, non talibus; ſed hæredibus officere, ſi per hæredes, quæ reſtitui ſeriò mandarunt, non reſtituantur, bona: ſed tamen reſti-

tutio.

ctitionem illi apud hæredes vrgere meritò poſſunt; tum quòd omnibus bene velint, ſed ijs in primis, quibus ipſi, quouis modo, peccati occaſio (vt hic fit) fuerunt; tum quòd hæc per hæredes facta reſtitutio aliquod ipſis in pœnis leuamen eſſe poſsit. De quo plura capite 79.

Quod verò hi Spiritus meritò petere poſſunt, quidni idem idem permittit Deus Opt. Max. & quidem ipſis? Dei chariſsimis amicis? in rebus (vt alieni eſt reſtitutio) ad ſalutem maximè neceſſarijs? cum magno ſæpe eorum ſolatio & fructu, quorum bona ab iniquis poſſeſſoribus habentur? 9

Atque hæ ex parte ipſorum Spirituum petitæ ſunt cauſæ. Veruntamen quoniam ex Dei voluntate hic reditus maximè pendet, non negandum eſt, alias perſæpè diuinam prouidentiam habere, cur eoſdem reditus permittat: qui nunc ex viuorum, nunc ex alijs defunctorum rationibus petantur: nunc etiam in ſolam diuinam, mortalium generi occultiſsimam, prouidentiam referantur. 10

Addo præterea, nec tãtum robur recenſitas à nobis cauſas habere; vt *ſemper* credi debeat talibus Spiritibus facultatem fieri ad viuos redeundi, eorumque ſuffragia, excitatis tumultibus, implorandi. Quemadmodum ſi his diuina clementia mouetur, vt reditum permittat, Spiritus defunctorum poſſunt gratias agere; ita ſi reditum neget, non habent, quod conquerantur. fit Spiritibus gratia, quòd redeant: non fit iniuria, ſi reditus negetur. 11

CAP. VIII.

Qui ex Spiritibus hominum damnatorum faciliùs aut frequentius ad viuos redeant, ijſque excitatis tumultibus moleſtias pariant.

EX *peccatis hominum* qui horum Spirituum moleſtias patiuntur; *peccatis item Spirituum*, qui moleſtias afferunt: omnino deprehendi debet, *Quinam Spirituum damnatorum hominum* facilius frequentiuſque ad viuos redeant, & infeſti ſint. Et meritò, quoniam vel ipſorum Spirituum; vel viuentium peccatis tribuuntur, quæ ab his moleſtia excitantur. 1

Huius

2. Huius illud magnum argumentum eſt; quòd non facilè hos Spiritus moleſtias attuliſſe deprehendes, quin vel Spirituum obſerues delictum aliquod; vel hominum, qui moleſtias ſuſtinent, culpam. Sed hoc maius, quòd quáuis graue hiſce Spiritibus ſit inferni carcere concludi, vagariq́; malint; inuiti tamen ad viuos, vt ab ijs cognoſcantur, redeant; & quotieſcunque redeunt; in ſuam (ſi non aliorum) ad minimum pœnam, quæ peccato debetur, redeant.

3. Nec enim videtur vlla eſſe alia ipſorum reditus ad viuos cauſa. Ipſi, qui redeunt, ſibi bonum non petunt. non petunt alijs: quibuſcunque tandem ſeſe exhibeant. Illi, quibus apparent, ipſorum præſentia non delectantur: moleſtias verò fuerint ægerrimè. An igitur alia de cauſa, quàm ſua, vel viuentium culpa, viuos moleſtant?

4. Et vt fieri aliquando poſsit, quòd ob nullam *ſuam* culpam ferant moleſtias viui: quis credat, vt malũ aliquod ſuſtineant, quod non merentur, *defuncti*? Cedit ad viuorum emolumentum, ſi immeriti aduerſa patiantur; at emolumentum nullum ſperant hi defunctorum Spiritus. Quocirca ſi non viuentium, defunctorum ſaltem delicto tribuamus, quod inuiti redeant.

5. Cæterùm non *omnia* vel ipſorum, qui redeunt, Spirituum, vel viuentium, ad quos redeunt, peccata, huius reditus ſunt cauſa. Quid? An nòn omnes omnino Spiritus damnatorum hominum redire neceſſe eſſet ad viuos, cùm ipſorum nullus ſit, quẽ non ſua peccata ad inferos detruſerint? Et ex viuorum genere, quàm ſunt multi, qui etiam grauibus ſe inuoluerunt peccatis; & tamen horum Spirituum moleſtias nunquam experiuntur?

6. *Certa quadam* peccata ſunt, quibus hic, cum moleſtia coniũctus, reditur tribui debere videtur. Nec malè, tum quia rarius accidit; tũ quia, cùm ſingulare quoddam inſolitumq́; vindictæ ſit genus, ſingularibus quibuſdam delictis, & non promiſcuè quibuſuis, ille decretus exiſtimari debet. Atq; hoc inſinuaſſe forſitan videtur Porphyrius, l. 2. de Abſtinentia animaliũ. Nam cum de prauis & fallacibus Dæmonibus dixiſſet, mox hæc de Animabus ſubdit. Tales, inquit, ſunt & Animę defunctorum, quæ varijs oppletæ è corpore migrarunt: conflictantur enim etiam tunc, iræ & concupiſcentiæ perturbationibus: & in naturam conuerſæ Dæmonum, ſimiles illorum redduntur: noxię ac turbulentæ in varias ſe vertunt formas: ac modò conſpicuas ſe oculis præbent, modò recondunt: & ita eludunt aciem tum intuentium, tum etiam cogitantium. Hoc Porphyrius.

7. Sed *quæ* iſta peccata? Exiſtimo horum alia ex ipſis moleſtantibus

bus Spiritibus; alia ex viuentibus, qui moleſtias patiuntur, eſſe petenda. Vtrique poſſunt quædam commiſiſſe, quæ propter & illos conueniat redire, viuentibusque moleſtos eſſe; & viuentes horum moleſtias ſuſtinere. Et *quæ Spirituum defunctorum*? hæc prius indagemus,

Omnia, ſi generatim de ijs loquamur, ad vnum genus, quæ charitatis erga proximum iura enormius violantur, reuocari poſſunt: Si ad ſpecies deſcendamus, alia ſunt, quibus officium, quod parentibus debetur, in grauem contumeliam eſt verſum: alia, quibus viſcera miſericordiæ erga ſumma, vel graui, egeſtate laborantes clauſa fuerunt: alia, quibus ijdem oppreſſi ſunt. Vt huius reditus rectè tria ferè genera peccatorum conſtitui debeant, *impietas*, ſcilicet, *erga parentes: induratum erga egentem proximum pectus: & grauis in ſubditos tyrannis.* 8.

Et quidem exempla eorum, qui reuerſi leguntur, magnam noſtræ aſſertioni fidem faciunt: Sed tamen ratio, quàm hoc conuenienter fiat, clarius demonſtrat. Primùm optimo iure hęc pœna damnatis hiſce debetur. Deinde, & mortales cognoſcant Deum peccata, quibus in proximum grauius peccatur, iuſtiſsimè punire (vt hic punit) magnæ rationes probant. 9.

Norunt omnes, quantùm pietas erga parentes filijs commendata eſſe debeat. Norunt, quantùm ſupplicium impijs omni iure conſtitutum ſit. Cùm igitur defunctorum Spirituum graue ſupplicium ſit ad viuos redire; quis dubitabit, quin Deus hoc ſupplicij genere eorum peccata, qui *in parentes impij* fuerunt, vindicare iuſtiſsimè velit? 10.

Ita miſericordia indigni ſunt, qui *miſericordiam miſeris negant*; & quibus poſſunt modis & commodiſsimè valent, miſeris egentibus non ſubueniunt: maluntq; cum Dei offenſa in greges impudentium canum, aut obſcuros Lenones, expēdere ſuas ſubſtantias; quàm, cum maximo animarum ſuarum lucro, Chriſti membris egentibus conferre. Sacrarum literarum auctoritate confirmata eſt ſententia. *Iudicium illi ſine miſericordia, qui non præſtitit miſericordiam*. Iacob. 2. Et hi igitur hac vindicta digni. 11.

Nec meliori loco *tertij illi* habendi ſunt. quinimò hoc illorum conditio eſt deterior, quòd non ſolùm miſeris pro ratione ſuarum facultatum non ſubueniant; ſed etiam miſeros reddant miſeriores, & vulnera vulneribus, mala malis addant. Quorum verò aut par culpa eſt; aut etiam grauior: leuior erit pœna atque ſupplicium? 12.

Atque quemadmodum horum, vt ita dicam, barbaries mere- 13.

ſecti eſſe,prout diuinæ prouidentiæ viſum fuerit. Verùm de hoc plura in ſequentibus.

CAP. IX.

Vtrum ſemper in propria perſona adſint viuentibus Spiritus, dum moleſtias excitant: & oſtenditur ex omni genere aliquando adeſſe.

D*Vobus modis* intelligi poteſt Spiritus moleſtijs, quæ ab ipſis afferuntur, viuentibus adeſſe, videlicet vel autoproſopos, id eſt, in propria perſona; vel hetroproſopos in perſona aliena. Quemadmodum enim quis duplicem perſonam poteſt ſuſtinere, propriam, vel alienam: ita poteſt vel propria, vel aliena perſona dici adeſſe, & ſe exhibere, atque moleſtus eſſe. 1.

De Spiritibus igitur, qui moleſtias mortalibus afferre creduntur, quæſtio eſt, Vtrum quotieſcunque rebus mortalium interſunt, moleſtique ſunt, ſemper adſint in *propria perſona*: & quæ fieri obſeruantur, ipſi præſtent; an non ipſi; ſed alij ipſorum nomine, quidquid agitur, perficiant; qui ob id ipſorum perſonam ſuſtinere & gerere dici poſsint, 2.

Et quæſtio eſt præcipua *de humanis* Spiritibus. De *Dæmonibus* res adeò quibuſdam eſt certa, vt in illam ſuſpitionem venerint; per *hos ſolos* moleſtias omnes afferri; nullas per Spiritus humanos. Spiritus humanos ita ſuis locis eſſe concluſos; vt nunquam exire inde liceat. quocirca & ſemper illudi viuentium ſenſibus, quotieſcunque ſub humana, quam etiam norunt, Spiritus conſpiciantur, aut moleſtent. 3.

Et ſententia hæc nobiles authores habet, teſte Maldonato, in *16.* Lucæ. Nam Chriſoſtomus in Homil. vltima de Lazaro, alijſque nonnullis locis: Tertullianus in libro de Anima: & Athanaſius, aut quiſquis author eſt qq. ad Antiochum, q. 11. & *13.* & Iſidorus lib. 8. Etymolog. ca. 9. & Theophylactus in 8. Matthæi, prorſus negant *vnquam* fieri reditus animarum defunctorum, ad viuos.

Sed & cur fieri non conueniat, multas rationes afferunt. Primùm, id viuis vtile non eſſe: qui ſi viuis non credunt, ne mortuis quidem credent; vt Abraham diuiti reſpondet. Deinde, quòd ſi etiam ipſis oculis damnatorum ſupplicia homines cernerent, nihilo ſe magis à peccatis abſtinerent.

Quotidie, inquit Chryſoſtomus, *fures & alios reos ad ſupplicia duci vident; & ijſdem ſe, propter quæ illi puniuntur, peccatis inuoluunt*. Præterea, quod ſi id fieret: progreſſu temporis res in contemptum veniret: & non magis mortui nos, quàm viui commonerent, vt eodem loco Chryſoſtomus inquit. Denique, quod ea res multorum errorum cauſa eſſe poſſet; dum Dæmon fingens ſe alicuius mortui animam eſſe, homines ludificaret, & quidquid vellet, illis perſuaderet, vt Tertulianus, Chryſoſtomus & Athanaſius argumentantur. *Nam & cùm ſciamus*, inquit Chryſoſtomus, *mortuorum animas non redire: tamen ſæpe Dæmon, per quietem & ſomnium, quæ vna ratione poteſt; animarum defunctorum perſonam ſumit: quid facturum fuiſſe, ſi animas redire ſciret*. Ita dicti Patres. Quid nos?

4. Libenter his concedimus *Spiritus Dæmoniorum autoproſopos ad ſuperos redire*, ijſdemque moleſtos eſſe. Ratio fieri poſſe docet. Probant quotidiana exempla. Communis hîc omnium conſpirat conſenſus. Nec eſt, quod contrarium demonſtret.

5. Damus quoque his, *Non ſemper adeſſe humanos Spiritus*, etiam tunc, quando omnino adeſſe videntur. Quot modis hominum ſenſibus poſſunt illudere Dæmones? Quoties nunc hos, nunc illos exhibent; quando neutri autoproſopos adſunt? Quoties tumultus, tragœdiasque excitant, quæ ipſis authoribus fiunt; & tamen Spiritibus humanis tribuuntur?

6. Nunc in Angelos lucis ſe transformant Nequam: nunc Dei ſimulant perſonam: nunc Sanctorum hominum; quemadmodum aliâs dictum eſt. Et qui horum poſſunt perſonam effingere, atque diſsimulare; non poterunt Spirituum, vel purgandorum, vel damnatorum hominum?

7. Non minor eſt Dæmonum virtus; quàm bonorum Angelorum (ſi quid beneficio naturæ habent, attendamus.) At Angelos, & hominum, & Chriſti, & Dei perſonam ſuſtinuiſſe tam eſt certum, quàm quod certiſsimum. Quidni igitur perſonam purgandorum Spirituum, atque damnatorum hominum referant aliquando Dæmones?

8. Beatiſsimus Auguſtinus, libro de Cura pro mortuis agenda, cap. 13. quod probamus, probat; & ex illo colligit: quod *eundem Spiritum quandoq; eodem tempore in diuerſis, maximisq; diſtantibus locis apparuiſſe certa experientia probatum ſit*: in quibus tamen locis ipſummet reuera fuiſſe *perſonaliter* non facilè quis dixerit. Et quis eos Spiritus autoproſopos rebus, viuentium adeſſe, aut intereſſe dixerit, quos Necromantici ad viuos reuocare ſe exiſtimant? Quales fuerunt,

runt; quos Oſthanes, Necromantiæ nobiliſsimus profeſſor, apud Plinium.li.30.ca.2.reuocauit: illi etiam, quos Appion per Cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocatur Oſyrites, adduxit, & qua patria Homerus, quibuſue parentibus eſſet genitus, docuerunt. Præterea mortuus, qui ſexto Pompeio exitum Pharſalicæ pugnæ denunciauit, excitatus ab Eriſtone venefica, apud Lucanum? Omitto his ſimiles. Atque hæc ex ſententia S. Thomæ 1.part.quæſt.89.art.8. ad 2. à nobis ſunt dicta.

Cæterùm quamuis hæc ita ſint, dici tamen non debet, *humanos Spiritus, tam purgandos, quàm damnatos, nunquam, autoproſopos, ad ſuperos redire*, viuentibusque excitatis tumultibus & ſtrepitu eſſe moleſtos. An fortè loca, quibus ob merita deſtinati ſunt, exire non permittuntur? an exire quidem permittuntur; ſed virium infirmitate præpediti, exire nequeunt? An ſi & hoc poſſunt, & illud licet; fruſtra ad viuos redirent; quia nullam nec gratam, nec aduerſam, cum iiſdem poſſent habere communionem. 9.

Primùm dici non debet. *Non eſt ipſis omnis facultas hæc loca egredienti adempta* Cæleſtium Spirituum, ſiue bonorum Angelorum proprius locus cælum eſt; non minus atque Purgatorium purgandorum, & damnatorum hominum, Infernus: veruntamen hi curam noſtri gerunt in terris. Idem cælum proprius locus eſt felicium Animarum; & tamen cælo ipſas concludere indignum cenſet B. Hieronymus. *Tu*, inquit, contra Vigilantium, *Apoſtolis vincula iniicis; vt eſſe ad diem iudicij cogantur in cuſtodia*? Et rurſus. *Cùm Diabolus & Dæmones vbiq; toto orbe vagentur; quare Martyres poſt effuſionem ſanguinis tenebuntur incluſi?* 10.

Fortè his conceditur facultas, quia *felices* ſunt: noſtris purgandis, & damnatis negatur; quia ſunt *infelices*. At infelices non minus ſunt Dæmones, quorum proprius locus Infernus; qui tamen, vt B. Hieronymus loquitur, *toto orbe vagantur*. Præterea, quemadmodum illorum non in hoc poſita eſt felicitas, vt vbiuis eſſe poſsint: ita neque infelicitas horum in eo; vt vno tantùm concludantur loco. Illi felices ſunt viſione Dei, vbicunque etiam agant: hi infelices ſunt ſupplicijs ignis infernalis, quem ſecum, quocunque deueniunt, circumferunt. 11.

Scio Chriſti lege & ſententia purgandis Purgatorium; damnatis Spiritibus Infernum eſſe deſtinatum: ſed exceptionem illa admittit; quemadmodum lex omnis, omniumq; Principum ſentẽtia. Bonum publicum legiſlatori ſemper propoſitum eſt. Hoc ſi lege præterita obtineri poteſt, legis ratio magna non habetur. 12.

In primis B. Auguſtini, qui lib. de Cura pro Mortuis agenda, cap. 15. 16. ait, non niſi impudenter negari id poſſe: idemque confirmat exemplo B. Felicis Nolę Epiſcopi, quem ciuibus Nolanis apparuiſſe teſtatur ſibi conſtare certis teſtibus: omitto etiam exempla, Samuelis, quem ſacræ literæ offerunt, & aliorum, quos probatæ hiſtoriæ ſuppeditant: ipſa quorundam Spirituum ſpecies atq; forma, vox & oratio, officia, hiſque ſimilia magnum ſæpe argumentum præbent, vt omnino autoproſopos Spiritus defunctorum nobis adeſſe credere debeamus.

Nec Abrahami ad Lazarum facta oratio nobis hîc contradicit; in 19
qua tamen plurimum præſidij quidam ponunt. Non enim reſpondet Abraham, non *poſſe*, aut non *ſolere* ad hanc vitam redire mortuos; quemadmodũ ante reſponderat. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt; vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint:* ſed reſpondet, *Habent Moyſen & prophetas, &c.*

Conſtitutum ergo hoc Capite ſit, & *Dæmoniorum* Spiritus ad vi- 20
uentes autoproſopos reuerti, moleſtosque eſſe: & reuerti etiam autoproſopos *defunctorum* hominum; ſiue ignibus infernalibus ad tempus, ſiue perpetuò ſint adiudicati. Sed qui frequentius? Hoc ſequenti Capite definiendum.

CAP. X.

Qui ex moleſtantibus Spiritibus frequentius autoproſopos rebus viuentium interſint, & qui rarius.

QVod coniectura, rationeque conſequi poſſumus, in pro- 1
poſita quæſtione, id tribus membris concludimus, *frequentiſſimè rebus viuentium intereſſe autoproſopos Spiritus Dæmoniorum: Rariùs Spiritus purgandorum: Rariſſimè Spiritus damnatorum hominum.* In his aſtruendis eædem nobis hîc ſeruiunt rationes, quibus ſuperius, Capite quinto, docuimus *rariſſimè* moleſtos eſſe Spiritus hos poſtremos, *frequentius* ſecundos, *frequentiſſimè* primos.

Et de *Dæmoniorum* Spiritibus res clara eſt multis argumentis. Pri- 2
mò, quia etiam quando plerique humanorum adſunt; ipſi non deſunt: & ſæpiſsimè ipſi & ſuo priuato nomine moleſtant; & nomine Spirituum humanorum; quando omninò neceſſe eſt ipſos in propria perſona adeſſe.

Deinde

Digitized by Google

3. Deinde quotieſcunque ſub *brutorum animantium* forma conſpiciuntur Spiritus; quotieſcunque *monſtra* exhibentur, dubium non eſt *autoproſopos* adeſſe Dæmoniorum Spiritus. Hæ formæ humanis non conueniunt; conueniunt tamen, multis, iuſtisque de cauſis, Spiritibus Dæmoniorum. Quoties verò ſub his formis conſpiciuntur Spectra?

4. Tertiò ſæpiſsimè moleſtias tansas, & tales ſuſtinent viuentes, in Spirituum infeſtationibus, vt per humanorum Spirituũ vires non poſſe videantur afferri. Hic ſi quandoque autoproſopos humani Spiritus adſunt, profectò non abſunt Spiritus Dæmoniorum.

5. Quòd ſi iam *ingenium* Dæmonum attendamus; clarius, quod aſſerimus, intelligetur. Cupiunt ipſi viuentibus eſſe moleſti; quocirca & ijſdem adeſſe. Defunctorum hominum alij, id eſt damnati, malunt hominibus eſſe ignoti: alij, quamuis cognoſci non refugiant, moleſti tamen eſſe nollent, ſi alijs rationibus neceſsitates ſuas explicare poſſent. Moleſti igitur qui ſunt, quique conditionem ſuam innoteſcere cupiunt, vt plurimùm Dæmones erunt.

6. *Deus* quoque poteſt velle; vt ijdem ſæpiſsimè rebus mortalium interſint, partim ob grauia, quę in improbis vindicãda ſunt delicta: partim ob profectum proborum; quorum per Dæmones virtutem exercere ſolet. *V*traque enim, quamuis alijs rationibus, per infeſtantes tamen Dæmones, ob plurimas cauſas, perficit.

7. Nam in improborũ delictis vindicandis, intelligunt mortales peccatorum ſuorum grauitatem: defectus ſuos atque errata non latere Deum in cælis: futuræ vitę extremam miſeriam: infeliciſsimam ſuam, niſi reſipiſcant, conditionem: denique non fabularum loco habenda, quę de futuræ vitæ, per Dęmones afferendis, grauiſsimis tormentis Sacrę paginę recenſent: quando eorum etiam in hac vita obſeruant, & experiuntur, quamuis leuia, argumenta.

8. Eadem poſſunt intelligere in proborum exercitio. Sed illud prętere a, quod veriſsimè ab Apoſtolo dictum ſit, *Diabolum circuire, tanquam leonem rugientem; & quærere, quem deuoret*: hoc inquam poſſunt intelligere, quando non ex inſidijs tantùm, & occultè nos adoritur; ſed palam quoque infeſtationibus, moleſtijs, & terriculamentis oppugnat, & exagitat.

9. Hinc tot exempla infeſtationum Dæmoniacarum, non Eccleſiaſtici ſolùm, verùm etiam profani Scriptores literis conſignârunt, & poſteritati tradiderunt. Hinc tot noſtris temporibus, ſi non apud probos, quorum minor numerus, certè apud improbos Dæmonum, nunc ludificationes, nunc infeſtationes.

Cæte-

Cæterùm, vt Dęmoniaci Spiritus frequentiſsimè: ita *rariſsimè autoproſopos adſunt Spiritus damnatorum hominum.* Neque enim ipſi cauſas habent; cur, vt ad viuos redeant, affectare debeant: Neque, vt Deus Opt. Max. ipſos identidem redire velit, rationes iuſtæ inueniuntur: Neque per Dęmones, ſub quorum poteſtate ſunt, redire frequentius coguntur. Hęc, quia ſuperius docuimus, hîc repetere non eſt neceſſe. 10.

At *non ita rarò autoproſopos viuentium rebus interſunt Spiritus purgandi.* Quæ enim cauſæ prohibent damnandorum hominum Spiritus redire; illæ hos ad reditum prouocant. Arcet illos ſuperbia: at hi Spiritus, humilitatis ſunt alumni; & honoris per hunc reditum vel iacturam non faciunt; vel ſi faciunt, tanti non faciunt; quanti bonum, cuius conſequendi ſpe lactantur, 11.

Bonum his proprium magnum eſt propoſitum; libertas, videlicet, à grauiſsimis pœnis; hoc illi ſperare non poſſunt. Quocirca hi, non illi, in hoc ſuo reditu ſingularem Dei clementiam agnoſcunt. Eſt & aliorum ipſis *bonum* propoſitum, quibus ſe exhibent, hos partim de futuræ vitæ ſupplicijs inſtruunt; partim ad opera miſericordiæ Spiritualia, cum magno ipſorum emolumento, inuitant. Neutrum propoſitum eſt damnatis; licet prius aliquando eueniat. 12.

Volet eoſdem etiam ſæpius ad nos redire *Deus Opt. Max.* non propter iam dictas cauſas tantùm; verùm etiam quia filiorum loco habet, dignoſque cenſet, quibus vberiora ſuę clementię argumenta aliquando exhibeat. At hæc in damnatorum hominum Spiritus non conueniunt. 13.

Nec *eâdem neceſsitate* hi Spiritus ad purgatoria loca, quâ illi ad infernum, alligati ſunt. Huius illud haud leue eſt argumentum; quòd his nulla ſit ſpes Infernum aliquando relinquendi; illi certiſsimi ſint, quod purgatorijs locis perpetuò concludi non poſsint. 14.

Hæc confirmant ipſorum Spirituum, qui plerumque moleſtant, *confeſsio.* Exorciſmis enim adiurati plurimi; vt qui ſint, quaſue ob cauſas ad viuos redierint, prodant; miſeriam ſuam explicauerunt, ſeque ſuffragiorum obtinendorum cauſa acceſſe profeſsi ſunt; & fidem verbis ſuis fecerunt; quia poſt ſuffragia exhibita, omnis per illos allata moleſtia & infeſtatio conquieuit. 15.

F CAP.

CAP. XI.

An, & vnde poßit conſtare Spiritus humanos autoproſopos rebus viuentium intereſſe.

1. NOn propoſitum nobis eſt hoc loco explicare quæ res Spiritus humanos prodant: id ad ſecundam huius Diſputationis partem pertinet, ibique multis Capitibus docetur: inquirendum eſt, Quibus ſignis deprehendi poſsit *autoproſopos* rebus viuentium intereſſe. Multùm differunt, Spiritus humanos *adeſſe*, & *autoproſopos adeſſe*. Adeſſe poſſunt, & tamen non autoproſopos adeſſe.

2. Neque hoc mirum alicui debet videri, quia & beatorum hominum Spiritus, qui cum Chriſto in cęlis degunt, ſæpe mortalium rebus intereſſe leguntur; quando tamen *autoproſopos* affuiſſe dicendi non ſunt. Huius D. Auguſtinus, lib. de Cura pro mortuis agenda, ca. *13* hoc non leue cenſet eſſe argumentum, quod eundem Spiritum quandoque eodem tempore, in diuerſis, maximeque diſtantibus locis, apparuiſſe certa experientia probatum ſit; in quibus locis ipſum *autoproſopos* fuiſſe nemo facilè dixerit.

3. Et Chriſti Apparitiones quædam, nobis hic patrocinantur. Sæpe ille aliquibus legitur adfuiſſe; quibus non affuit *autoproſopos*. Et doctiſsimus noſtræ Scocietatis Theologus, Franciſcus Soaroz Tomo *2.* in *3.* partem D. Thomæ Diſput. *51.* Sect. *4.* hoc duobus ferè modis putat accidiſſe; ſcilicet, aut per ſolam imaginariam viſionem *qualis*, inquit, *credi poteſt Apparitio facta S. Martino, & ſimiles*, quæ in ſomnis factæ referuntur, vt de Conſtantino memorat Euſebius, lib. *1.* in vita eius, cap. *23.* Et Socrates, lib. 1. Hiſt. cap *2* & de quodam Ioſepho refert Epiphanius Hæreſ. *30.* Aut per repræſentationem extrinſecam & viſibilem, in aliquo corpore aëreo, ad eum modum; quo olim, ante incarnationem ſolebat Verbum diuinum in ſpecie humana apparere. Et hoc modo exponi poſſunt Apparitiones factæ S. Carpo, Antonio, & multo magis aliæ, quæ leguntur factæ S. Brigittæ & Catharinæ Senenſi, aliæque id genus. Hæc Soarez.

4 Itaque & noſtri Spiritus; id eſt, damnatorum, purgandorumque hominum, poſſunt dici rebus viuentium interfuiſſe; & tamen non *autoproſopos*, ſed *hetroposopos* interfuiſſe; & ob id ex alijs rationibus colligendum, Spiritus humanos rebus viuentium *interfuiſſe*, ijsque moleſtias atque tumultus tribuendos; ex alijs humanos Spiritus eſſe præſentes *autoproſopos*, & per ſe tumultuum, moleſtiarumque eſſe authores.

Porrò

Porrò quod in rebus plurimis vſu venit, vt facilius ſit demonſtrare, quòd res non ſint, quàm quod ſint; & quid non fiat, quàm quid fiat; id hic inprimis locum habet. Haud difficilè eſt demonſtrare, quando autoproſopos non interſunt viuentium rebus, difficilium, docere quando interſunt autoproſopos. 5.

6. Fallit hîc *forma* Spirituum, qua conſpiciuntur; quia quacunque apparent, alijs quàm humanis Spiritibus poteſt attribui. Fallit *tumultus*; quia poſſunt omnes, qualeſcunque excitentur, authores habere Spiritus Angelicos. Fallunt *tempora & loca*, vbi, & quibus moleſtiæ percipiuntur; quia nulla ferè ſunt, quæ iiſdem Angelicis Spiritibus ſunt prohibita. Quid multis? Quidquid humanis Spiritibus proprium videri poteſt, id propemodum Angelicis poteſt conuenire.

7. Sed neque Spirituum *confeſſio*, qua ſe humanos teſtarentur, certam nobis fidem facere poteſt. Quid ſi non humani ſunt, ſed mendacium Dæmoniorum, qui hoc profiterentur? Et ſi humani eſſent; quomodo conſtabit, purgandine ſint, an damnati? Nam quamuis illi mentiri nec poſsint, nec velint; ab his tamen, tanquam Dæmonum ſocijs, mendacia aliena non ſunt.

8. Quocirca omnino conſtituendum eſt, *certò* viuentibus conſtare non poſſe, quinam ex moleſtantibus Spiritibus humanis *autoproſopos*; qui *hetroproſopos* moleſti ſint, ipſorumque rebus interſint.

9. De quibuſdam nihil ominus *faciliùs* creditur, quòd autoproſopos adſint; ijs, ſcilicet; qui ex purgatorijs locis redeunt, viuentiumque ſuffragia poſtulant. Quemadmodum hos *faciliùs* ad viuos redire, & *autoproſopos* redire demonſtratum eſt; quàm Spiritus damnatorum hominum; ita credendum faciliùs, eos autoproſopos nopis adeſſe; ſi quando adeſſe, certis argumentis fuerit deprehenſum.

10. Et quid vetat, cur in *propria perſona* adſint, ſuaſque neceſsitates exponant? Non prohibentur imperio Dæmonum: quia illi nullum in hos Spiritus habent. Non deſtituuntur miniſterio Angelorum in hoc opere; quia promptiſsimi ſunt ad ſua obſequia charisſimis Dei amicis præſtanda. Nec volet eos Deus neceſsitates in aliena, & non propria perſona proponere: quia qui vult aliorum patrocinio ipſos iuuari, non prohibere iudicandus eſt, vt in propria perſona patrocinia eſ flagitent.

11. Forſitan locū, cui deputati ſunt, exire prohibentur. At nec dānati: nec qui in cęlo cum Chriſto regnāt, ita ſuis ſunt cócluſi locis vt exire

aliquando non permittantur: quemadmodum aliâs demonſtratum eſt.

11 Conſtitutum igitur ſit, admodum veriſimile eſſe *Spiritus hominum purgandorum in propria perſona adeſſe*, ſi quando eos ad viuos redire contingit, & rebus viuentium intereſſe.

CAP. XII.

An Spiritus humani cognoſcant, quæ aguntur, vel ab ipſis, vel ipſorum loco ab Angelis (tam bonis, quàm malis) dum rebus viuentium intereſſe dicuntur.

1. Difficultatem in propoſita quæſtione quædam Scripturæ loca efficiunt; quæ omnem omnino cognitionem hiſce defunctorum Spiritibus adimere videntur. Nam Pſal. 145 dicitur: *In illa die* (quando ſcilicet Spiritus exierunt ab homine, & reuerſi fuerint in terram ſuam) *perituras omnes cogitationes ipſorum*. Et Salomon, Eccleſ. 9 docet, *apud inferos non futuram, aut ſapientiam, aut ſcientiam. Meliorem etiam eſſe canem viuum leone mortuo*: propterea, quòd viuentes ſciant ſe eſſe morituros, mortui autem nihil amplius norint.

2. Difficultatem hanc auget Beatiſsimus Auguſtinus; qui, libro de Cura pro mortuis agenda, cap. 13. aſſerit *neſcire animas defunctorum, etiam ſanctorum illa, quæ geruntur apud viuos*: putatque ſibi hic ſeruire primùm illud, quod Iſaiæ 63. dicitur, *Abraham neſciuit nos, Iſrael non cognouit nos*. Deinde illud 4 Reg. 2. quod promiſit Dominus Ioſiæ Regi: *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace; vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.*

3. Et hæc quidem ad omnes defunctorum Spiritus, quomodocunque ad nos redeant, pertinerent; ſed tamẽ in iis, qui *heteroproſopos* rebus humanis interſunt, locum maximè habent. Si enim beati Spiritus ignorant, quæ apud viuos geruntur; quomodo cognoſcent miſeri? quamuis etiam rebus humanis *autoproſopos* interſint? quomodo cognoſcent, ſi *heteroproſopos* interſint?

4. Poſſemus Diſputationem hanc ad omne humanorum Spirituum genus extendere; etiam illos, qui *felices* ſunt; & cum Deo, in cœlis regnant: ſed nolumus nobis propoſitos terminos tranſgredi;

di; no

Digitized by Google

dis noſtris ſumus contenti. De *noſtris*, id eſt, *purgandis & damnatis Spiritibus definiendum eſt; Vtrum norint quæ geruntur*, vel ab ipſis, vel ipſorum nomine ab Angelicis Spiritibus, dum rebus viuentium interſunt.

Quia verò rebus noſtris eoſdem dupliciter intereſſe contingit; 5.
& heteroproſopos & autoproſopos; primùm quidem definiendum erit; vtrum, dum *heteroproſopos* adſunt, quæ geruntur norint: tum deinde vtrum norint eadem quando adſunt *autoproſopos*.

Initio hic ſtatuendum eſt, in graui eos errore verſari, qui hoſce 6.
Spiritus, mox, vbi corpora depoſuerunt, *omnis cognitionis volunt eſſe expertes*. Quid? An fortè cenſent animas cum corpore ſimul interire? ſi verò non intereunt, nullam vitalem exercere operationem? Si verò exercent; quam poſſunt, niſi intellectus, quæ & prima eſt, & ſine qua aliæ eſſe nequeunt?

Manet in anima vis intelligendi: eiuſque illa eſt facultas, vt in 7.
operatione ſua à corpore non dependeat. Docet hoc fides, non repugnat natura Magiſter Ariſtoteles. Cur igitur perpetuò otioſam torpentemque dicemus?

Mihi nunquam perſuaderi potuit, inquit præclarè Cyrus moriens, 8.
apud Xenophontem, *tum animam eſſe inſipientem; cùm ex inſipienti corpore euadit. Non poſſumus incorporalem, & æternam animam in modum glirium immobilem, torpentemque ſentire*: Sententia eſt D. Hieronymi, Epiſtol. ad Pammachium, aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, de anima extra corpus conſtituta.

Sunt quoque hîc ipſorum Spirituum pro nobis exempla. Vni 9.
ipſorum ab Abrahamo dicitur, Lucæ 16. *fili recordare, quia recepiſti bona, in vita tua*. Idem ipſe & fratrum meminit, & multa cum eodem Abrahamo diſſerit.

Sunt alij, qui de malè tranſacta vita ſua, per Salomonem (Sap. 4.) introducuntur ratiocinantes. *Erunt*, inquit, *gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi: & traducent eos ex aduerſo iniquitates ipſorum*. Hæc paucis, qui plura velit, Toſtat. legat Abul. in c. 25 Matth. q. 370. & ſequentibus.

Quid igitur eſt, dicet aliquis, quòd in illa die, quando Spiri- 10.
tus corpora egreſsi, dicuntur *peritura omnes cogitationes eorum?* Reſpondeo non *peritura* dicuntur; quaſi nulla ſint futura; ſed quia non futuræ fructuoſæ. Dicuntur *peritura* cogitationes; quia, adueniente morte, peribunt, quæcunque cogitauerunt miſeri, & facere conſtituerunt, nec optatos fines ipſorum conſilia conſequuntur.

Angelici?& Angelici humanis? Aut quæ apud nos geruntur pleraque ignota poſſunt eſſe Spiritibus, aut Dæmoniorum, aut bonorum Angelorum?

Vtrum verò Angelici noſtra ipſis reuelent; quæque ipſorum nomine illi apud viuos agunt, poſtea dicendum; Hoc nunc certum eſſe exiſtimamus: quòd *niſi illi reuelent*, humani Spiritus, ſiue damnati illi ſint, ſiue purgandi, *cognoſcere hæc nequeant*. 17.

Quòd dicimus, ex *modo*, quo Spiritus à corpore ſeparati intelligunt, facilè cognoſcitur. Duplex illa eſt S. Thomæ, q. 84. art. 1. ad 1. 18
Nunc enim per ſpecies, quas in hac vita ſibi compararunt, intelligunt: nunc per alias, quas, vbi corpora reliquerunt, Deus infundit. Iam verò rerum noſtrarum, quæcunque per Angelos ipſorum nomine geruntur, ſpecies ex hac vita ſecum non deferunt. Sed nec earundem ſpecies Deus ipſis à corpore ſeparatis infundit. Quomodo igitur vel res noſtras, vel quæ Angeli ipſorum nomine operantur, intelligunt?

Fortè rerum harum ſpecies ſecum ex hac vita deferunt? Non deferunt. Species, quas ſecum deferunt, à rebus iam præteritis ſunt abſtractæ, eaſq; repræſentant. & ob id rebus præteritis, non autem futuris, aut præſentibus, quales ſunt, de quibus nobis ſermo eſt, ſeruire poſſunt. 19.

Quòd verò Deus, mox è corporibus egreſsis, Spiritibus nouas infundat, & quidem rerum harum, quarum aut nullus, aut rariſsimus eſt vſus, quis credat? præſertim cùm vel neceſſe non ſit Spiritus noſſe, aut noſtra, aut quæ eorum nomine apud viuentes geruntur; vel hæc Angelorũ reuelatione facili negotio innoteſcere valeãt. 20.

Non igitur *per ſe* hæc Spiritus cognoſcunt, Atque in hanc ſententiam locutum eſſe S. Thomam arbitramur in 1. part. q. 89. art 8. ad 2. verba eius hæc ſunt: Huiuſmodi Apparitiones fiunt per operationes Angelorum bonorum, vel malorum etiam ignorantibus mortuis: ſicut etiam viui ignorãtes alijs viuentibus apparent in ſomnis. vt Auguſtinus docet l. de Cura pro Mortuis agẽda. c. 10. Ita Thomas. 21.

Sed an quod ex ſe non habent; ex reuelatione habent Angelorũ, qui illis ſua miniſteria hîc exhibent *Exiſtimamus habere, vt plurimùm*, Neq; enim damnatis Spiritibus vlla eſſet pœna neque purgandis vllum ſolatium (quę dici non debent) ſi ſe, quamuis in aliena perſona, rebus viuentium intereſſe ignorarent. Atq; hoc de priori. 22.

Reſtat doceamus, vtrum, quando *autoproſopos* rebus viuentium interſunt *& noſtra norint: & ſe rebus viuentium intereſſe ſciant; & cognoſcant, quæ ipſorum nomine, vel gratia, ab Angelicis ſpiritibus aguntur.* 23.

Et qui-

24. Et quidem *omnia hæc* ex aliorum *reuelatione* ipſos cognoſcere poſſe dubium non eſt. Neque enim deterior eſt ipſorum conditio, dum *autoproſopos*, quàm quando *heteroproſopos* viuentibus adſunt. Quocirca ſi hîc poſſunt, poterunt & ibi, Spirituum aliorum reuelatione, hæc cognoſcere.

25. Sed *viſua* num cognoſcunt? Non vna reſponſione quæſtioni propoſitæ poteſt ſatis fieri: quia non vnum quæritur, ſed multa.

26. Primùm igitur, ſi quando *autoproſopos* ad viuos redeunt, *redire ſe, non poſſunt ignorare.* An ignorare poſſunt ſe de loco ad locum tranſire? aut eſſe, vbi reuera exiſtunt? vbi agunt? vbi patiuntur? vbi tumultus excitant? vbi ſunt moleſti?

27. Sed tamen (quod ſecundo loco ſit dictum) *viuentium res, ad quas redeunt, nō per ſe omnes intelligunt.* Dum *heteroproſopos* adſunt noſtra nō intelligunt; propterea, quòd rerum ſpeciebus atque ſimulachris careant; at ijſdem etiam quando *autoproſopos* præſentes ſunt, ſunt deſtituti: & præterea plurima ipſorum poſſunt ijs eſſe occulta.

28. Sic (quod tertio loco dictum volumus) *nec intelligunt ſemper quæcunque ipſorum nomine Angelici Spiritus operantur.* Varia illa ſunt, quemadmodū Capite vigeſimo quinto à nobis explicabitur. Et quædam quidem viſua cognoſcunt, quædam minimè: quæ tamen, vt plurimum Angelorum, qui ipſis quaſi deſeruiunt, habent reuelatione. Sed hæc ad Scholas magis pertinent.

CAP. XIII.

De cauſis & finibus, qui tam Deo, quàm Spiritibus & Spectris, in locis infeſtis, propoſiti ſunt.

1. Cauſæ & fines, ob quos loca à Spiritibus infeſta ſunt, vel ex **Dei**, vel ex *ſpirituum* voluntate petendæ ſunt. Hoc Capite, quid vel illi, vel his propoſitum ſit inquirimus. Quia verò ſpirituum infeſtantium tria ſunt genera; vtrum idem omnes quærant, an aliud illi explicandum erit.

2. Et quamuis res hæc non prorſus humanum ingenium ſuperet, difficultatem tamen aliquam habet; propterea quod Dei hic, hominumque atque Dæmonum voluntatis rationes, cauſasque ſcrutemur; quas cùm per ſe intueri nequeamus, neceſſe eſt ex alijs coniectura aſſequamur. Ab *humanis* autem Spiritibus principium facimus.

Horum

Digitized by Google

Horum duo ſunt genera. Vnum purgandorum: alterum dam- 4.
natorum. Vt vtrorumque alia, atque alia conditio; ita alij atque alij
fines; vbicumque tandem locorum mortales tentare atque mole-
ſtare deprehenduntur.

Purgandis vnum, omnibus actionibus, & tumultibus, quos exci- 5.
tant, *per ſe* propoſitum videtur, *vt viuentium opera iuuentur.* Neque
enim excitati ab ipſis tumultus pœnarum ipſorum aliquod leuamē
ſunt: res per ſe clara eſt: Neq; his incommodare, aut moleſti viuen-
tibus eſſe deſiderant: boni enim ſunt. Neque eorum eſt viuentes aut
à vicijs deterrere, aut ad virtutum ſtudia excitare hac ratione. Hic
Moyſes, Prophetæ, & aliæ rationes viuis ſeruiunt. Suam igitur tan-
tummodo cauſam agunt. Et quemadmodum ſingulari Dei priuile-
gio, alius ipſis, præter communem, pœnarum locus conceſſus eſt;
ita facta poteſtas, vt, ſi poſſint, viuentium ſe iuuent ſubſidijs.

Alijs, *damnatorum* inquam *hominum, Spiritibus* non hic finis eſt. 6.
Veniæ ipſis ſpes nulla eſt, nec vllis poſſunt viuentium ſubſidijs iu-
uari. Vtrumque probè norunt infeliciſſimi. An quærunt hac rati-
one alijs aliquod afferre emolumentum? Non quærunt. boni faciūt
nihil: boni cupiunt nihil: nullis, quantumuis optimis olim in ſæcu-
lo ſodalibus, aut amicis, bene volunt. *Omnis voluntas damnati iniuſta
eſt*, inquit B. Gregorius 8 Moralium. cap 1. Quid igitur infe-
ſtationibus quærunt? Hoc ipſum ferè quod ipſorum ſocij Dæmo-
nes. Sicuti amborum eadem ſocietas & conditio: ita eadem ferè ſtu-
dia: infeliciſſimorum infeliciſſima.

Et quid *Dæmones*? Idipſum, quod omnibus temporibus, omni- 7.
bus locis, omnibus conatibus, omnibus ſtudijs; quæ hominum cau-
ſa, vel ſponte, vel pro Dei imperio ſuſcipiunt. Quemadmodum
ſemper humanæ ſalutis, & incolumitatis ſunt hoſtes; ita his terri-
culamentis, quæ diuerſis locis excitant, hominum moleſtiam, per-
niciemque quærunt impensè; &, præter hanc, vix aliquid Nequam
ſunt ſemper nequiſſimi.

Nullum ipſis in pœnis, quas maximas ſuſtinent, hæc terricula- 8.
menta leuamen afferunt. Quid quod nec gaudium, aut voluptatem
ex iiſdem capiant, quamuis etiam vehementer Nequam Spiritibus
arrideant? Sicuti felices mentes, etiam ex aduerſiſſimis rebus, nul-
lam percipiunt moleſtiam, atq; dolorem; ita ex proſperis Spiritus
miſeri nullam voluptatem. Purus eſt infelicium dolor nullo gau-
dio, reſperſus. Purum eſt felicium gaudium, nullo dolore permix-
tum. Vide huius duplicem cauſam apud Ludouicum. Molinam q.
64 Diſp 3. in 1. part D. Thom.

9. Sic nec miſeri vllum volunt bonum mortalibus, quos infeſtant. Quod ſi quædam ab ijs in ſpeciem bene fieri videntur; ſi in quibuſdam videntur commodare; id totum, vt incommodent, faciunt. Quæcumque ab ijs fiunt: qualiacunq; ab ijs fiunt; omnia ex prauis finibus, quos ſibi propoſitos habent, vitium contrahunt. Quemadmodum ex B. Gregorio doctum eſt, Theſ.6. huius Cap. Quid verò in omnibus machinentur, Capite 15. fuſius demonſtrandum erit.

10. Porrò *Deo*, quemadmodum omnibus in rebus; ita in his infeſtationibus; nōn niſi bonum propoſitum eſt: ſiue ipſo tantum permittente, non autem imperante: ſiue etiam imperante, à quibuſcunq; licet Spiritibus, loca infeſtentur. Docemus in *ſingulis* Spiritibus.

11. In *purgandis* præcipuè miſericordiæ, & bonitatis ſuæ dat documenta; quæ non ipſi ſolùm defunctorum Spiritus; verumetiam viuentes adhuc homines experiuntur. Illi quidem; quòd hac ratione viuentium ſubſidia, quaſi, emendicare valeant, & peccatis debitas pœnas, aliorum pijs operibus redimere: hi verò; quòd intelligant, ex his, peccata ſibi eſſe cauenda: digna pœnitentiæ opera magno animo ſubeunda: non exſpectandas futuræ vitæ grauiſsimas pœnas; denique materiam ſibi benefaciendi, & proximum pijs miſericordiæ operibus iuuandi præberi.

12. In *damnatis* peruerſorum hominum *Spiritibus*, præter miſericordiæ, præbet etiam exemplum iuſtitiæ. Quid ita? quia grauiſsimis remedijs & machinis vrget immeritos mortales ad peccatorum, & malè tranſactæ vitæ, pœnitentiam. Hoc ſummæ miſericordiæ eſt. Et dum eaſdem pœnas quodam modo hominum ſenſibus obijcit; & ijs locis exigit, vbi peccatorum meritis contractæ ſunt, ſe æquiſsimum probat Iudicem: vt qui & ſcelera vindicet; & ibi, cum ſummo miſerorum dolore, vindicet, vbi cum voluptate plerumque contracta fuerunt.

13. In *Dæmonum* infeſtationibus duobus modis ſe Deus habet. Nunc Dæmonum opera vtitur; ipſoq; imperante fit, vt ſpectris loca fiunt horrida: nunc permittit ijſdem, vt pro libidine ſua ſuas nequitias exerceant, & ſpectra exhibeant. Sed tamen vtrobique cum hominum, ſi modò volunt, emolumento. Permiſit Dæmonibus poteſtatem in Iob; in filios eius; in filias: vniuerſamque ſanctiſsimi hominis ſubſtantiam: quanto verò cum Iob emolumento? Præcepit ijſdem (vt fortè non malè creditur) ſubuerſionem Sodomorum, & vicinorum populorum: & ſi non illis, quantus alijs horum exemplo metus iniectus? quot, horum pœna, perculſi, à fœda peccandi libidine reuocati, ſaniora ſectati ſunt conſilia?

Quæ-

Quæcunque infeſtationes locorum, Dæmonum opera patratæ ſunt, ſi bene ratiocinabimur, hominum emolumenta iiſdem Deum (quo permittente, vel imperante factæ ſunt) ſpectaſſe, obſcurum non eſt. id tum in *omnibus*, tum in *ſingulis* facilè eſt deprehendere. 14.

In *omnibus* oſtenditur, præter corpoream, eſſe quandam naturam Spiritualem: illam hominum ſaluti, & incolumitati eſſe infeſtiſsimam: vires illius in corpora, reſque corporeas eſſe maximas: eiuſdem nobis ſocietatem, communionemque peſte & angue peius eſſe declinandam. 15.

In *ſingulis* alia emolumenta capere poſſumus. In illis, quarum in fodinis mineralibus author eſt, diſcere licet, eos qui diuitias quærunt, incidere in laqueos Diaboli; in illa, fundi Heſperiam, magnam eſſe vim atq; virtutem Reliquiarum: in alia, domus infeſtę, à Theodoro Sicæorum Archimandrita, liberatæ, plurimùm valere, contra Diabolicos inſultus, res conſecratas. Sic Deum eſſe vltorem ſcelerum, quibus charitatis fraternæ, iuſtitiæ, & honeſtatis iura violantur, docent illę, quæ propter Pauſaniam, Neronem, atq; Ottonem excitatæ fuerunt. Alię alias habent commoditates. Conſule i. Caput de his omnibus. 16.

CAP. XIIII.

Inter loca eſſe quædam alijs magis infeſta & id contingere, non ex locorum natura, & conditione; ſed pro Dei atque Spirituum voluntate.

QVamuis nulla *propemodum* loca ſint, quæ non infeſtantes admittant Spiritus: quædam tamen eſſe, vbi frequentius inueniantur, haud pauca ſunt, quæ probant: *quæ vbi indicauerimus*, vnde id accidat, explicandum erit. 1.

Igitur inter horrida magis, & Spirituum infeſtationibus expoſita loca, primò ſunt *deſerta & incultæ ſolitudines*. Hoc inſinuare videtur Iſaias Propheta, c. 34. quando deſertis Idumæorum ciuitates docet futuras *domicilia Lamiarum, Dæmoniorum, onocentaurorum, & piloſorum*. Idem ſanctiſsimus Ioannes in ſua Apocalypſi, c. 18. dum deſertam Babylonem, habitationem vocat *Dæmoniorum*, vt ibidem explicat Ribera. Idem Euangeliſta Matthæus, c. 4 cùm Chriſtum aſſerit in *deſerto* Dæmonis inſultus ſuſtinuiſſe. 2.

Sed & ſuo exēplo hoc obſeruare potuerūt olim Eremi incolę; in-

 pri-

primis grandæuus Antonius: de cuius, quæ in *deſerto* ſuſtinuit, Spectris, ſic B. Athanaſius. Dæmones (inquit, in Vita Antonij) beſtiarum & ſerpentum formas induentes, omnia, vbi vir Sanctus agebat, protinus repleuêre phantaſijs leonum, taurorum, luporum, aſpidum, ſerpentum, ſcorpionum: necnon & pardorum atque vrſorum. Et hæc ſingula ſecundùm ſuam fremebant naturam. Rugiebat Leo, occidere volens: Taurus mugitu & cornibus minabatur: Serpentes ſibilo perſonabant: Luporum impetus inhiabat: Pardus diſcolor authoris ſui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, voces horridæ, dirus auditus. Hæc Athanaſius. De Antonio etiam, per *Eremum* ad Paulum iter faciente, ſic habet S. Hieronymus: Conſpicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hipocentauro nomen dedit, & paulò poſt. Inter ſaxoſam conuallem, haud grandem homunculum videt aduncis naribus: fronte cornibus aſperata; cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Hic Antonio reſpondit: *Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis Eremi; quos vario deluſa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans, colit.*

Hanc ob cauſam etiam Hieronymus Eremum dicit *monſtroſorum animalium feracem.* Sanctius verò in cap. 34 Iſaiæ: *Spiritus mali,* inquit, *libenter dicuntur in deſertis locis habitare.* Et Procopius, cap. 13 eiuſdem, *Deſertis,* inquit, *incultisq; locis ipſi Dæmones gaudent.* Hinc quidam ipſorum, cùm iam eijciendi eſſent ex hominibus, à S. Germano, Pariſienſi Epiſcopo, rogabant, vt ſaltem per deſertam ſolitudinem ipſis errare concedatur, ſi inter homines verſari non liceret, ita Fortunatus Pictanorum Epiſcopus, in Vita S. Germani, cap. 30.

Valet pro his locis exemplũ Gordiani, ſpectatæ fidei hominis, cuius Alexander ab Alexandro meminit, li. 2. Genialium dierum, ca. 9. Hic cùm Aretiam, cum familiari ſuo proficiſceretur, & ab itinere longè aberraſſent, *per difficilia & deuia loca, vbi nihil viderent culti, ſed ſaltem nemora;* vergenteque ad occaſum ſole, labore feſſi conſediſſent; tandem hominis vocem procul audire viſi ſunt: quam ſecuti, trium hominum conſpiciunt *Imagines*, immanes & formidabiles, vltra humanum modum; nigris & dimiſſis tunicis, in veſte lugubri funeſtaque, barba capilloque ſummiſſo, horribili facie. Ita Alexander.

Valet & Adriani Patricij Nonarchi, cuius Ioannes Curopalates meminit, in Compendio Hiſtoriarum, fol. 43. Hic cùm ad liberandos Syracuſanos, cum exercitu, à Conſtantinopolitano Imp. mitteretur; & haud proſpera nauigatione vſus, in portu Peloponenſi, qui Accipitris vocatur, hæreret; vrbem captam eſſe intellexit à Dæmonibus.

nibus, loca deſerta incolentibus. Locus eſt, inquit, Curopalates, in Peloponeſo, qui vocatur Palus; propter ſyluæ, quæ ibi eſt, denſitatem, hoc ſortitus cognomentum. Hîc Romanorum claſsis in ſtatione erat. Quadam igitur nocte, cùm Dæmones illic habitantes inter ſe colloquerentur, audierunt Paſtores heri captas, & ſolo æquatas Syracuſas: diuulgataque ab alio in alium fama, ad Adrianum quoque peruenit. qui accerſitis paſtoribus, diligenterque interrogatis, comperit quæ audierat illorum verbis confirmata: cumque vellet ſuis auribus ipſe ea percipere, per ipſos Dæmones percunctatus, audiuit iam captas eſſe Syracuſas. Hæc ibi.

Secundò ſunt *loca humida & paludoſa.* Aſſerit hoc quidem Ioannes Bodinus; ſed Dominus inſinuat alicubi, apud Euangeliſtam Lucam, cap. 11. dum docet eiectos ab hominibus Spiritus, *in locis inaquoſis non inuenire requiem*, & idcirco ad priores ſedes reuerti: ſignificans eoſdem in *locis aquoſis* requiem inuenire; atque ibi ſedes ſuas figere. 3.

Hinc eſt, vt apud Aquilonares populos Spectra plura inueniantur. & flammantes ignes (quę ſępè vel Spectra ſunt, vel non ſine Spectris) ſecundùm aquas conſpiciantur, & ad aquas, vt incautos homines ſuffocent, prouocent.

Hinc in Cracouienſi tractu, infeſtus lacus ab omni piſcatione incolas prohibuit; & anno 1283. nouo Spectro factus eſt celebrior. Rem totam his verbis in ſua Polonia refert Cromerus. Memoratur, inquit, in Cracouienſi tractu Spectrum apparuiſſe. Lacum enim quendam per ampium infeſtatione Dæmonum, piſcationibus & vſibus hominum exemptum fuiſſe. Ad eum, hiberna glacie concretum, vicinos cum ſacerdotibus Vexilla Cruces, & Reliquias ſacras, quibus vis Dęmonum propulſaretur, ferentibus, piſcandi gratia conueniſſe; immiſſo autem reti, primo quidem tractu, contineentibus piſcatoribus, tres piſciculos; altero nihil niſi rete conuolutum; tertio denique monſtrum horrendum caprino capite, & in ſpeciem ignis ardentibus oculis extractum eſſe. territis autem & diffugientibus cunctis, Spectrum illud ſub glaciem ſe ſubmerſiſſe, ac toto lacu diſcurſans, terribilem ſtrepitum & ſonitum edidiſſe: afflatosque ab eo nonnullos homines fœda vlcera retuliſſe. Hæc Cromerus, lib. 9. de Rebus Polonorum, circa finem: fol 169.

Rurſus paluſtris locus eſt decem circiter paſſuum millibus ab Oſepe, quod prædium eſt noui Epiſcopatus Vendæ, in Liuonia. Eſt enim hic *lacus*, (teſte Michaele ab Iſſelt, circa annum 1585 Commentariorum Rerum in orbe geſtarum) qui à Dæmonio ſic infeſtabatur, vt niſi ſingulis annis ſanguis infantium in eum mitteretur, vltra

modum affligeret vicinos, & plurima damna accolis circumquaque inferret.

4. Tertiò ſunt *ſpecus ſubterraneæ*, præſertim vbi metalla, & alia vſibus hominum neceſſaria effodiuntur. Vix aliquam inuenias, quæ non Spectrorum nomine ſit infamis. Pro horum confirmatione, exemplorum gratia, produximus ſuperius, cap. 1. illam *Annebergicam*, quæ *Corona Roſacea* dicta eſt: & aliam *Georgianam*, cuius Georgius Agricola meminit, libro de Animantibus ſubterraneis. Nunc aliam adiungimus ex ſupra dicto Cromero. Is ita loquitur. In ſaliuis Bochnenſibus exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium aſsimulatæ voces in profundiſsimis Specubus: idque mali & incommodi alicuius imminentis portentum vulgo habetur. Cromerus libro priore Poloniæ ſuæ fol. 485.

Refert quoque Georgius presbyter, in Vita Magiſtri ſui, Theodori Archimandritę, apud Surium Tom. 2. fol. 741. quod cum Gratianopolis, in Gordiana regione, incolæ pro ponte conſtruendo, in *lapidibus eruendis* occuparentur, magna vis Dęmonum eruperit: quorum pars viros & fœminas illius loci inuaſerit, & torſerit; pars cęteris graues morbos attulerit: complures occuparint vias, & tranſeuntibus atque beſtijs moleſtiam pepererint.

Idem Georgius ibidem refert, quod ſequitur. *Ex ponti oppido Heraclea*, inquit, *Theodorus, cognomento Latzeas, diues, & claro loco natus, ad pium virum* (Theodorum) *acceſsit*, & ad pedes eius proſtatus, lachrymans ſupplicabat; vt ad vrbem ſuam veniret, & in ſacra æde ſanctiſsimæ Dei genitricis pro domeſticorum ſuorum ſalute precaretur. Cùm enim domi ſuæ foderetur, ex ea foſsione contigit, vt magna Spirituum immundorum multitudo, tum familiares ſuos, tum alios ciues inuaderet, & acerbè vexaret. Beatus igitur vir, cùm in æde illa ſanctiſsimæ Dei genetricis precari cuperet, abijt cum illo; & deſiderio ſuo ſatisfecit, familiamque præclari viri & reliquos ab immundis Spiritibus, precibus & ſupplicationibus liberauit. Ita Georgius.

Hic collis quidam fuit in oppido Sandi, in quo plurima Dæmonia fuerũt, eodem Georgio teſte. Cùm enim Eutolmius quidam aream ſuam cuperet reddere ampliorem, *& collis iam dicti lapidem amoueret; immundi* mox Spiritus egredientes, inquit Georgius, greges armenta atque homines inuadebant, & excruciabant, nec finem, malorum fecerunt, donec adueniens Archimandrita Theodorus omnes rurſus in locum vnde egreſsi erant, compulit.

5. Quartò ſunt *vaſta & ampla arces atque ædificia*. Nouimus quaſdam ab ho

ab hominibus deſertas eſſe, quod Spectris eſſent horridæ. Nouimus alias, in quibus plurimas moleſtias indigenæ ſuſtinent, nunc intempeſta nocte, nunc etiam clara luce. Superius quoque Scoticæ illius facta eſt mentio, quæ à gemitu & eiulatu Sprituum nomen accepit, & *Mons doloroſus* dicitur. Cap. 1. Diſput. huius.

Quintò ſunt *loco memorabili, & crudeli cæde clara.* Hoc nomine *Marathonius campus*, vbi aliquot millia ex Darij exercitu ceciderunt, nocturnis Spectris horridus eſt. Hoc *campus VVormatienſis*, cuius Spectra longiori oratione Trithemius proſecutus eſt. 6.

Referri huc debet *Kerope* in Liuonia caſtrum, vnum ex ijs, quæ Moſchus Polono ceſsit; in quo multi Germani à Moſchouitis occiſi ſunt. Caſtrum hoc, & tota vicinia, illuſionibus diabolicis adeò fuerunt, noſtro adhuc tempore, infeſta; vt Dæmones palam, & in conſpectu omnium, cùm luna nocte ſplenderet, in equis ſedentes, effuſis habenis, circum mœnia, tanto cum impetu, currerent; vt equi defatigati, ſub onere corruerent, & ſubinde morerētur. Interdiu quoque more Moſchorum veſtiti, integros currus onuſtos frumēto in humeros ſuos ferentes, omnibus aſpicientibus, in vicinum lacum villæ cuiuſdam, arci proximum, conijciebant. Hæc Michael ab Iſſelt, circa annum, 1585. ſuæ Hiſtoriæ.

Referri etiam huc poteſt incredibile, vt Bonfinius rerum Vngaricarum, Decad. 3. lib 3 vocat miraculum, quod in Valachiæ *quodam campo* obſeruatum eſt, poſt cruentam admodum pugnam inter Dæan & Merchen, eodem genere natos, & de Valachiæ dominatu contendentes Principes. Miraculum Bonfinij verbis aſcribimus. Secundò, inquit, tertioúe anno, cùm plerique in eum campum deſcendiſſent, vbi patratam ſtragem fuiſſe memorat, editiſsimumque cadauerum aceruum ſpectarent; emiſſam inter oſſa vocem ſubinde exaudiuère, triſtiſsima Ieſu Chriſti Saluatoris & Diuæ Mariæ virginis nomina reſonantem. Admiratio ſimul & pauor hos inceſsit. Cùm ad verba ſubticuiſſent; eadem paulò poſt, quaſi difficulter expreſſa; accepère. Dum vocem inter oſſa diſquirerent, portenti deſiderio ſuccenſi; loquax, inter cadauera, caput inueniunt: quòd vbi homines ſibi adeſſe agnouit Quid tam, inquit, ſtupidi hic ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, & magnæ Matri D. Mariæ ſemper addictus, inexpiatus, inconfeſſusque in hoc bello occubui. Magna Dea, in cuius tutela vitam degi, me æterni ſupplicij reum eſſe non patitur. Hic me adhuc linguæ compotem ſeruauit; vt & delicta fateri, & animum ſacris ritè Apoſtolicis luſtrare queam: proinde ſacerdotem, qui Confeſſionem exaudiat, & me expiatum red-

dat,

dat, accerſite, quæſo, Rogatus, quo tantum à Dea beneficij promeruiſſet, reſpondit: peculiare ſibi id in vita fuiſſe numen, ſeptena, quotannis in vita ſua, feſta reuerendiſsimè celebraſſe, religioſiſsimisq́; ieiunijs, ex pane duntaxat & aqua decoraſſe, ſacris fuiſſe quàm ſtudioſiſsimè operatum: illi tantum numini cunctas animi vires dedicaſſe. Accerſito è pago proximo ſacerdote, Confeſsionem rite tranſegit, & impetrata erratorum omnium remiſsione, acceptaque nouiſsima luſtratione, id defuncti caput repente contriuit, perpetuoque quieuit. Hæc Bonſinius.

7. Dictis locis ſextò adiungimus illa, *vbi innocentis ſanguinis effuſi verſantur rei, & crudeles homicidæ.* Quemadmodum enim quædam loca ob memorabiles cædes clara, Spectris infeſta ſunt: ita quoſdam crudeles homicidas Manes ſequuntur, & infeſtant: omniaque, quibus ipſi degunt, reddunt horrida loca. Docent hoc cùm alij, tum ſæpius repetiti Imperatores, Nero, Otto, Pauſanias, Cap. 1. Diſput. præſentis.

8. Adijcimus ſeptimò *illa; vbi homines quidam grauius Deum offenderunt, pœnasq́ue quas iam vita defuncti ſuſtinent, meruerunt.* Hic nobis ſeruiunt Thermæ B. Gregorij, in quibus Felix Portuenſis Epiſcopus, à presbitero quodam, cognouit, idcirco ibidem illius loci dominum, poſt mortem, obuerſari, & pœnas ſuſtinere; quod *ibidem* diuinam in ſe iram, viuens adhuc prouocaſſet. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40.

9. *Sunt præterea, præ cæteris, infeſta loca, vbi ſe leſ ſuas habent, qui in grauibus verſantur peccatis;* ijs maximè, quibus pietatis, iuſtitiæ, mutuæ charitatis, & honeſtatis iura enormiter violantur. His enim proximos eſſe Spiritus; cùm alij probant, tum exemplum illuſtre, quod verbis Alexandri ab Alexandro, nos Cap. 30. Diſputationis de Dæmoniacis retulimus. Ad hæc loca, illa pertinent; vbi vel Gentilium vigent ſuperſtitiones; vel exulat vera religio. Quàm moleſti Idolorum cultoribus fuerunt *Dæmones*? Et in Liuonia quid non paſsi à fide Apoſtatæ?

10. Denique illa ſunt *loca, in quibus inſignis ſanctimoinæ & pietatis homines commorantur.* Hoc, quamuis recentibus exemplis docere difficilius ſit; præteritorum tamen ſeculorum hiſtoriæ tot exempla demonſtrant, vt propemodum ſit oleum & operam perdere ijs recenſendis immorari. Refert Caſsianus, Collatione 7. ca. 23. in ipſis Cænobijs, vbi olim degebant Monachi, vel octo, vel decem; ita Dæmones graſſatos fuiſſe, & frequentes: *vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire: ſed viciſsim alijs deguſtantibus ſomnum, alias vigilias*

cele-

celebrantes, pſalmis & orationibus & lectionibus inhæſiſſe.

Maximas quoque à Dęmonibus moleſtias ſuſtinuiſſe Monachos, *vbi B.* Gregorius Oratorium ſuum habuit, in eius Vita docet Diaconus, ca. 89. Sic in monte Serrato, inſidijs Dæmonis (qui eremitam ſimulabat) tentatum atque ſuperatum, & grauiſsimis ſe criminibus, fornicationis atq; homicidij obſtrinxiſſe virum alioquin ſanctum, ſolitudinis cultorem, Ioannem Garlinum, referunt Annales Hiſpaniæ, & ex his Patritius quidam Auguſtanus, germanico idiomate, impreſſus Monachij, Anno 1588. Legendus Palladius, qui plurima pro hoc argumento exempla ſuppeditat.

Et hactenus quidem prius huius Capitis membrum explicatum ſit. Sed *vnde accidit, vt his potius, quàm illis locis Spiritus ſint moleſti?* Hoc ſecundo loco inquirendum eſt. Ego verò ſic exiſtimo, huius rationem, vel ex *natura locorum*, vel ex *Dei Spirituumq́; voluntate* petendam eſſe. Neque enim tertium video, in quod huius cauſam conijcere debeamus. 11.

Porrò *natura loci* nullius illa eſt, vt hos infeſtantes Spiritus ad ſe rapiat, atque depoſcat. Quod dicimus, facilè intelliget, qui quæ Spirituum cōditio ſit; quæque ratio locorum, probè perſpectum habuerit. Conditio Spirituum eſt, vt omnis corporeæ concretionis ſint expertes: locorum ratio poſtulat, vt corporum ſint fines; corporumq́ue quorum fines ſunt, afficiantur qualitatibus. Cùm igitur inter Spiritum, corpusq́ue diſtantia maxima ſit; non eſt, quod locum per ſe Spiritus aliquos ad ſe rapere exiſtimemus. 12.

Magna eſt inter Spiritus & corpora, ſi locorum attendamus conditiones, differentia. Corpora quædam non omnibus, ſed certis, definitisq́ue locis producuntur: & quædam non omnibus, ſed certis locis conſeruantur & promouentur: Spiritibus, vt perinde eſt omnibus locis produci; ita & omnibus eſſe, & omnibus conſeruari. Nec malè, quoniā corpora à cæleſtium orbium pendent influxu & motu, circumſtantiumque corporum proprietatibus & affectionibus. Spiritus ab his ſubſidij habent nihil. 13.

Quæ temporum, eadem eſt locorum, apud Spiritus, conditio. Valent illa in corpora, quoniam, vt quidam loquitur, *tempus facit omnia ſeneſcere*; & teſte poeta: *taciti q́; ſeneſcimus annis*: at nihil valent in Spiritus. Hi nec ſeneſcunt tempore; nec tempore langueſcunt. Tam ſunt hodie vegeti, poſtquam aliquot annorum millibus fuerunt; quàm fuerunt primo, quo creati ſunt, die. Nihil igitur mirum, ſi nec quicquam in ipſos poſsint loca. 14.

15. Ex *voluntate* igitur vel Dei, vel Spirituum locorum pendet infeſtatio? Omninò pendet. Quia enim Spiritus quibuſdam locis volunt eſſe moleſti; & quia Deus quædam loca Spiritibus vult eſſe horrida & infeſta; idcirco infeſtantur; idcirco ſunt horrida.

CAP. XV.

Quæ cauſæ, ob quas Spiritus, maximè Diabolici, hæc magis, quàm alia, loca infeſtent.

1. HOc Capite, non cur *loca*; ſed cur *certa loca*, id eſt, *hæc* potius, quàm *illa*, Spectris infeſta ſint, inquirimus. Prius enim illud, ſuperius, Capite ſexto, declaratum: poſterius hoc, non ſine fructu; vt credimus, demonſtrandum.

2. Et quamuis quid ſingulis Spiritibus infeſtantibus propoſitum ſit, inquirendum eſſet: modus tamen orationi imponendus eſt; & ſolùm rationes, cur *Dæmones his potius, quàm illis, locis infeſti ſint* aſſignandæ. Etenim, quid humanis Spiritibus propoſitum ſit; & quas ob cauſas Deus has infeſtationes permittat, aut præcipiat; quæ Capite ſexto dicta ſunt, ſatis ſuperque demonſtrant.

3. Quid igitur *Dæmonibus* ſingulis locis propoſitum eſt? Respondeo *in omnibus quidem terrorem, quem hominibus incutere affectant: in quibuſdam præterea nocumentum, quod ijſdem cupiunt, afferre*: (qualeſcumque tandem illud ſit; ſiue in corpore, ſiue in anima, ſiue in bonis fortunæ) *In aliquibus etiam horum nihil moliuntur, ſed ſuæ tantùm ſeruire videntur libidini*: Sed ſingula loca, quorum Capite ſuperiori meminimus, perluſtremus.

4. In *deſertis igitur* & ab hominum conſuetudine alienis; (de quibus Theſi 2. Capitis ſuperioris) ſuæ libidini ſeruiunt, dum infeſti ſunt, & tumultus excitant. Ne enim nihil agere videantur, dum hiſce degunt; artis ſuæ & poteſtatis, his terriculamentis, aliquot dant indicia. Fortè etiam (quod probabile credimus) brutis animantibus hiſce locis degentibus, tanquam Dei, hoſtis ipſorum hominumque bonis, incommodant. Docet hoc B. Hieronymus in Vita S. Hilarionis.

Quid quod & hominibus, his locis, obeſſe ſtudeant, & eos, vel ad mala prouocare, vel à bono reuocare? Olim quando infidelibus erant omnia plena, idcirco deſertis locis apparebant, vt perſuaderent

rent mortalibus, Deos quoſdam in terra verſari, quibus curæ eſſent montes, & rura, & pecora; quibus ob id ſacrificia offerri oporteret. Hoc facilius tum perſuadere potuerunt, cùm communis omnium ſenſus ſit, *Deos cum hominibus non conuerſari*, vt apud Danielem Prophetam, cap 2. teſtantur Magi. Et in animalium tum figura, quæ rarò videbantur, apparebant; vt & maiorem ſibi reuerentiam conciliarent, rarò viſi: & cùm animalia illa viderentur, etiamſi in ijs non eſſent, in illis tamen ipſi adorarentur. At poſt Chriſti aduentum, apud Infideles quidem idem illis eſt propoſitum: apud fideles verò, (præſertim homines ſanctiores) vt à bono auocarent. Deterrere voluerunt Monachos ab incolenda Eremo, quæ ab ipſo ferè Apoſtolorum tempore coli cœpta eſt; *fuitq;* (vt verbis vtar Caſsiani Collat. 7. cap. 23. (*tanta eorum hic feritas vt vix pauci, & admodum ſtabiles, atq; ætate prouecti; tolerare habitationem ſolitudinis potuerint.*

Idem ferè propoſitum eſt ſecundis locis; *paludoſis* inquam, & humidis. Neque enim vllam aliam, cur loca hæc infeſtent, ſi hominibus inculta ſint, cauſam dare poſſumus. Si verò ad ipſa hominibus aditus pateat præter terrorem, quoque damna afferunt. Hoc ſuperius, Theſi 3. Capitis 14. allata probant exempla. Nam illo, ex Cracouienſi tractu deſumpto, clarum eſt ipſos à piſcatione incolas impediuiſſe: fatuos verò in ijſdem locis ignes, ad interitum incautos inuitare, communis eſt plebis vox; & plurimi ſuo periculo experti ſunt. Sed & hæc loca Dæmones affectare, ob id, poſſunt videri; quòd ſigna ſint eorum, quibus Nequam delectantur & afficiuntur; luxuriæ inquam, atque nefandorum carnis operum. Vt enim rebus, ita rerum ſignis delectantur Spiritus. 5.

In *ſubterraneis ſpecubus* damna mortalibus afferri, aliàs à nobis (id eſt Theſi 4. Capite 14.) allata probant exempla. Quid ſi etiam bona, quæ his locis colliguntur, ipſos mortalibus inuidere dicamus? Hoc omninò probare videtur exemplum ex Glyca primo Capite, Theſi 6. allatum. 6.

Fortè & hîc volunt perſuaſum mortalibus, ſe bonorum ſubterraneorum eſſe dominos; hæcque ab ipſis petenda: quemadmodum illorum quidam, cùm Chriſtum tentaret (Matth. 4.) impudenter, omnium, quæ Chriſti oculis ſubiecerat, ſe Dominum eſſe, haud obſcurè inſinuauit. Quicquid ſit ſiue hæc bona inuideant: ſiue ſe bonorum horum Dominos eſſe perſuadeant, nobis incommodant.

Arcibus & amplis ædificijs plures ob cauſas, poſſunt eſſe Dæmo- 7.

Digitized by Google

nes infeſti; quamuis omnes hæ non in omnibus locum habeant. Sæpe his locis grauiſsima perpetrata, & perpetrantur, ſcelera; quibus Dæmonibus ſeruitur: vt ob id, ijs locis ipſi ſcelerum quoque eſſe & moleſtare debeant, tortores. Sępe his grauiter afflicti & cruciati Innocentes; quorum Manes hac ratione iuſtam vindictam poſtulant. Sępe miſerorum ſanguine & ſudoribus illa constructa, vt ob id iuſto Dei iudicio, non tam hominum, quàm Dæmonum conueniat eſſe domicilia & receptacula.

8. In *locis memorabili, & crudeli cæde claris*, quæ etiam ſpectris infeſta eſſe diximus, (Theſi 7. Capitis 14.) alia Dæmonibus propoſita eſſe videntur. Nunc enim hîc Dei ſunt miniſtri, & carnifices: nunc propria voluntate tumultuum authores. Ibi nõ tam placet, quòd Iuſtitiæ ſint miniſtri, quàm quòd in homines ſæuire valeant: hîc forſitan, in errorem moliuntur inducere viuentes: vt damnatorum animas credant non infernalibus ſupplicijs torqueri.

9. Quando *Innocentium homicidas* ſuis locis perſequuntur; ſi id Deo imperante non faciunt (qui hac etiam ratione ſcelera vindicat) certè, vt ipſos moleſtent: in deſperationis foueam præcipitent; ſibiq; crudeles manus afferant: quærunt verſipelles.

10. Delectantur quoque *locis, vbi grauia commiſſa ſunt crimina.* Et quid mirum? grauia ipſis crimina perplacent: ipſis authoribus ſæpe perpetrantur: ipſis tortoribus vindicantur. Tumultus igitur ijſdem locis, quaſi lætitiæ quædam ſigna, exhibent: & de miſera mortalium conditione, ob perpetrata, ijs locis, crimina, triumphant: & ea quaſi ſui iuris loca eſſe, quibus ipſis ſtrenuè ſeruitum eſt, his moleſtiis inſinuant.

11. Et quemadmodum Deus ſingulari ratione adeſt ſibi ſeruientibus, ſuamq; voluntatem, pro virili exſequentibus: ita ijs locis libenter inueniuntur præſentes, præſentiamq; ſuam teſtantur Dęmones, quibus ipſis ſeruitur. Hanc ob cauſam ſuperius, Theſi 9. capitis 14. inter loca Spectris infeſta illa poſuimus; *vbi ſedes ſuas habent, qui grauibus peccatis ſe inuoluunt*; inprimis verò ijs, quibus pietatis, iuſtitiæ, fraternæ charitatis, atq; honeſtatis iura violantur apertius. Ita propter incolarum ſcelera Dęmonibus infeſtus fuit fũdus Barbilianus, quemadmodum in Vita S. Gregorij teſtatur Ioannes Diaconus, lib 4. cap. 92.

12. Cur è *Sanctis viris inhabitata loca* Dæmonum infeſtationi frequentius expoſita ſint, quod Theſi 10. Capitis 14. aſſerebamus, per ſe clarum eſt. Quas ob cauſas viros Sanctos perſequũtur; eaſdem ob cauſas tumultibus & infeſtationibus excitatis, vbicunq; locorum poſſunt

ſunt, ijſdem ſunt moleſti. Quidni perſequerentur, quos oderunt? At, *Credite mihi*, inquiebat B. Antonius, (vt in Vita eius teſtatur Athanaſius) *odio proſequitur, & pertimeſcit Satanas Sanctorum vigilias, orationes ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, humilitatem; maxime autem ardentem amorem in Chriſtum Dominum.*

CAP. XVI.

Non æquales omnibus locis, omnes homines à Spiritibus moleſtias pati; ſed quoſdam alijs plures & maiores, & in quo inæqualitas hæc poſita ſit.

LOca infeſtari demonſtratum eſt. demonſtratum quoque 1.
ita infeſtari, vt infeſtationes ipſæ atq; moleſtiæ ad homines perueniant. Vtrum verò *ad omnes æqualiter pertingant*, an quidam præ alijs, vel ſæpius, vel grauius moleſtentur, quæritur. Nos vbi, in quo hæc inæqualitas conſiſtere poſsit, primùm expoſuerimus, ad quæſtionem propoſitam, quod res eſſe videtur; reſpondebimus.

Moleſtiæ igitur hæ, vel *modo*, quo accidunt, differre poſſunt: vel 2.
malis, quæ afferunt: vel actuum *numero* & frequentatione. In *modo* conſiderandæ ſunt variæ moleſtandi rationes: In *malis*, damna quæ rebus mortalium Spirituum opera, accidunt: In *numero*, multitudo & pluralitas moleſtiarum.

Diuerſæ moleſtandi *rationes* in his conſiſtunt; vt vel ſolùm tu- 3.
multus & ſtrepitus à Spiritibus excitentur: vel ſolùm, ſine ſtrepitu, viuentium conſpectui ipſi ſe obijciant: vel primò quidem præſentiam ſuam aliquo ſtrepitu indicent; deinde mox ſe videndos exhibeant. Rurſus, hæc omnia, vel fiant ſine oratione & ſermone: vel ita, vt etiam loquantur Spiritus. Præterea, fiunt vel ſine vlla viuentium alia, quàm quæ his actibus percipitur, moleſtia; vel cum alia aliqua; vt ſi dormientibus ſtragula detrahant; ipſos lecto eijciant, candelas exſtinguant, ſuppellectilem, qualiſcunque illa ſit, euertant, &c.

Mala, quæ afferre poſſunt, præcipuè cernuntur in duobus bo- 4.
norum generibus, corporis & fortunæ. Animæ ſiquidem bonis nobis inuitis, incommodare Spiritus non poſſunt. In corporis ma-

lis pono verbera, vſtiones, mutilationes, & his ſimilia: In fortunæ verò damna, quæcunque in externis bonis accidunt.

5. In *numero* diximus pluralitatem moleſtiarum attendi; & actuum quibus moleſti ſunt, frequentationes. Quocirca illis moleſtiores Spiritus dicendi ſunt; qui ipſorum inſultus plures ſuſtinent, contrà illis minus; qui eoſdem vel ſemel, vel non ita frequenter experiuntur. quamquam accidere poſsit; vt vna aliqua, quæ accidit moleſtia, grauior dicenda ſit, vel ex *modo*, quo accidit, vel ex *malo*, quod affert; quàm alioquin multæ, in quibus minus malum affertur, aut minus moleſti ſunt Spiritus. Ex *dictis* æqualitatem, inæqualitatemque moleſtiarum metimur. Nunc *æqualesue Omnes*. *Omnes omnibus* ſint definiamus.

6. Pro huius definitione haud parum ſeurit, quam ſuperius (Cap. 2.) poſuimus diſtinctionem; qua loca alia *per ſe* infeſta diximus, alia infeſta *propter homines*. Etenim in ijs, quę *propter homines* infeſta ſunt, res difficultatem vel nullam, vel paruam habet. Certum omnino eſt in his certos homines, & plures, & grauiores moleſtias ſuſtinere. Cùm enim *per ſe* hæc loca infeſta non ſint; ſed infeſtatio homines ſequatur, & perſequatur; quis dubitabit, quin illi, quorum cauſa loca infeſta ſunt, vel ſoli moleſtias ſuſtineant, vel alijs plures grauioresque ſuſtineant?

7. At in *per ſe* infeſtis, vna omnium, quæ ijs degunt & verſantur, videtur eſſe ratio & cõditio, vt quemadmodum communis eſt locus, ita communis ſit omnium, locum inhabitantium, moleſtia. Neque enim *propter homines* hæc loca infeſta ſunt, ſed *per ſe*. Quocirca fit, vt quicunque & qualeſcunque homines loca hæc accedunt ipſas locorum moleſtias ſuſtinere debeant.

8. Et ita quidem non malè aliquis iudicauerit. Sed tamen, qui exemplorum rationem habere velit, etiam *his locis moleſtiarum inæqualitatem* deprehendet; obſeruabitque quoſdam præ reliquis minus infeſtatos: rurſus, alios præ alijs grauiores moleſtias ſuſtinuiſſe. Prius illud confirmant Spiritus in Idolis latitantes, quorum quoſdam ſtatim conticuiſſe, & reſponſa negaſſe legimus: poſtquam ijſdem locis Chriſtiani, vel eſſent conſpecti; vel ſe ſigno crucis muniuiſſent; Poſterius in omni genere Spirituum clarum eſt. In genere Dæmonum probant ſpectra; quæ Antonium, Paulum, Hilarionem, alioſque Eremi incolas, præ cæteris afflixerunt: & illud, quod in agro Bingenſi à ruſtici latere diſcedere noluit. In genere Spirituum *purgandorum* anima Paſchaſij, & cuiuſdam alterius (de quibus

Theſi

Theſi 3. Capitis primi) qui non quoſuis, ſed certos agreſsi ſunt. In genera denique damnatorum hominum, Spiritus ſociorum Diomedis, de quibus, 18. de Ciuitate Dei, Cap. 18. B. Auguſtinus.

Spirituum quoque ingenium, ſi rectè perſcrutabimur: & hominum conditiones, ſi attentius intuebimur, inæqualitatem moleſtiarum admittit. Non omnium Spirituum idem eſt ingenium: nec idē omnibus in infeſtando propoſitum eſt. Sic hominum quidam ſunt, quos præ cęteris iuſtius, etiam in iiſdem locis Spiritus moleſtare & tentare deſiderare poſſunt. Quod ſi igitur hinc iudicium aliquod peti poteſt; & *purgandas animas & animos damnatorum, & malignos Spiritus*, quoſdam præ cæteris moleſtare, vel certè moleſtare deſiderare, credi poteſt. 9.

Purgandæ animæ, præ cæteris, moleſtæ erunt duobus hominum generibus. primum Catholicis: tum deinde affinitate, vel conſanguinitate, vel quauis alia ratione magis coniunctis. Ratio huius ex fine, qui hiſce Spiritibus propoſitus eſt, petitur.... Subſidium viuentium illi quærunt. à quo igitur ſperare hoc poſſunt; hos præ cæteris tentabunt. At ab Infidelibus, & non Catholicis, qui nullas animas purgari credunt, ſperant nihil. Sciunt hos viuorum, quæ fiunt pro defunctis, ſuffragia ſubſannare. Inter Catholicos autem, (qui defunctorum Spiritus viuorum meritis iuuari credunt) ab iis maximè ſperabunt, quibuſcum magis ſunt coniuncti. quocirca & Catholicos pro ſubſidio tentabunt; & inter Catholicos ſibi maximè coniunctos. 10.

De his Spiritibus crediderim verum eſſe, quod vulgo dicitur, rarius Hæreticos, quàm Catholicos, à Spectris infeſtari: & magis infeſta eſſe Spectris Catholicorum, quàm Hæreticorum loca; quia, ſcilicet, ad Hæreticos redire non affectabunt Spiritus, qui ſpem vitæ æternæ conſequendæ habent. 11.

Animæ damnatorum, quamuis nulli bene, & omnibus malè velint; erga eos tamen infeſtiori animo ſunt, qui pœnarum atque ſuppliciorum infernalium ipſis ſunt authores. Res hæc dubia non eſt. at odium ſequitur vexandi, perſequendi, moleſtandi libido. Hos igitur præ cæteris perſequentur. 12.

In infeſtatione *Dæmonum* poteſt haberi ratio vel criminum, ob quæ Spiritus iuſtè mortales perſequuntur; vel libidinis, peruerſæque voluntatis, qua nocere deſiderant. Ratione prioris maiores moleſtias patiuntur, qui grauioribus pluribusque criminibus ſunt impli- 13.

implicati: ratione poſterioris, qui integrioris ſunt vitæ.

14. Et quamuis vtrique grauiores moleſtias ſuſtineant quandoq; : in poſteriori tamen genere, illorum ſcilicet, quos *ob ſanctioris vitæ ſtudium* Dæmones perſequuntur, plura ſunt exempla. Omitto celebres illos Eremi incolas, Paulum, Hilarium atque Antonium, religioſorum & ordinum primos authores, quorum, aliquorum vires ſub onere moleſtiarum propemodum defeciſſe videri poterant: quanta ab iiſdem tortoribus paſſus VVilhelmus Pictauorum Comes? quanta Macharius Alexandrinus? quanta Guthlacus atque Sabas, viri ſanctiſsimi? priorum Eremitarum egregij æmulatores?

15. Nec Eremitis tantùm moleſti fuerunt hi Spiritus. alios eiuſdem propoſiti, quamuis alterius ſexus, quoque infeſtarunt. Euphraſiam virginem ſanctam, de tertio ſolario aliquando præcipitârunt: aliquando in puteum detruſerunt: aliquando grauiſsimè ſauciârunt. S. Catharinam, ſanctæ matris Brigittæ filiam nunc è lectulo excuſſerunt; nunc etiam miſerè cæciderunt. Sic ſanctiſsimæ Marinę fuerunt moleſti, partim terribilibus formis, quas finxerunt; partim execrãdis ſibilis; & grauibus, quos in aëra ſparſerunt, odoribus: quemadmodum res earum geſtę, per inſignes Auctores deſcriptæ, demonſtrant. Apud Surium in Tomis, quos de Sanctis edidit.

16 Cauſam verò huius pulchrè oſtendit Fulbertus in Vita S. Aichardi, Abbatis Chimeſienſis, apud Surium Tom. 5. Sublimiora ſtudia, inquit, Diabolus ſubtilioribus infeſtare non deſinit inſidijs. Carnalibus namque & huius mundi amatoribus, quos in præſentis vitæ voluptuoſa latitudine ambulantes comperit, quaſi parcendo blanditur: quia nimirum de his ſecurus. Ad Spirituales ſe conuertit, & his acrius inſtat; more latronum ad prædam feſtinantium: qui dum fugientem innocuam turbam inſequuntur, quoſcunque curſu ſuperant, hos tranſiliẽtes à tergo relinquunt: in eos verò, quos prę oculis conſpiciunt eminus fugientes, in eos, inquam, ſtudio conſequendi, vires totas effundunt, & impetu maiore proſequuntur. Veruntamẽ ſi reliquis captis ex omni turba vnus euaſerit, ex hoc vno inter eos ſæpius magis fit queruloſa recitatio, quàm ex vniuerſis captiuis exultatio. Ita Fulbertus.

CAP.

CAP. XVII.

Quinam præ cæteris, Spirituum moleſtijs & inſultibus expoſiti ſint, & quibus de cauſis quoſdam, Spiritus præſertim Diabolici, hoſtilius perſequantur.

QVinam in locis *per ſe* infeſtis, inſultus moleſtiasque ſuſti- 1.
neant, ex iam præcedenti Capite dictis clarum eſt. Cer-
tum quoq; eſt, in ijs locis, quæ *propter homines* infeſta ſunt,
eos vel ſolos, vel ſæpius, & grauius infeſtari, quos prop-
ter loca ſunt infeſta. Explicandum nunc eſt, *Qualesnam illi ſint, prop-
ter quos loca hæc infeſta reddantur, & ſpectris horrida*: ſiue, vt clarius di-
catur, *Quosnam* homines Spiritus ſingulariter perſequantur & mo-
leſtent.

De duobus verò hominum generibus, *bonis* inquam, & *malis* quæ- 2.
ſtio eſt: & de vno Spirituum, qui moleſtias afferunt *de Dæmonibus*. In
reliquis res non magnam habet difficultatem. Quod igitur in Diſ-
putationem vocatur, hoc eſt; *Vtrum quicunq; perſecutiones malignorum
Spirituum ſuſtinent; ſuis ſemper meritis exigentibus, ſuſtineant*: an etiam
aliqui præter vlla ſua merita, has patiantur.

Atque hoc definiendum nobis eſt præſenti Capite, veruntamen 3.
non hoc ſolùm *ſpeciatim* etiam explicanda ſunt *crimina eorum*, qui ob
ſua merita Dæmonum inſultus, atq; moleſtias ſuſtinent: vt non ſo-
lùm ſciatur, quoſdam ob peccata, Dæmones moleſtantes ſuſtinere;
ſed etiam, quænam illa peccata ſint (neque enim vnum eſt peccato-
rum genus) ob quæ ſuſtineant, intelligatur.

De priori verò ſic ſentio: Non vnius generis hos eſſe; ſed *tam ma-* 4.
los, quàm bonos, Spirituum inſultus ſuſtinere: hoc eſt; quoſdam ob ſua
merita, quoſdam abſque vllis ſuis meritis; & priorum quoſdam, ob
graues exceſſus eoſdem ſuſtinere; alios ob leues defectus. Vt Tria
in vniuerſum loquendo, ſint hominum genera, qui Dæmonum
perſecutiones ſuſtineant: innocentes, improbi, medij.

Quòd enim de vniuerſo perſecutionum genere dicitur: id 5.
in moleſtantibus Spiritibus locum habet. Non omnes perſecutio-
nes ob peccata accidunt; nec omnes ſequuntur viros innocentes.
Quædam ſunt, quæ peccatorum, nunc enormium, nunc leuiorum
ſunt vindictæ: quædam, vt innocentium patientia, atque probi-
tas innoteſcat, afferuntur. Eodem prorſus modo, quoſdam idcirco

Digitized by Google

maligni Spiritus moleſtabant, quòd ſuis peccatis id meruerint: quoſdam abſque vlla ſua culpa, magna tamen diuinæ prouidentiæ diſpoſitione.

6. In locis *per ſe* infeſtis, rem ita ſe habere dubium non eſt. Ob grauia delicta perſecutionem à Spiritibus paſsi olim plures Gentiles. Ob defectus leues, ſi non omnes, certè plurimi in agro Bingenſi, abſq; vllo ſuo merito, Eremi cultores. Quod ſi igitur in *per ſe* infeſtis locis, non vna moleſtandi ratio: quid mirum, ſi & in locis *propter homines* infeſtis, ob diuerſas cauſas moleſtiæ adferantur diuerſæ.

7. Quocirca prauum eſt, & peruerſum eorum iudicium; qui mox criminis eos damnant, quos Dæmones perſequuntur. Quemadmodum non omnes, qui à Spirituum infeſtationibus liberi ſunt, integræ ſunt, & inculpatæ vitæ; ita neq; omnes, qui ipſorum inſultus ſuſtinent, meritis ſuis ita exigentibus, illos ſuſtinent.

8. Sed in re clara pluribus opus non eſt. *Crimina*, & quidem *maiora illa, quæ Spirituum hac quaſi carnificina vindicantur, inquiramus.* Illa, ni fallor, *duplicis ſunt generis.* Quædam ſunt, quibus apertius Chriſtianæ Charitatis iura violantur. Quædam, quibus Deo grauior ignominia irrogatur. In priori genere ſunt iniuſtæ cædes, pauperum oppreſsio: atque in parentes impietas. In poſteriori blaſphemia: violata religio, hæreſis & traditio ſui ipſius Dæmonibus facta.

9. Non negauerim *alias* ob culpas, alios ſuſtinere perſequentes Dæmones: ſed tamen has crediderim eſſe præcipuas; quæ vel his moleſtijs vindicentur; vel vt vindicentur, magis mereantur. Oſtendamus in ſingulis generibus, quod aſſerimus.

10. *Cædes & neces iniuſtè allatæ, his infeſtationibus vindicatæ ſunt*, in Nerone, Pauſania, atque Ottone, Imperatoribus, de quibus 1. Capite. His addimus hominem, quem ſe in vinculis vidiſſe ſcribit, lib. 2. ca. 3. de Dæmonomagia, Bodinus; qui, ira percitus, vxorem occiderat: poſt, ſingulis noctibus, ab vxoris Spiritu ſe miſerè cædi conqueſtus eſt.

Addimus aliud Ariſtidemi, viri nobilis, familiæ Aepiradarum, apud Meſſenios; qui cùm oraculo Delphici Dæmonis intellexiſſet diuturni belli, quod Meſſenij gerebant cum Lacedæmonijs, victoriam penes ipſos futuram, ſi puram virginem Deo immolarent: gratificaturus ille patriæ, primùm vnicam, quam habuit, filiam deſtinauit ſacrificio; deinde vbi intellexiſſet corruptam à quodam, (qui vt miſeram conſeruaret, à ſe grauidam fingebat) excandeſcens iracundia, interfectam filiam diſſecuit. Huic enim poſt mortem fœda ſpecie apparuit filia, adeoque perculſit, vt ad tumulum eiuſdem,

dem ſeſe miſer iugularit. Hoc Caſparus Beucerus lib. de Diuinat.

De pauperum oppreſſoribus ſuppetunt plurima exempla domeſtica: ſed quia odioſa, proferenda non ſunt. Iuſtiſsimam verò hos, cum homicidis, Dæmonum moleſtiam ſuſtinere inde colligitur; quòd vix alio, quàm homicidarum, loco Deus Opt. Max. ipſos habeat. Ita ſacra docent eloquia, Eccleſi. 34 *panis egentium vita pauperis: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem; quaſi qui occidit proximum ſuum.* 11.

Impietatem erga parentes grauiſsimum eſſe crimen, cùm alia multa doceant; tum illud, quod ad honorem parentibus exhibendum inſigni præmio Deus nos inuitet. Et hanc igitur iuſtè, per infeſtantes Dæmones, vindicari credi debet. Eſt pro hoc inſigne exemplum: quod, quia ad longum, in illa de Dæmoniacis diſputatione, ex Alexandro allatum eſt Capite 30. hîc repetere ſuperuacaneum eſt. 12.

Blaſphemos Spirituum inſultibus iuſtè puniri, vel ipſi blaſphemi, ſi non verbis confitentur, certè rebus ipſis probant. Quomodo verò? quia nullo loco ſibi ſunt tuti. Sicuti ſuam ſemper ſecum ferunt carnificinã, conſcientiã; ita vbiq; blaſphemiæ vltores credunt adeſſe Spiritus. 13.

Sed nec hîc deſunt blaſphemorum exempla, quos in hac vita Spiritus ſunt perſecuti. Notum eſt, quod de blaſphemo puero ſcribit B. Gregorius 4. Dialog. cap. 18. Verba eius aſſcribimus. Quidam vir cunctis in hac vrbe (Roma) notiſsimus, ante triennium filium, habuit, annorum, vt arbitror, quinque; quem nimis carnaliter diligens, remiſsè nutriebat, atq; idem paruulus, quod dictu graue eſt, mox vt eius animo aliquid obſtitiſſet; maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat: qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus venit ad mortem: Cumque eum ſuus pater in ſinu teneret, (ſicuti hi teſtati ſunt, qui præſentes fuerũt,) malignos ad ſe Spiritus veniſſe, trementibus oculis puer aſpiciens, cœpit clamare: Obſta pater: obſta pater. Qui clamans declinauit faciem, vt ſe ab ijs in ſinu patris abſconderet. Quem cùm ille trementem requireret quid videret: puer adiunxit dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Hæc cum dixiſſet, maieſtatis nomen protinus blaſphemauit & animam reddidit Ita B. Gregorius.

De alio blaſphemo aliud pro præſenti argumẽto exemplũ recenſet alius Gregorius, Turonenſis inquã, l. de Gloria Confeſſ. c 67. *Ad* Baſilicam S. Lupi, inquit, Maurus cuiuſdam ſeruus, negligẽtia admiſſa confugit. Frendens verò Dominus eius de veſtigio proſecutus, ingreſſus Baſilicã nec oratione proſtratus blaſphemias in Sanctũ euomere cœpit, ac dicere. *Et tu Lupe*; ſeruũ meũ auferes, & propter te nõ

licebit mihi in eum vltionem debitam exercere? Et Iniecta manu ſeruum trahere cœpit dicens: Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulchro, vt eruat te de manibus meis. Hæc dicente miſero, extemplò lingua, quæ in Sanctum blaſphemias effudit, diuinitus obligatur: atque mutatus homo, debachare cœpit per totam ædem, dans mugitum vt pecus, ſermonem vt homo non proferens: tertia denique die cum graui cruciatu vitam finiuit. Hoc Turonenſis.

14. Religionem violari multis modis contingit. Sacramentorum prophanatione: Templorum euerſione atque ſpoliatione. Imaginum, ſtatuarumque & Eccleſiaſticæ ſuppellectilis confractione: Reliquiarũ Sanctorum contemptu atque irriſione &c. Quibuſcunque modis violetur, dubium nullum eſt, *ipſius violatores iuſtiſſimè poſſe pati Dæmones infeſtantes*; quando pluribus exemplis, tam recentibus, quàm veteribus, clarum eſt; & olim paſſos eſſe Dæmonum moleſtias; & noſtris temporibus, in Galliæ atque inferioris Germaniæ tumultibus; pati quàm plurimos. Vide pro hac re exempla apud Petrum Cluniacenſem lib. 2. Miraculo. cap. 1.

15. *Hæreſum, ſiue prauorum dogmatum inuentores, atque doctores, ſibi à Spirituum malignorum infeſtatione poſſe timere* docent, poſt alia, Lutheri, Zvvinglij, atque Carolſtadij nota exempla. Lutherus ipſe teſtis eſt Dæmonem à ſe viſum; ſe ſalutaſſe; multis argumentis Miſſam oppugnaſſe; ſocium in comedendo ſale fuiſſe. Zvvinglius teſtatur, ſe ſuum, de Euchariſtia, dogma à Spiritu (haud dubium) nigro accepiſſe. Carolſtadium à Dæmone fuiſſe interfectum haud obſcurè docet Baſilienſes. Vide Cap. 12. de Dæmoniacis.

16. Quod *qui Spiritibus malignis ſe tradunt, à malignis Spiritibus moleſtentur*, mirum non eſt. Mirum verò valde, ſi quandoque nullas moleſtias ſuſtineant. An fortè Nequam Spiritus ignorare poſſunt, quod ipſis miſeri mortales ſeſe dedunt? An acceptare nolunt ſe vltro offerentes? Vbique præſentes ſunt nobis, verſipelles, & actionum noſtrarum cenſores; etiam non vocati. Si tamen nomen ſuum audiant, (probat exemplo, B. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 20.) mox aduolant, obſequiaque ſua præſtant.

Sed & ſtudioſè ipſos quærere noſtram perniciem, probat ipſorum ſummum, quo erga vniuerſum mortalium genus flagrant, odium. Nec hîc deſunt exempla. Quot ferè Sagæ ſunt atque Malefici, tot pro huius rei confirmatione exempla ſuppetunt. Infeſtantur plerique Spectris; quia plerique ſe Dæmonibus deuouent. Eſt & horrendum huius rei exemplum apud Surium Tomo 4. in Vita S. Bernardi, in muliere, quæ fœdam aliquot annis cum Dæmone conſuetudinem

dinem habuit; quod quia capite 92. referemus, hîc aſcribere neceſſe non eſt.

Eſt & non minus lepidum, quam horrendum, quod Germanus quidam 1. cap. ſuæ, de Lamijs, Diſputationi inſeruit. Idem Auctoris verbis refert Martinus Delrio li. 3. par. 1. quæſt. 7. Sect. 1. ex quo illud licet petere.

CAP. XVIII.

Quibus temporibus Spiritus & Spectra moleſtent, & cur nocte potius, quàm interdiu.

VAriæ temporum ſunt diſtinctiones: ſed quæ argumento noſtro deſeruit, vna potiſsimum; quæ in *nocturnum, & diurnum* diſtribuitur. Nunc hîc quæſtio eſt, Hocné potius, quàm illud, id eſt, *nocturnum potius, quàm diurnum Spiritus deligant*, vt viuentium rebus interſint, eoſque tentent, vel moleſtent. 1.

Ad neutrum Spectra ſic alligata eſſe, vt *neceſsitas* ipſis incumbat, hoc, & non illo, tumultus, ſi velint, excitare, certum eſt. Spiritus ſunt; & ob id, quemadmodum non à loco: ita neque à tempore dependent. Non iuuat Spiritus locus ad tumultus excitandos: non iuuat tempus. Vt omni loco; ita omni tempore poſſunt: nocturno, diurno, inter vtrumque medio. 2.

Prorſus à *voluntate* dependet, quòd hoc potius; quàm illo moleſtent. Cuius verò? Deíne, an ipſorum Spirituum? *Et Dei, & Spirituum.* Fit Dei, & Spirituum voluntate; quòd rebus viuentium interſint, fit Dei, & Spirituum voluntate; quòd his vel illis temporibus interſint. 3.

Sed tamen à *propria Spirituum* voluntate præcipuè eſſe dixerim; vt, quod ipſi ſibi maximè commodum his moleſtijs incitandis tempus nouerunt, id deligant. Cuius hæc argumenta ſunt, quòd infeſtationes in ſua poteſtate habeant: non iiſdem ſemper temporibus excitent: non ad eundem ſemper terminum producant: quandocunque etiam velint, ab iiſdem ceſſare valeant. 4.

Et *nocturno tempore* ſæpius loca infeſtari, homineſque vexari plura probant. Nam & Spiritus, qui interdiu moleſti eſſe ſolent, etiam noctis quietem interturbant: & plurimi nocturno tempore moleſti ſunt, qui interdiu ne obſeruantur quidem. Exempla pro his ex primo capite petenda ſunt. 5.

Sed multis modis hoc probat Spiritus, qui ædes Alexandri ab

Alexandro infeſtabat, qui *noctibus* tantùm moleſtus erat; & lumen, ſi quando ille impediebatur, extinguebat, ſi verò extinguere non poſſet, in fugam conuertebatur. Vide eundem li. 5. Genialium dierum, cap. 23.

Probat Idolum ſenis, macie & ſquallore confecti, quod per noctis *ſilentium* inſultabat Athenodoro Philoſopho, de quo Plinius l. 7. Epiſt. *Silentium* interpretatur Cenſorinus de die Natali ca. 9 intempeſtam noctem.

Probat quod Liuius ſcribit, ſuper ædem Veſtæ vocem *noctis ſilentio* auditam, clariorem humana. Probat quod profundam & ferè *mediam noctem* Plutarchus in Bruto nominauit, vbi verba facit de monſtroſa horrendaque illa Imagine, quæ M. Bruto ex Aſia exercitum traijcere volenti apparuit.

Apollonius quoque probat in confutatione contra Hieroclen. 4. vbi de Vmbra Achillis à ſe viſa refert miraculum: hanc enim euanuiſſe ait, poſt collocutiones aliquot, quòd iam *cantus gallorum* audiretur.

Vnde refert Euſebius Cæſarienſis, *noctem intempeſtam*, quæ gallicinium proximè antecedit, conuenientiorem eſſe malo Dæmoni. Et de pluribus Sagis refert Nicolaus Remigius, li. 1. de Dæmonolatria, ca. 14. quòd affirmarint eam tempeſtatem, quę vna atque altera hora *mediam noctem* pręcedit, apprimè idoneam eſſe, non modo illis conuentibus; ſed quibuſcunque alijs Dæmonum terriculamentis, ludibrijs, occurſationibus, ſtrepitibus.

6. Cęterùm, quia hoc Spirituum, vt diximus, voluntate fit; voluntas verò rationem ſequitur; non ſine ratione *noctem* prędie, à Spiritibus deligi credi debet. *Quæ igitur huius ratio?* Alia hîc mouet malos Spiritus, tam Dæmones; quàm damnatorum hominum: alia illos, qui purgantur adhuc, & cœleſtibus mentibus aliquando aſſociandi ſunt.

7. *Mali* Spiritus, quia malè faciunt, noctem quærunt, & tenębras *Qui male agit*, inquit Dominus, Ioan. cap. 3 *odit lucem*. Ipſos *Rectores tenebrarum harum* vocat Apoſtolus, ad Epheſ. 6. Ipſorum tandem habitatio in *tenebris exterioribus*: Matth. 8. Sed & ipſorum inſtituto *nox* atq; tenebræ ſeruiunt. Cùm enim terrere deſiderēt excitatis tumultibus & exhibitis Spectris; etiam id tempus, quod per ſe terrorem affert, deligunt: ſcilicet, vt tumultus atque Spectra, cum nocte coniuncta, terrorem augeant, magiſque mortales percellant.

8. *Purgandi* Spiritus ad quietem & ſolitudinem noctis attendunt. Vtraque ipſis ſeruiunt. Solitudo externorum tollit ſocietatem, qui

men-

mentem ſæpe cogitationesque diſtrahunt: quies efficit, vt facilius, qui excitantur, nocturni ſtrepitus percipiantur. Vtrunque affectant hi Spiritus; vt commodius ſuas neceſsitates mortalibus inſinuare, his tumultibus & terriculamentis, valeant.

Præter hæc, communia aliqua *vtrique*, tam boni, quàm mali 9.
Spiritus habere poſſunt, propter quæ *noctem* eligant. Fugiunt, videlicet, hominum conſpectum plerumque, at hîc ſeruiunt optimè noctis tenebræ, cùm *viſus in ſuum obiectum, non, niſi illuſtratum, feratur*, quemadmodum in Scholis loquuntur Philoſophi.

Rurſus plerumque ſatis habent Spiritus excitatis tumultibus, & 10.
allatis moleſtijs, quocirca nec ſemper, vt poſtea docebitur, corpora vera aſſumunt: At tumultibus non ſeruit lumen diei, & quamuis nec per ſe nox ſeruiat, efficit tamen vt propter ſummum ipſius ſilentium, facilius percipiantur.

Accedit, quòd pluribus opus ſit, ſi interdiu ſub ſpectabili ſpecie 11.
Spiritus apparere debeant, tumultuſque excitare; quibus non eſt, ſi tumultus ſolum excitent, & ſub ſpectabili forma ſe non exhibeant. quid ſi igitur his velint ſuperſedere? & paucioribus ad propoſitos fines tendere?

Denique nigricantes ſe plerumque exhibent, vndè & *Vmbræ* dicuntur, & hic nox ſeruit; quæ, vt omnia propemodum nigra appareant, efficit. Hæc difficilia non ſunt. Pergamus ad alia. 12.

CAP. XIX.

De varijs modis, quibus Spiritus locis infeſti ſunt: ſed, qui omnes, vel auditu, vel viſu, vel tactu percipiuntur.

V*Arijs modis* infeſta eſſe loca, tam certum eſt, quàm certum 1.
eſſe infeſta. De his cùm multa dicenda ſint, principiò omnes infeſtationes ad pauca quædam ſumma genera ſunt réuocanda.

Infeſtationes igitur, prima ſui diuiſione, poſſumus diſtinguere; 2.
vt alias dicamus eſſe *Apertas*, alias *Occultas*. In illis aperto quaſi Marte nos aggrediuntur Spiritus: in his, quaſi per inſidias, tentant *Prioris* ferè generis ſunt, quę vt plurimùm interdiu, & clara luce fiunt, & maiori cum Spirituum nunc impetu, nunc moleſtia, nũc manifeſtatione. *Poſterioris*, quæ nocturno tempore: quibus vel ſe non ita produnt Spiritus; vel non tanto nos impetu aggrediuntur; vel non tam graues afferunt moleſtias.

Ad *Aper-*

Ad *apertas* infeſtationes referrem illas in Inſula Iſlandiæ; vbi occiſorum ſpectra tam ſunt manifeſta; vt tanquam viuentes accipiantur ab ignaris mortis ipſorum: Illam item cuius in Vita Theodori Sicæorum Archimandritæ mentio fit, in qua proiectis lapidibus res agebatur: & Illam, quem ex Bingenſi agro Litanijs, & luſtrali aqua profligauit Clerus Moguntinus; qua integræ ædes atque horrea conflagrarunt, &c. de quibus primò Capite, Theſibus 5. 20. &c. Denique Illas, quarum mentio fit Capite 16. Theſi 14. & 5.

4. In *Occultarum* numero haberem, quam in domo ſua perpeſſus eſt Heſperius, vir Tribunitius: & in ſua, quam Romæ inhabitauit Alexander ab Alexandro: Illam præterea, quę domum, in qua Caligula Cæſar occubuit, horridam reddidit: denique quæ Neronem, Ottonem atque Pauſaniam ſecutæ ſunt; & in fodinis metallicis, operarijs ſæpe incommodarunt. Et de his in primo capite, Theſibus pluribus.

5. *Altera* diſtinctio infeſtationum conſtitui poteſt, pro ratione *ſenſuum*, quibus percipiuntur. Aliquando *auditu* percipiuntur; aliquando *viſu*; aliquando *tactu*. Aliorum ſenſuum etiam aliquando, rarior tamen, in infeſtationibus eſt vſus.

6. Leuiſsima eſt prima illa, quæ *auditu* percipitur; grauior, quæ *viſu*: grauiſsima quæ *tactu*. Sed vt hæc grauiſsima, ita rariſsima: non ita inuiſitatæ priores, prima frequentiſsima.

7. *Auditu* non vna moleſtandi ratio deprehenditur, ſed admodum variæ. Nunc Spiritus ſolùm præſentiam ſuam, agitato quaſi aere, & ventulo leui, inſinuant: nunc ſtrepitus excitant: nunc ſimulant inceſſum; nunc cachinnos edunt & riſus: nunc promunt ſuſpiria & gemitus: nunc vociferantur & clamoribus loca implent: nunc ſuauius loquuntur: nunc cantillant. &c.

8. Exemplis pro his non indigemus Lares domeſtici, quos concubia nocte, in ædibus, verſari diximus; *ſolo ferè ſtrepitu*, quo aliquid ſe facere ſimulant, terrent: quamuis etiam aliquando cachinnos edant.

In fodinis metallicis, quidam ſe *flatu* prodiderunt. In domo, quã Alexander in habitauit, nocturni audiebantur *tumultus, & horrendi fremitus cum eiulatu, ſtriduloq; vocis ſono*; quemadmodum & in arce Scotiæ, Sterlingi. Qui Athenis aliquãdo obſeruatus fuit Spiritus; *catenarum ſtridore*, quibus vinctus videbatur, ædes replebat Qui Monaſterium Verretenſe moleſtabat, voces formabat, & ad ſe Virgines inuitabat. Qui apud Aquilonares ſunt populos, *concentu*

recre-

concentu recreant viatores, & gregum, armentorumque cuſtodes. Qui, anno 1444. ante pugnam illam, quam pauci Heluetij, contra ingentes Ludouici Delphini Franciæ copias propè mœnia vrbis Baſilienſis, commiſerunt, aliquot noctibus, circa illa auditi ſunt, militum edebant *clamores. armorum ſonitus, pugnantium ſtrepitus.* Teſte Lauatero, prima parte de Spectris, c. 17. De his & reliquis vide c. primum; & Theſin 3 ca. 67.

Meminit & cuiuſdam Theodoretus in Vita S. Iacobi, ſect. 21. qui à Marcioniſtis excitatus intempeſta nocte, lingua Syriaca moleſtauit his vocibus Theodoretum (erat hic Martioniſtis contrarius) Curtu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam aduerſus eum ſuſcipis? Quanam is vnquam te affecit moleſtia? Deſine belligerari, deſiſte à maleuolentia: aut diſce experientia, quantum bonum ſit quies. *Voces hæ audiebantur, nemo verò conſpiciebatur.*

Meminit & alterius Cardanus lib. 19. de Subtilitate, qui in Germaniæ oppido Schiltach dicto (abeſt à Friburgo, octo millibus germanicis magnis) *ſibilo* terrebat dominum domus: quem cùm ille, furem ſuſpicatus, perſequens, neminem deprehendiſſet, & aliquoties repetito *ſibilo* deluſus eſſet; poſt, per ſacros homines adhibitum Exorciſmum, cognouit eſſe Dæmonem, qui poſtea graue damnum toti oppido dedit. Hæc Cardanus ex Eraſmo, qui totam rem longius proſequitur, quemadmodum ex Henrico Glariano dedicerat.

Denique cuius nos Capite primo Theſi 7. mentionē fecimus, *auditu*, non viſu perceptus eſt, de hoc in hunc modum Ioannes Curopalatas in Hiſtoria Baſilij & Conſtantini, fol. 97. *Hoc tempore*, inquit, *incredibile prodigium accidit in Tracenſium regione, ad radices montis Curæ, vbi fons eſt pulcherrimæ & limpediſſimæ aquæ. Vox quædam audiebatur miſerabilis, cum lamentis, & vah, & ploratu, & mulieris eiulatui ſimilis: idq́ non ſemel aut iterum, ſed à Martio menſe vſq́, ad ipſum Iunium, dies noctesq́; cumque abijſſent quidam locum exploratum, vbi vox illa emittebatur, eiulatus alio euaſit.* Ita Curopalates.

Viſui atq́, oculis ſe varijs formis obijciunt Spectra & Spiritus. Nam vt alias formas, quę difficulatem ſingularem non habent, omittam; nunc *humana*; nunc *brutorum* animantium; nunc horrendorum *monſtrorum* conſpiciuntur. Nec hæ vnius generis atque modi ſunt omnes; in quolibet genere ſunt variæ. 9.

Quàm varij Spiritus, ſub forma humana, ſed tamen alia atque alia, viſi? Aliquando prorſus ſub ea apparuerunt, quam *viuentes* homines habuerunt: vt Paſchaſij Spiritus; quem ob id viſum ſtatim adnouit Germanus, Capuanus Epiſcopus: Spiritus item matris Ne- 10.

ronis; & illi, qui in Iſlandia Inſula obſeruati ſunt, de quibus primo Capite.

Aliquando ſub triſti, & macie quaſi confecta imagine; vt Spiritus, cuius Plinius meminit. Aliquando ſub forma *nigreſcentis hominis*; vt ille, qui Verretenſibus Virginibus fuit moleſtus. M. Bruto ſuus genius apparuit, tanquam Spectrum dirum & prodigioſum *immanis & horrendi corporis*: teſte Plutarcho in Bruto. Qui circa annum Domini 1095. in agro VVormatienſi conſpecti ſunt; *pedites* inſtructos bene armis referebant, *& equites*. Qui in fodina Georgiana viſus, *nigrum* erat indutus *cucullum*. Qui domum infeſtabat Alexandri, referebat hominem *ſqualida facie, vultu minaci, nigro corpore, aſpectu formidabili*. De his omnibus 1. cap.

Eidem Alexandro (ipſe teſtis eſt lib. 2. Genialium dierum cap. 9) retulit Gordianus ſpectatæ fidei homo, quòd cùm Aretiam proficiſceretur cum familiari; & ab itinere longè aberraſſent per difficilia & deuia loca, vergenteque ad occaſum ſole, labore feſſi conſediſſent, hominis vocem procul audire viſi ſunt, quam ſequuti, *trium hominum conſpexerunt imagines immanes, & formidabiles vltra humanum modum, nigris & dimiſſis tunicis, in veſte lugubri, funeſtaq; barba capilloq; ſubmiſſo, horribili facie.*

Mirabile eſt, quod Krantzius habet lib. 8. Vandaliæ, capite 29. Anno 351. inquit, *grandis vbique per Germaniam ſæuijt peſtis. Lubecæ in conuentu Prædicatorum audiuit frater ex conuerſis, qui curam habebat, præ cæteris, coquinæ, nocte vna ſubter ſe, cùm in ſtrato eſſet, in hoſpitali domo, ſtrepitum; & interea vocem loquentis ad feneſtram coquinæ: Coce, para cibum abituris fratribus. Et ille intus: Quot ſunt tranſituri? Tum ille; Triginta ſex de Conuentu; & duo aduenæ cum illis profecturi: Miratus ille intempeſtam euocationem; de lecto ſurgens, intuetur per foramen in domum hoſpitalem. Videt menſæ aſſidere numerum fratrum, quem audierat; in albis, velatis frontibus, vt fieri ſolet iam tumulandis. Horrens rediit in lectum, nec audebat rem detegere. Sed cùm euentus omnia probaſſet, funeratis 36. de Conuentu fratribus; & duobus, qui Hamburgo venerant, tum palam dixit, quod ante vidiſſet.* Ita Krantzius.

11. Sic non vna fuit *brutorum animantium* forma, ſub qua Spiritus conſpecti ſunt. Nunc *canum* fuit, nunc *catorum*, nunc *luporum*, nunc *vrſorum*, nunc *murium* atque *ſerpentum* &c. Nec hîc exempla deſideramus. Diximus ſuperius in ea, quæ eſt circa Syrtes Libya, in aere apparere *diuerſarum animantium* formas, quarum quæ iam quieſcant, quædam moueantur: & has aliquando fugere, aliquando fugientes inſequi.

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus Annebergicus,cuius c.primo,meminimus,in ſpecu,cui nomen *Corona Roſacea*, videbatur ſub forma *equi*, habens procerũ collum,& truces oculos. Sic vel Spectra ferunt & Spiritus; vel à Spiritibus facti, *mures* atque *ſerpentes*, qui in domo per Theodorum, Sicæorum Archimandritam,liberata,moleſti fuerunt: quemadmodum & *mures*,quos Princeps quidam,nec in medio Rheni declinare potuit:& *aues* Diomedeæ,quas Plinius Barbaris infeſtas fuiſſe commemorat.

Meminit & B. Athanaſius,in Vita S. Antonij, *leonum, taurorum, luporum, aſpidum, ſerpentum, ſcorpionum, pardorum atq; vrſorum*. Sub iiſdẽ *formis* Spiritus moleſtos fuiſſe Guthlaco Anachoretæ & confeſſori, teſtatur VVilhelmus Rameſij Anglus, apud Surium, Tomo 2 de Vitis Sanctorum: & VVilhelmo Pictauorum Comiti & Eremitæ, vt habet in ipſius Vita Theobaldus:& Sabæ Abbati, vt eſt videre apud Metaphraſten in Cyrillo, qui eiuſdem res geſtas deſcripſit. 11.

Sic ipſorum quidam moleſtus fuit, ſub ſpecie *tauri*, bubulcis, in fundo Barbiliano, teſte Ioanne Diacono,in Vita S. Gregorij, lib. 4. ca.93. Alius ſub ſpecie *bouis* cornupetę S. Catharinę,filię Brigittę; apud Suriũ, Tomo 2. Alius in forma *ſerpentis* adoleſcenti, qui S. Nicetam conſilium rogaturus accedebat, teſte Theoſterico, Oratione de S. Niceta, apud eundem Surium, Tomo. 2.

Alius in forma *merulæ auis* Benedicto;vt in eius Vita refert B. Gregorius cap.2. Alius in forma *volantis corui* Machario Alexandrino, apud Palladium Epiſcopum Cappado. in Vita duorum magnorum Macariorum. Alius in forma nunc *paſſeris*, nunc *ſimiæ* S. Dominico; ſicut in Vita eius docet Theodorus de Apoldia, li.3.ca.7. Alius in forma *cati* religioſo cuidam, teſte Ioanne Diacono, in Vita B. Gregorij li.4.ca.89. Sic Duci cuidam Palæſtino, ſepulchrum Domini viſitare cupienti, alius plurimum moleſtiæ attulit ſub forma *arietis*;ſępiusq; acceſſu ſepulchri eundem prohibuit, quemadmodum ex Prati Spiritualis, ca.49. pluribus refert Cæſar Baronius, Tomo 6. anno Domini 13.

Monſtrorum quoq; ſub forma conſpecti Spiritus. Conſpexit, teſte B. Hieronymo, B iam nominatus Antonius *hominem equo mixtum*;cui opinio Poëtarum Hypocentauro nomen dedit. Idem vidit *homunculum aduncis naribus, fronte cornibus aſperata;cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat*. Viſus eidem eſt Spiritus, teſte Athanaſio,in eius Vita, *ea forma, qua deſcribitur à B. Iob. ca. 41.* Diabolus: Oculi enim eius, inquit, erant ſicut ſpecies Luciferi: ex ore ipſius procedebãt lãpades ardentes: crines incẽdijs ſpargebãtur: ex naribus 12.

fodina Georgiana;quam ex infimo loco ad ſupremum,*non ſine corporis attritu* ſubuexerunt,de his 1. Cap.

Senſit quoque ſanctus vir, Nicolaus Tolentinus, quem improbus Spiritus nunc in *terram* proſtrauit; nunc egregiè *fuſtibus* excepit; nunc dirè ad angulos quoſdam alliſit,vt in eius Vita ſcribitur apud Surium,Tomo 5.Senſit Euphraſia virgo, ab eodem Spiritu ex tertio ſolario aliquando *præcipitata*; aliquando etiam in puteum deiecta. Et hoc apud Surium,Tomo 2.

Tertiò moleſtant *vſtione & inflictis verberibus*. Confeſſus eſt Imperator Nero, ſe non præſentia ſolùm matris defunctæ moleſtari; ſed etiam *verberibus* furiarum, & ardentibus *tædis* cruciari. Virginibus Verretenſibus ſæpe *particulæ carnis* ex corpore detrahebantur: in aduerſam verò partem nunc tibiæ, nunc brachia intorquebantur, & Euphraſia, cuius precedenti Theſi mentionem fecimus, aliquando à Spiritu miſerè *ſauciata eſt*,aliquando *oleo ebulliente* perfuſa. 15.

Hæc confirmant exemplum, quod B. Auguſtinus Sermone 117. eorum, qui recens Louanij impreſsi ſunt, commemorat. Refert ibidem Ciuem Hipponenſem quendam, quia iuſiurandum ei detulerat, quem periuraturum nouerat; ad Dei tribunal raptum, & grauiſsimè *cæſum* eſſe: & poſtridie plagarum veſtigia in dorſo eius apparuiſſe.

Moleſtant quartò, *nece allata* viuentibus. De Spectro in balneis, cuius meminit B.Gregorius Nyſſenus, notum eſt; adeò hominibus infeſtum fuiſſe; vt omnibus propemodum *mortem* intulerit. Spiritus Annebergicus in fodinis metallicis duodecim amplius homines, vno flatu, *interfecit*.Hudekin in Saxonia miſerrimè puerum ſibi inſultantem *ſtrangulauit*: in fruſta cecidit, & coxit. 16.

Poteſt hîc ſeruire exemplum horrendum, quod Michael Iſſelt refert contigiſſe anno 84. in Apeldron Veluæ pago. Duo nobiles Germani,inquit, (folio *119*.) ordinibus militantes, inter ſe conuenerant, vt vino adulto ſeſe tamdiu iniurgitarent, donec alter illorum expiraret. Si quis prior ſurgeret, in eum Diabolus poteſtatem haberet. Accidit dum ſtrenuiſsimè hac lege potarent, mercatorem illac fortè tranſire, quem vt ſe tertium adiungeret, coëgerunt. Inuitus ille huc inductus eſt mortisq; metu Paulò poſt malignus Spiritus ingreſſus locum, vbi ſedebãt; vtriq; ceruicẽ fregit Hoc Iſſelt.

Poteſt quoque ſeruire hiſtoria, quam Sifridus Presbyter Miſnenſis affert, li. 2. ſuæ Epitomes, anno 1260. Studioſus quidã miſerè deperibat puellam. cum alia ratione non poſſet, ipſius ſibi copiam

 fieri

fieri per Nicromanticum, data pecuniæ ſumma, cupit. Hic ſe adoleſcentemque circulo includit, ſeuerisſimè ne eundem egrediatur imperans. Mox ad coniurationes cõuerſo, plurima ſe ſpecies phantaſmatum offert, tandem ipſa quoque, quæ quærebatur, imago puellæ. Hic adoleſcens, libidine victus, præcepti immemor, manum extẽdit, amatam apprehenſurus; ſed maximo ſuo malo: ſiquidem à Spiritu Nequam parieti alliſus, miſeram *exhalat animam.*

17. Addo dictis quintum, quòd *fortunæ bonis etiam* Spectra incommodant. Qui Heſperij domum infeſtabat Spiritus, non hominibus tantùm erat moleſtus, ſed etiam *animalia* affligebat. Qui à Theodoro Sicæorum Archimandrita pulſus eſt; mulierum *telas*, præter alia, rumpebat. Qui in agro Bingenſi ſæuiebat; & *horrea,* & ruſticorum *caſas* incẽdebat, & ad extremam paupertatem miſeros redigebat. de his *1.* Capite. Qui ſibilo moleſtus fuit in oppido Schiltach, de quo Theſi *8.* Capitis præcedentis *conflagrationis totius oppidi*, adminiſtra infelici muliere, cauſa fuit.

Cùm fortunæ bonis coniungo *infantes*, eos maximè, qui baptiſmatis ſacramento initiati non ſunt. In his haud rarò parentibus incommodatur; dum propriorum loco, per Spiritus, alij ſupponuntur, qui vel graui morbo plerũque tota vita laborant; vel vbi adoleuerunt: corruptis moribus magnas difficultates parentibus afferũt.

18. Sextus modus eſſe poteſt, quòd ad *ſtuprum atque nefandos congreſſus* quandoque ſolicitant: aliquando etiam vim tentant adferre inuitis. Huius exemplum obſeruatum eſt, in oppido Flandriæ, Boerburgi, haud procul à Grauelinga, anno Domini 1587. vbi poſt quatuor annorum moleſtias, quas vir doctus atque pius, Ioannes à Porca, ibidem Plebanus, cum caſtisſima ſorore paſſus eſt; Spiritus tandem compti adoleſcentis perſonam induit: & ſororem ſolam domi deprehenſam, primò muneribus, deinde minis ad *ſtuprum* ſollicitauit: tandem etiam, vbi ſic nihil proficit, vim virginis pudicitię afferre cœpit: & perfeciſſet, niſi ſuperueniens frater ſororem ex Dęmonis manibus eripuiſſet. quemadmodum patet copioſius ex Appendice ad hiſtoriam anni 87. Michaelis Iſſelt.

Similia duo habet Cæſarius, quorum alterum Bonnæ accidit, apud Coloniam Agrippinenſem, alterum Prumiæ in Eifla. Bonnæ cùm quidam filiæ ſuæ, pudicitiæ timens, illam in ſolario domus ſ[illegible] ſi quando exiret, includeret; Spiritus in forma adoleſcentis ad virginem ingreſſus, cum *illa rem habuit.* ægerrimè tulit illa ſe à Spiritu deceptam, tantumq; non in furorem rapiebatur. Pater filiæ caſum miſeratus, vt in poſterum à Spiritus moleſtatione libera eſſet,

ipſam

ſet ipſam aliò miſit. Apparet mox Dæmon, vxorem ſuam repetit: & ſtomachabundus ita pectus parentis percuſsit, vt poſt ſanguis vomitum tertia die exſpirauerit.

Prumiæ verò non fœmina, ſed vir Diaboli verſutias expertus eſt. Veruntamen iuſta ſua culpa. Sollicitauerat ille puellam, vt ad ſe intempeſta nocte, libidinis explendæ cauſa, veniret. Venit non illa; ſed in illius forma Spiritus Nequam, *fædumq́, concubitum* perficit. Prius illud Cæſarius cap. 8. poſterius ca. 10. li. 3. recenſet.

Addimus his, quod Sozomenus in Trip. l. 8 ca. 1. refert de Apolle eremita, & fabro ferrario. Huic, cùm nocte quadam priſtinum exerceret, apparuit Dæmon, ſub *vmbra*, vt loquitur Sozomenus, *ſiue forma ſpecioſæ mulieris*, inuitans eundem ad *turpem libidinem*, nec non ad labefactandam corporis, & vitæ, quam diu coluerat, puritatem. Statim ille ferrum quod elaborabat, è fornace extrahens, in faciem eam percuſsit. Et Dæmon ſtridens ac ingemiſcens, procul aufugit.

Fuit & Menippus Lycius annos natus 20. & quinque in huius familiaritatem in hunc modum ſe inſinuaſſe dicitur Spiritus ſub forma mulieris. Pergebat quandoque Menippus Corintho Cenchreas ſolus. Et ecce phantaſma quoddam illi occurrit, quod ſe in mulieris ſpeciem conformauerat: atque ex manu apprehendens Menippum: Iampridem, inquit, ſe illius amore teneri captiuam. Eius blanditijs delinitus Menippus, veſperi *ad mulierem pergit, ac deinceps frequenter*, perinde ac ad ſuas delitias, donec tandem à Mago edoctus intellexit Lamiam eſſe ſeu Spiritum Nequam. Rem pluribus proſequitur Rodoginus Cœlius, l. 16. c. 4. Vide aliud huius rei exemplum capite 92. huius Diſputat.

CAP. XX.

Quæ ratio & conditio Vocum, Sonorum, atque Tumultuum, qui auribus viuentium percipiuntur, & à Spectris, ſiue Spiritibus, locis infeſtis excitantur.

NOn ſolùm *quomodo* Voces, Clamores, Gemitus, Riſus, Cātus, Strepitus, Tumultus, & quæcunque ſub auditus ſenſum cadunt, & à ſpiritibus infeſtis locis excitentur, hoc Capite nobis explicandum erit: ſed &, An hæc *verè* excitentur, & *verè talia* ſint, qualia vulgi opinione putantur, definiendū. 1

Id verò *hoc* prius conſtituendū, vt *illud* facilius docere valeamus:

Voces

2. *Voces* igitur, quæ adiuntur, ſi propriè loquamur, voces non ſunt. *Vox*, inquit Ariſtoteles, *eſt ictus aëris reſpiratione attracti: qui quidem ab anima ſit ea, quæ his partibus collocatur, ad eam partem, quæ gurgulio appellatur.* Solorum animalium eſt Ariſtoteli, habere *voces*: & non quidem omnium; ſed reſpirantium tantùm: quorum etiam non quicunque ſonus Vox eſt; ſed ijs tantùm: quorum etiam attractus, & qui animalis vel affectum, vel conceptum ſignificat. Iam verò Spiritus animalia non ſunt. Nulla eſt in ijs reſpiratio; nulla anima; nulla pars, quæ animæ motionem *excipiat*; *nullus gurgulio*.

Quòd ſi voces non ſunt, quas Spiritus formant; nec veri erunt, quos excitant, *Clamores*. Quid ita? Quia ea ratio Clamoris eſt, vt ſine voce eſſe nullo modo queat. Neque enim aliud eſt Clamor, quàm intenſa vox: nec vllus Clamores, alijs, quàm viuentibus, tribuerit.

3. *Gemitus* affectum, eorum, à quibus eduntur, ſunt ſigna; quemadmodum & *Suſpiria*. qui igitur affectibus carent, *Gemitus* edere nequeunt. Sed tamen non apud quoſcunque effectus eſſe poſſunt, poſſunt & *Gemitus* eſſe. Eas etiam partes, quibus vox ad ſui formationem indiget, requirunt; quibus cùm Spiritus careant; poſſunt quidem videri *Gemitus* edere, ſed reuera non edent.

4. *Riſus* eadem eſt ratio. Omnis qui à Spiritibus fit, ſimulatus eſt; ſpecie ſui fallit. Sed & *Riſus* ridendi potentiam ſequitur, quam Philoſophi contendunt effectum quendam rationalis eſſe animalis. Quis verò Spiritus animalia rationalia dixerit?

5. *Cantus, Concentus, & Melodia*, qua Aquilonares Spiritus nocturnos viatores, armentorumque & gregum cuſtodes recreant; à ſono, qui fiſtulis, organis, alijsque muſicis inſtrumentis excitatur, non differt. Quemadmodum igitur hunc ſonum propriè *Cantum* non dixeris; ità neque *Melodiam* atque *Concentum*, cuius Spiritus ſunt auctores. Sonus tantùm eſt, & præter ſonum nihil. Quid quod *Cantus* vocis quædam ſit modulatio? Quomodo igitur *cantare* Spiritus conueniet, quibus vox negatur?

6. Hinc eſt, quòd Spiritus in voce, clamore, gemitu, riſu, cantu formandis, *nullis organis*, quemadmodum homines atque animalia, quæ voces formant, opus habeant. Non indigent ore; non lingua; non palato; non labijs; non dentibus; quæ in articulata magis voce requiruntur. Non pulmone, arteria ſiue gutture, corde, gurgulione, cum viginti ſuis muſculis; quę ad alias, non ita articulatas, neceſſaria ſunt.

Sed &

Sed & plerunque cùm voces ſimulant, *nihil horum* poſsident Spi- 8.
ritus: vt illi in primis, qui clam & ſecreto, voces fingunt. Cur aſſu-
merent, quod ad nullos vſus ipſis ſeruire debet? Poſsunt ſimulare
voces, abſque vllo prædictorum inſtrumentorum auxilio; quem-
admodum & ſimulant, vt plurimùm

Quando verò apparent Spiritus, vt ſe viuentium oculis obijci- 9.
unt; his quidem inſtrumentis, ore, lingua, faucibus, dentibus in-
ſtructi aliquando (*non enim ſemper*) ſunt, non quod his, ad voces for-
mandas opus habeant; ſed quod non ita, ſine his, commodè, pro-
poſitos ſibi fines aſſequuntur.

Cæterùm, quamuis omnia iam dicta *ſpecietenus* talia ſunt, 10.
qualia vulgò iudicantur; *Soni* tamen reuera eſſe poſſunt. Nonne
quandoque aures audientium percelluntur? Nonne audien-
do moleſtiam aliquando patiuntur? Et hoc forſitan ſine vero
ſono?

Quocirca & ipſi infeſtantes atque moleſtantes Spiritus; licet 11.
verè *voces* edere nequeant; quemadmodum demonſtratum eſt, ve-
ros tamen poſſunt edere, eduntque *ſonos*. Non tot ad *ſonum*; quod
ad *vocem* ſunt neceſſaria. Multo paucioribus indiget *ſonus*. Et à non
viuentibus veri poſſunt excitari, excitanturque *ſoni*, quamuis non
veræ *voces*.

Hinc eſt, vt tráſlata ſignificatio verborum non ſit, quę Spiritibus 12.
tribuuntur, & præter ſonum nihil in ſe includunt: tranſlata ſit, ſi
Spiritibus tribuuntur, quæ in genere ſunt vocum. Prioris generis
ſunt *ſtrepitus, tumultus*, & his ſimilia: poſterioris *clamor, riſus, gemitus,
illachrymationes*, &c.

Dum tamen *ſonos* excitant Spiritus, non vnum aliquid illorum 13.
ſunt, quæ ad ſonos formandos ſunt neceſſaria. *Tria* illa ſunt; corpus
percutiens: corpus percuſſum: & medium, in quo ſonus recipitur.
Nihil horum ſunt Spiritus. Veruntamen quia poſſunt percutientia
corpora, percuſsis admouere: inter quæ interceptus aer ruptus &
fractus ſonos format; ipſi *ſonos edere* dicuntur.

Sonos igitur *veros* edunt Spiritus, dum loquuntur, clamant, ge- 14.
munt, illachrimantur, rident, tumultuantur, ſtrepitus excitant. An
verò *ſemper*? An *aliquando*? An, vt *plurimùm*, vel rarius? Tria quæ-
runtur. Reſpondetur ad ſingula.

Non *ſemper* edunt. Argumento illud eſt, quod accidat, vt in mul- 15.
torum præſentia quidam nonnunquam ſint, qui tumultus, ſtrepi-
tusque Spirituum ſe audire credant, & conſtanter aſſerant: cùm in-
terim cæteri præſentes percipiant nihil.

Digitized by Google

16. Scio & hic *veros quandoq;* eſſe ſonos, qui ab his audiuntur, ab illis non audiuntur. Quemadmodum organum viſus atque tactus; guſtus atq; olfactus; ne ſuo officio fungantur, impedire poſſunt Dæmones; ita poſſunt auditus: & dum in his impediunt. in illis ſuas ipſis functiones permittere poſſunt. ſed tamen, vt hoc fieri poteſt; ita & illud; vt prorſus auditui illudatur, & nullus verus ad ipſum ſonus perueniat; quamuis interim ſibi quis, quòd veros ſonos audiat, perſuadeat. Si fallere poſſunt, vt quis videre ſe credat, cùm videat reuera extra ſe nihil:non poterunt fallere, vt credat quis ſe audire ſonos, quos reuera non audit? Non igitur *ſemper* veros ſonos edunt.

17. *Aliquando* tamen edunt. Pro hoc poſſet nobis communis omnium ſenſus atque conſenſus ſeruire: qui quod *veros* ſonos, tumultus, ſtrepitus audiant, omnino ſibi perſuadent: nec vt contrarium ſentiant, induci poſſunt.

Sed tamen pro eodem duplex ratio militat. Altera eſt, quòd quãdoque auditus organum grauius in horum ſonorum perceptione lædatur: Altera, quod ab omnibus, qui aliquo communi loco circumſcribuntur, percipiantur; quamuis etiam ex omnibus illis vnus aliquis ſit, quem Spiritus perſequantur.

18. Sed &, *vt plurimùm*, veros ſonos excitari dixerim: tum quod in hoc negotio difficultatem magnam Spiritus non habeant: tum quòd qui audiuntur tumultus, ab omnibus, vt plurimum, percipiantur: quemadmodum exempla, primo Capite allata, docent; & confirmat quotidiana experientia.

19. Interim, quamuis veri ſoni audiantur, & excitentur: non tamen credendum eſt, ſemper *ijs corporibus* excitari, quibus excitari videntur. ſæpe diſiecta putatur ſuppellex; quando illa prorſus manſit immota. Sæpe excitatus malleis ſonus; quando nullus in domo malleus. Sæpe armorum colliſione iudicatur fieri tumultus; quando nulla arma, ſed armorum tantùm inanes formæ.

20. Hîc plurimum Spiritibus ſeruit *aër* Huncilli concitant. huius varia colliſione, conſtrictione, diſruptione, alliſione, &, vt ita dicam, inundatione; nunc rugitum leonum ſimulant, nunc mugitum taurorum, nunc ſerpentum ſibilum, nunc porcorum grunitum, &c.

21. Quocirca aer hîc non tantùm *medium* eſt, per quod ſonus ad aures defertur: ſed nunc quoque *percutientis* corporis, nunc *percuſſi* ſubit rationem. *Percutientis* quidem, dum percuſſum aliud pulſo à Spiritibus

ritibus aeri reſiſtit; *percuſſi* verò; dum aliquod ſolidius in illum facit impreſsionem.

Atque ita quidem *ſonos* formant Spiritus, dum à colliſis corporibus illi excitantur, & *verè veri* audiuntur. Sed tamen, (quemadmodum diximus) non *verus* ſemper, realiſque ſonus eſt, qui percipitur. Vt viſum, ita *auditum illudi* contingit. Nunquid non qui phreneſi laborant, non ſolùm ſe mira videre; ſed & mira audire exiſtimant? cùm tamen nihil ſit, quod vel extra ipſorum ſit viſum, vel extra auditun? Et nos, cùm ſomno capti, dormimus; quoties ſomniantes reſpondemus ijs, quos in ſomnis, tanquam interrogantes, & nobis loquentes imaginamur? & tamen hîc nulla aut vox, aut ſonus ad noſtras aures pertingit. 22.

Varijs igitur, & non vno, modis contingit audiri Spiritus. *Vnus* eſt, in quo viuentibus non illuditur; quia & verus ſonus eſt, qui ad aures defertur; & verè ab ijs corporibus excitatur, à quibus excitari creditur, *Alij* ſunt, quibus viuentibus illuditur: qui & ipſi *varij* ſunt. 23.

Contingit primò viuentibus illudi, non quidem obiecto auditus (ſono inquam) quaſi reuera, is non ſit, qui ad aures defertur: ſed ſoni *authore* & cauſa: dum malleis, vel gladijs, vel ſupplectile iudicatur excitari, qui non niſi concuſſo aere excitatus eſt, Secundò illudi cótingit, quando iudicatur *extra* hominem factus, qui in homine vel in miringa excitatur. Quemadmodum enim in externo aere ſonos poſſunt efficere Spiritus, qui ad hominum aures deferuntur: ita poſſunt in ipſa aure: qui tamen ab audientibus illum, extra aurem factus credatur. Et his duobus modis, quemadmodum & primo, *verus realiſq́; ſonus* percipitur ſemper. 24.

Aliquando nullus *realis* ſonus eſt, qui percipitur: percipi tamen iudicatur. quemadmodum in phreneticis, & dormientibus accidere diximus. Atque hoc *dupliciter* accidit, deriuatione ſpecierum ſoni ad organum ſenſus; & imaginatione. Hîc ſolius imaginationis eſt operatio: ibi aliqua auditus. Sed hæc alterius loci. Noſtra proſequamur. 25.

CAP. XXI.

Quæ ratio & conditio formarum, quæ in oculos incurrunt: quibus ſe viuentibus Spiritus & Spectra exhibent.

QVem in ijs, quæ *auditui* obiecta ſunt, ordinem ſeruauimus 1.

idem in rebus viſis ſeruandus eſt. Principiò de viſarum rerum *conditione*; tum deinde de *modis*, quibus Spiritus, & Spectra conſpiciuntur agendum eſt.

2. In priori illo *Tria* quæruntur. Primò, Vtrum *reuera hoc ſint*, quod videntur Spectra. Secundò, ſi reuera hoc non ſunt, An quando ita videntur, *ſint ſaltem res animatæ*. Tertiò, An ſi animatæ non ſint, *reuera ſaltem ſint corpora*.

3. Quia verò præcipuè *tribus* formis diuerſis ſe Spectra exhibent viuentium conſpectui; *humana*, ſcilicet, *brutorum*, & *monſtrorum*: *primũ* illud trium explicationem poſtulat. quæ ſunt. 1. An viri ſint *homines*, qui videntur humana forma 2. An vera *bruta*, quę brutorum conſpiciuntur ſpecie. 3. An vera *monſtra*, dum monſtrorum occurrunt formæ.

4. *Homines non ſunt, qui forma humana videntur Spiritus: quæcunq; etiam ſe forma ſimulent*; triſti, læta; amica, horrida; graui, leui: Id in humanis Spiritibus certum eſt; propterea quòd defunctos illi referant; qui ad vitam non, niſi grauiſsimo miraculo (quod hîc nullum eſt) reuocari poſſunt. In Diabolis verò multò eſt manifeſtius; cùm & illorum proprium ſit hominibus illudere: & vires ipſorum tantæ non ſint, vt vel hominem producant nouum; vel à morte advitam reuocent defunctum.

5. *Bruta, quæ conſpiciuntur, ſæpe ſpecie ſui fallunt; aliquando etiam hoc ſunt quod videntur*. atq; tum, vel, opera Spirituum, de nouo producta ſunt; vel aliunde adducta. *Fallunt* plerunque illa, quæ intempeſta nocte conſpiciuntur; aut, ſi alijs temporibus, vſum diuturnum nõ habent, moxque euaneſcunt; qualiacunque illa ſint, ſiue perfectorum, ſiue imperfectorum animalium formas referant. *Opera Spirituum* aliquando illa producuntur, quæ animalia imperfecta, ſiue inciſa, vocantur. Quando *perfecta* conſpiciuntur, & vera ſunt; non à Spiritibus facta ſunt, ſed aliunde adducta.

Poſtremi huius generis (nam de cæteris conſtat) vnum producit B. Hieronymus in Vita Hilarionis. *Ad Hilarionem quoq;*, inquit, *animalia quotidie* pertrahebantur; in quibus Bactrum Camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, triginta & eò amplius viri ſolidiſsimis funibus ligatum cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi: ſpumabat os: volubilis lingua turgebat: & ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. Iuſsit igitur eum dimitti Senex. Statim verò, & qui adduxerant, & qui cum ſene erant, vſque ad vnum omnes diffugêre. Porrò ille ſolus perrexit obuiam & ſermone Syro: Non me, inquit, terres Diabole, tanta mole

corpo-

corporis, & in Vulpecula, & in Camelo vnus atque idem eſt. Et interim imperfecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum deuoratura bellua perueniſſet, ſtatim corruit ſummiſſumq; caput terræ coæquauit: mirantibus cunctis, qui aderant, poſt tantam ferociam, tantam ſubitò manſuetudinem. Docebat autem Senex, hominum cauſa, Diabolum etiam iumenta corripere; & tanto eorum ardere odio; vt non ſolùm ipſos, ſed ea, quę ipſorum eſſent, cuperet interire. Hactenus B. Hieronymus.

Monſtra ſi quando videntur, propemodum ſemper opera Spirituum ſunt. In genere animalium nullum nouimus, quale B. Hieronymus refert, *hominem equo mixtum*; & aliud, *fronte cornibus aſpera, cuius extrema pars corporis in caprarū pedes deſinebat.* Quod ſi quidam, cum Plinio li. 7. c. 2. Satyros ſubſolanis Indorum montibus, tum *quadrupedes*, tum *recti currentes*, humana effigie, admiſerunt; nobis in hoc argumento contrarij non ſunt: quoniam hi ipſi Dęmonem prodent; vt per quos humanum ſermonem ſenſumque mentitur; & humanam, aut etiam pluſquam humanam vim atque ſapientiam oſtentat. 6.

Igitur ſi *reuera* nec homines ſunt, nec bruta, nec monſtra, quæ conſpiciuntur; profectò errant, qui in his *ipſorum operationes*, quæcunq; tandem illæ ſint, poſuerunt: aut operationum *principia & organa*: aut quicquam, quod illa pro conditionis ſuæ ratione poſtulare poteſt. 7.

An *ſaltem ſunt res viuentes & animatæ? Nec hoc ſunt.* Atque hoc ſecundo loco explicandum erat. Quomodo enim *viuentes* res dicemus, quæ neque in hominum ſunt genere; neque in vllo brutorum animalium? 8.

Vnum genus formarum, quibus terrent & moleſti ſunt Spiritus, in numero *viuentium* poſuero: illud ſcilicet, quod, imperfecta animalia, quæ opera Dæmonum fieri poſſunt, repræſentat: præter hoc vix aliud. 9.

Interim tamen, quod tertio loco dicendum eſt, *corpora perſæpe ſunt, quæ videntur Spectra*; ſub quibuſcunque etiam figuris videantur. Vera corpora ſunt homines qui conſpiciuntur. Vera corpora, bruta animantia. Vera corpora monſtra. 10.

Triplicis autem generis hæc corpora ſunt. Aliquando quidem *vera & viua* ipſorum, quæ videntur; quemadmodum illa imperfectorum animalium, quæ diximus: & perfectorum aliunde allatorum. Aliquando *vera quidem ſed non viua*, vt ſi hominis defuncti ex patibulo corpus circumferant. Aliquando *nec viua, nec vera*; vt ſi aliquod, ex aere, forment, quod vel hominis, vel alicuius animantis externam formam ſimulet. 11.

QVod *tactu* viuentes aliquando Spiritus percipiant, certum 1.
eſt. Superiùs, Cap. 19. id pluribus eſt probatum, ex moleſtia hominibus per Spiritus allata; quam etſi quandoque alijs, præcipuè tamen tactus ſenſu perceperunt. *Quinq;* autem, in modis ſuperius recenſitis, difficultatem habent, quę hoc Capite explicanda ſunt. Primum eſt; Vtrum ipſi Spiritus *vi tangendi* valere, & verè tangere dicendi ſint. Alterum. Cur *frigida* ferè percipiantur Spirituum, quę tanguntur, corpora; aut certè non ita calida. Tertium, Qua ratione *vſtionis*, quam aliquando afferunt, ſint cauſæ. Quartum, Quomodo *verbera* & *vulnera* infligant, cùm armis omnibus videantur deſtituti. Quintum, Quomodo *mortem* atque *necem* procurent.

Tangere Spectra dici poſſe, ſi quæſtio eſt de tactu, quem Ariſtoteles *Mathematicum* vocat, omnino clarum eſt. Siquidem fieri poteſt, vt (in quo ratio *huius tactus* conſiſtit) inter Spectra, atque aliud corpus nihil ſit medium; & vtriuſque extrema ſimul exiſtant. At ſi de tactu illo ſermo ſit, qui *viuentium poteſtas* eſt; & primarum præcipuè qualitatum eſt capax; nec tangere dici debent Spectra, nec virtute tangendi eſſe inſtructa: propterea, quod, principiò talis tactus, anima ſcilicet informante, careant. 2.

Quamuis autem verè non tangant, verè tamen à viuentibus tanguntur. Nam & virtute tangendi inſtructa ſunt viuentia; & qualitatum tactibilium impreſsionem ſentiunt, quandoq; vel tangunt Spectra, vel tanguntur à Spectris. 3.

Subfrigida verò, vt plurimùm, percipiuntur corpora Spirituum, 4.
quæ tanguntur. id obſeruant, tum illi, qui nocturnas moleſtias à Spiritibus ſuſtinent: tum, qui cum ijſdem nefarios cõgreſſus exercent. Nec mirum. Nam, vt plurimùm, vel defunctorum, vel ex aere compactorum corporum miniſterio vtuntur: quæ & natura ſunt frigida; & caloris, ſi alicuius, certè illius naturalis viuentium, capacia non ſunt.

Vruntur quandoque viui Spirituum attactu. Quomodo verò? 5.
An fortè igne illo, quo damnati torquentur, infernali? An alio aliquo corporibus aſſumptis *ingenito*? An quem ipſi, ſua vi, *per ſe producunt*? An *ſublunari* aſſumpto? An alio? *Non infernali* Non, quia illum ſecum ex inferno ad viuentes deferre non valent; ſed quia, vt deferant, nulla neceſsitas cogit. Nec enim corpora, quæ circumferuntur, illo torquentur: & Spiritus extra infernum exiſtentes, etiam illo infernali verè torquentur, quamuis inferni terminis ille maneat circumſcriptis. *Non corporibus aſſumptis ingenito.* Nullus

ipſis.

CAP. XXIII.

Qui ſint veri & proprij auctores eorum, quæ in Spirituum infeſtationibus atque moleſtijs percipiuntur, vel viſu, vel auditu, vel tactu, vel quocunq; modo alio: & oſtenditur, quæ humanis Spiritibus tribui debeant, quæue minimè.

1 MOleſtias, quibus Spiritus viuentibus infeſti eſſe ſolent ad *Tria* capita reuocauimus: alias viſu, alias auditu, alias tactu percipi docuimus. Explicauimus ſingularum rationes: Poſt hæc ipſarum verus & genuinus auctor inquirendus eſt, & diſcutiendum, *Sintne ſinguli Spiritus qui moleſti ſunt omnium moleſtiarum, quæ ipſis tribuuntur, per ſe auctores*; an potiùs per alios aliquando fiant; his tamen vel illis tribuantur, quod vel horum vel illorum *nomine*, vel ipſis *præſentibus* excitentur.

2 Et de Spiritibus *humanis* præcipua quæſtio eſt: non de Dæmonibus. Hi enim cum plurimum valeant ingenio, ſcientia, atque potentia: quaſcunque recenſuimus moleſtias *per ſe*, ſuiſq; viribus poterunt excitare; de quibus, Vtrum ab humanis Spiritibus afferri valeant, non ſine multis magniſque rationibus dubitatur.

3 Primùm enim *ingenij acumine atq; perſpicuitate* Dæmoniorum Spiritus plurimum ſuperant humanos. Quamuis enim & hoc quidam mortales excellant; & quædam quaſi naturæ monſtra inter homines, viſi ſint; Dæmoniorum tamen quoſcunq; homines, tantùm ingenij præſtantia, quantum natura excedere videntur. Et natura quantum excedunt? Vt nulla humana, eorum perfectionem attingat.

4 Deinde *ſcientia* Spirituum humanorum multò illorum inferior eſt. Illi & variam rerum habent experientiam; & multa in vaſtiſſimo orbe, à condito mundo obſeruarunt: &, quod præcipuum eſt, rerum omnium ſpecies atque ſimulachra, quæ ſcientiarum quoddam quaſi ſunt ſeminarum, à Deo Optimo Maximo (cùm primum conditi ſunt) acceperunt; in quibus ob id, quandocunque lubet, non minùs, quàm ſpeculo, rerum naturas proprietateſque clariſſimè perſpiciunt. Quid horum in Spiritibus humanis? Quàm parum in corporibus experti? Quàm pauca in mundo obſeruârunt? Qua-

Digitized by Google

tur,ſed Angelus: qui dicere poterat ſe eſſe *Dominum Deum*, quia Domini Dei perſonam ſuſtinebat.

Alterum eſt, *Omnia illa opera*, quæ recenſuimus, *etiam tunc rectè poſſe humanis Spiritibus tribui, quando ipſi autoproſopos præſentes non ſunt; ſed tamen in ipſorum perſona, ab Angelis fiunt.* Scripturæ mos eſt, vt rerum Imagines iiſdem nominibus inſigniantur, quibus ipſęmet res ſolent appellari. Cæleſtium poteſtatum imagines, quæ ex metallo formatæ ſuper arcam Teſtamenti collocatę erant, nomen *Cherubin* retinent. Exod *25*. Rex Pharao, qui ſpicarum atque boum imagines futuræ ſterilitatis nuncias, viderat dormiens, nihil ſe niſi *Spicas & boues* vidiſſe teſtatus eſt. Geneſ. *41*. Et Pincerna Pharaonis in carcere cum Ioſeph exiſtens, *vitem* ſe in ſomnis vidiſſe dixit, in qua eſſent *tres propagines*: & tamen nec vitem, nec propagines; ſed rerum illarũ imagines vidit. Ibidem. Et nos quoque cùm pictam videmus tabulam, eorum ipſam nominibus compellamus, quorum formas refert ſpecies. 9.

Veruntamen quamuis hęc ita ſint; non tamen nullæ hîc ſunt Spirituum humanorum partes. Quamuis *aliquando* ipſi præſentes non ſint; non tamen *ſemper* ſunt abſentes. Quamuis non *omnia* per ſe faciunt: non tamen dicendum eſt facere omnino *nihil*. *Aliquando* pręſentes ſunt in propriâ perſona. *Aliquando* quædam efficiunt. Et *quandoq;* etiam poſſunt, quæ tamen non faciunt. 10.

Quando igitur ſunt præſentes his moleſtijs humani Spiritus? Quid in his poſſunt? Quid faciunt, & *per* ſe moliuntur? 11.

Quando ſint autoproſopos pręſentes, non ſemper clarum eſt. *Vide* quæ ſuperius ca. 10. 11. dicta.

Non certò *ſemper* conſtat, quid *per ſe* ipſi hic faciunt.

Quid vel poſsint, vel non poſsint ſequentibus docemus Aſſertis.

Primum ſit. *Poſſunt defunctorum hominum Spiritus propria virtute ad alia atq; alia loca tranſire; nec in hoc opus habent vllo vectore.* Ita docet Toſtatus, in 25. Mat. q. *772*. Cur enim non poſſent? An ipſis vis omnis ſe mouendi, poſtquam corpora depoſuerunt, adempta eſt? Quis credat? Iiſne locis, vbi corpora intereunt, ſemper manent? quid abſurdius dici poteſt? 12.

Subſiſtentes quædam *per ſe*, naturæ ſunt humani Spiritus, quando corpora reliquerunt; valentque perfecta & intelligendi & appetendi virtute. quid ſi igitur tum locum quendam ſibi conuenientem apprehendant; & illic eſſe atque conuerſari deſiderent; nonne eodem ſe ſuis viribus promouere, niſi ſuperioris authoritate (quæ tamen ius naturæ ipſis ſaluum relinquit) prohibeantur, poterunt? Sic ſi præſentem, in quo degunt, ſibi intelligant eſſe 13.

Digitized by Google

moleſtum & pernitioſum, volentéq; inde cedere; annon valebunt?

Imperfectiſsima illa animalia Ariſtoteli ſunt, quæ ita locis af-
15. fixa ſunt, vt ſe mouere inde nequeant: & tamen inter hæc ipſa, nulla ſunt, quæ non aliquouſque vel aliquatenus, ſe poſsint promouere: Et hominũ Spiritus, qui inter naturas creatas poſt Spiritus cęleſtes principẽ locũ obtinent, omni, ſe mouendi, virtute deſtituti erunt?

Valent virtute ſe mouendi mentes illæ cœleſtes, & quidem
16. maxima. Ita conſtanter cum Theologorum ſchola docent Philoſophi: Sed ad harum conditionem proximè accedunt Spiritus humani, à corpore ſeiuncti, præſtabunt igitur & ipſi eadem, qua illi, mouendi virtute.

Hinc eſt, vt animabus, ſiue humanis Spiritibus, duplex mouendi vis collata ſit: altera, qua corpus, quod vegetant; altera, qua ſe mo-
17. uent, Illam excercẽt, cum corporibus ſunt incluſi: hanc, dum à corporibus ſunt expediti. Illam habent communem cum brutis animantibus: hanc cum Spiribus cæleſtibus, qui omnis concretionis cum materia, ſunt expertes.

Sed ſi ſe mouere poſſunt; quid eſt, quod anima Lazari, illius Euangelici, Lucæ 16. dicitur *ab Angelis deporrata in ſinum Abrahæ*? quid opus vectore Spiritui firmo atque robuſto? Abſurda nimium eſt ſententia quorundam, hinc colligentium, Animas corporibus exutas mouere ſe loco non poſſe: quod *ab Angelis*, quaſi mortuum & ignauum onus dicantur *deportari*. Non eam vim *portandi* verbum habet; vt ſignificet onus geſtare; ſed pro *ducere* poſitum eſt; vt in illo pſalmo 90. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedem tuũ* Neque enim ſignificat Propheta Angelos manibus ſuis portaturos Chriſtum: ſed ita ducturos, quacunq; incederet, & ita profecturos, vt non magis ad lapidem poſſet offendere; quàm ſi manibus geſtaretur. Eodem modo ſignificatur animam Lazari portatam ab An-
18. gelis Quocirca non magis, ex hoc loco, animas, quam ex illo Pſalmi Chriſtum moueri non poſſe, probari poteſt. Non Angelorum miniſterio Lazari anima indigebat, Honoris officium, quod ipſi debebatur, præſtabant Angeli.

Idem beneficium *beatis animabus*, quando ex hoc ſeculo emigrant, ijdem Angeli præſtant: quæ alioquin per ſe abſque vllo cœleſtium Spirituum ſubſidio & ſodalitio, mox ad cœleſtia regna tranſuolare poſſent Neque enim animæ hæ locum poſſunt ignorare, aut quò & quà tendunt. beatę enim ſunt; & quæ ad ipſarum conditionem pertinent, nôrunt perfectè. Neque deeſt ipſis facultas mouendi. hoc iam demonſtratum eſt. Et cùm ipſos ardens cupidi-

tas

tas teneat; vt Chriſto ſint præſentes; ſummaque obedientia, vt ſen- 19.
tentiam, quæ pro ipſis lata eſt, cùm corpora relinquerent, expediant; ſubitò ſe ad cœlos transferrent. Vide Toſtatum, in 25. Matth. q. 777.

Et quamuis *purgandorum Spiritus*, non ſine cuſtode Angelo, ad ſupplicij locum deſcendant; non tamen ille vector, ſed ductor ipſorum eſt, ſciunt illi Spiritus, poſtquam è corpore egreſſi; quis ipſis locus deſtinatus ſit. Et licet pœnas horreant, promptiſsimè tamen ad illas ſe offerunt: adeoque ad ſupplicij loca feſtinant, cùm ſciant peccatis ſuis illas deberi; & ijs perſolutis aditum ſibi ad cœleſtia ſempiterna & immenſa gaudia patere. Angelum tamen ductorem 20.
atque ſocium habent, partim, vt viam, quam ignorare poſſunt, demonſtret: partim, vt ſolatium aliquod ab ijſdem percipiant. Vide Toſtatum in 25 Matth. q. 778.

Similiter *damnatis Spiritibus*, ſi quidem per ſe, diuinam ſententiã exequi vellent, vectoribus nullis opus eſſet. Vectores tamen (non tantùm ductores) habent, & quidem Dæmones, (quamuis Hiero. in 7. c. Daniel & Ambroſ. l. 5. Epiſt. 21. bonos Angelos videantur aſſerere): tum, quia locum ſupplicij ſibi deſtinatum ignorant: tum, quia ſupplicia, ſuppliciorumque locum, quæ adeunda ſunt, horrent & aduerſantur: quemadmodum & Deum ipſum, cuius ſententiam deteſtantur, & blaſphemant. vt ob id, niſi vis illis à Dæmonibus, quaſi diuinæ iuſtitiæ miniſtris, fieret, atque ad inferos raperentur, loco inferni nequaquam per ſe peterent. Vide de his Dominicum Soto in fine Comm. in 4. Sententiarum, & Theodorum Pel- 21.
tanum, de Purg. & Sedib. Anim. & Toſtatum, in 25, Mat. q. 779. *Valent igitur vi mouendi defunctorum Spiritus.* Atque hoc primum eſt Aſſertorum noſtrorum.

Secundum ſit. *Poſſunt ijdem defunctorum Spiritus propria virtute ad viuentes redire; quamuis, vt redeant, non ſemper permittatur.* Cùm enim virtute ſe mouendi ſint prædici; & loca mutare valeant; cur minus potuerunt ad ſuperos redire, quàm ad quæcunque alia loca pene- 22.
trare? Et cùm bonum propoſitum ipſos ad loca petenda inuitet, poteritne hoc æquè apud ſuperos inueniri, quàm quibuſcunque locis alijs?

Veruntamen, quòd virtute naturali ſibi congenita, poſſunt; hoc non ſemper ipſis permittitur; & inprimis illis, de quibus nobis eſt ſermo, moleſtantibus Spiritibus. Hi certis locis, pro ratione ſuorum meritorum, ſunt deputati: ex quibus non niſi pro eius, qui 23.
ſupplicia decreuit, voluntate exire licet. Sed aliud eſt quærere,

Digitized by Google

23. quid culpatum merito debeant; aliud, quid viribus naturę poſsint.

Tertium, Aſſertum. *Defunctorum hominum Spiritus rerum ſpecies per quas in viuentium oculos incurrunt conſpiciuntur, ſi ibidem vera deſint corpora, per ſe effi.ere nequeunt.* Explico, quod obſcurius dicitur. Duobus modis cõtingit, vt defunctorum Spiritus ſub viſus ſenſum veniant: nunc in nudis tantùm, quæ fiunt *ſpeciebus,* nunc in veris corporibus, quæ ſpecies ſui ad oculos tranſmittunt. De priori nobis ſermo eſt. Sed hic duplex eſt. Aliquando enim ipſæ, *Species* non extra humanos ſunt oculos; quemadmodum neque ipſæ quæ videri videntur, res: aliquando in aere factæ, ad oculos tranſmittuntur.

24. Neutro modo opera ſunt humanorum Spirituum.

Quo enim dici debent? Dum nullum *eſſe* extra viſus organum habent, ingenio magno, acrique induſtria fiunt; & nunc quidem humorum varia multipliciq; compoſitione: nunc phantaſmatum cõmotione. quid autem hîc poſſunt humani Spiritus, quibus neque in humores, aut phantaſmata poteſtas data; neque ſciunt, quomodo vtraq; cõponi, miſceriq; debeãt, vt quas vellẽt *formas* exhibeãt?

25. Ita cùm in aere compacto atque compoſito formantur *Species,* humanos Spiritus non habent auctores. Et hîc magna ſcientia, & excellens neceſſaria eſt poteſtas: quæ ſi non in omnibus, certè in pluribus, qui moleſti ſunt, Spiritibus, deſiderantur. Vt taceam credi fortè poſſe in hoc genere non poſſe Spiritus hos à corporibus liberos, quod non potuerunt (quemadmodum hoc non potuerunt) corporibus coniuncti.

26. Quartum Aſſertum ſit. *Nec his defunctorum Spiritibus authoribus hominis Imaginatio immediatè perturbari, aut affici poteſt.* Omnis quæ in *imaginationẽ* hominis impreſsio fit, rerum ſpeciebus & ſimulachris, tanquam quibuſdam inſtrumentis, perficitur. Quocirca qui poteſtate has ſpecies producendi carent; in hominis *imaginationem* poſſunt nihil. At carent hac Spiritus defunctorum. Nec mirum. quia etiam viui in *imaginationem* hominis potuerunt nihil *immediate,* quicquid potuerunt; interueniente exteriorum ſenſuum miniſterio perfectum eſt.

27. Hinc iam ad quintum Aſſertum deſcenditur; quo dicimus, *Moleſtias, quas in ſomno quidam patiuntur, ob ſimulachra atque idola variasq; formas, quæ phantaſiam occupant, humanos Spiritus authores habere non poſſe.* Si vigilantibus has afferre nequeunt, poterunt dormientibus, & ſomno preſsis? Somnus forſitan aliorum vel ſcientiam Spiritibus addit maiorem; vel vires robuſtiores?

28. *Corpora quoq; propria virtute viq; ſua aſſumere nequeunt hi moleſtantes hu-*

humani Spiritus. Hoc ſextum ſit eorum, quæ aſſerimus. Cæterum nomine aſſumptionis, hoc loco, non illam vnionem intelligimus, qua Spiritus corpori, tanquam mobili vniuntur, in eoque apparere, & ſe exhibere affectant: ſed compoſitionem, atque aeris coagmentationem talem, quæ prorſus humanam formam, figuramue referat. In priori illa admittenda difficiles non ſumus. at poſteriorem ob duas cauſas humanis Spiritibus ſuſpicamur impoſsibilem. Prior eſt, quòd non inter Philoſophos, etiam excellenter doctos conueniat, qua ratione aſſumptio illa perficiatur. poſterior, quòd vires humanorum Spirituum, dum corpora ſua ſuſtentant, huic negotio ſint impares.

An fortè maiores ſunt vires Spirituum ſeparatorum, quàm con- 29.
iunctorum? Vires naturas ſequuntur: quo illæ habent perfectius *Eſſe*; eò integriores vegetioreſque vires. *At Eſſe* Spirituum corpora informantium perfectius eſt eò, quod habẽt à corporibus ſeparatis: quemadmodum docet Toſtatus *Abulenſ.* in 25. Matth. quæſt. 585.

Fortè tunc ſcient, quod in corporibus conſtituti, in hoc corpo- 30.
rum, & aeris coagmentatione ignorant. *At* vnde ſcire poſſunt illi, de quibus noſtra eſt diſputatio, damnati, vel nondum beati *Spiritus*? Ex ſe non intelligunt. Vnde igitur? forſitan ſtatim aliquis ipſis ſe pædagogus, qui doceat, offert?

Et vt intelligant rationem, modumque componendi maximè: 31.
vires etiam habeãt nõ inferiores abſtracti à corporibus, quam corporibus incluſi: necdum tamen tantùm creduntur poſſe; vt corpora hæc forment: quod non pares, ſed multò maiores vires hic neceſſariæ videntur, quàm humanis Spiritibus à *Deo* Opt. Max. ſint communicatæ.

Porrò quemadmodum corpora hæc coagmentare atque con- 32.
denſare *per ſe* nequeunt humani Spiritus: ita neque ipſi ſunt, *qui formas atq; figuras, ſub quibus conſpiciuntur à viuentibus, conferunt.* Hoc ſeptimum *Aſſertorum.* Eoſdem authores habent *figuræ* atque formæ; quos habent ipſa condenſata corpora: propterea, quòd fines condenſatorum corporum ſint figuræ, atq; à condenſatis corporibus *re* non differant.

Non igitur Spirituum humanorum opera ſunt facies triſtis, & 33.
macie confecta; aut vultus hilarior: non forma virilis aut fœminea, non ſpecies ſenioris aut adoleſcentioris: non intonſa & prolixior barba: non truces oculi; & quæcunque tandem ad formam ſpectare poſſunt. Quemadmodum veſtis authorem habet non illum, qui ipſa vtitur; ſed ſartorem; ita formæ hæ non Spiritus, qui illas circum-

circum ferunt; ſed illum, qui corporum, in quibus formæ ſunt, eſt compactor & fabricator.

34. Eadem ratione *colores, qui in hiſce corporibus conſpiciuntur, his Spiritibus, tanquam authoribus, tribui non debent*. Hoc octauò aſſertum eſto. An in formata iam corpora *colorem per ſe* valent inducere? Nec ipſi quidem hoc poſſunt (quamuis longè his excellentiores) Angeli: qui quotieſcunque *colorem* rebus addunt, non *per ſe*, ſed ſubſidio aliorum corporum addunt. *Colores* igitur, quoniam corpora ſequuntur, eoſdem cum corporibus habebunt authores.

35. Interim tamen, quamuis corpora aſſumere *vi ſua* non poſsint humani Spiritus; *poſſunt tamē iam formata & ſibi quaſi commodata, mouere & circumferre*. Atque hoc nonum ſit noſtrorum Aſſertorum. Quid enim, cur minus poſsint, prohibet? Si ſua potuerunt, quę olim fouebant; non poterunt his ſimilia, quæ non fouent? Et formæ ſunt corporum hi Spiritus: & corporum motores ſunt. Hic quamuis formę non ſint; motores tamen ſunt: quocirca & hæc mouere poterunt. Atq; hæc pluribus docet Toſtatus in *25*. Matt. q. 773 quamuis contrarium doceat S. Thomas in 1. part. q. 117. art. *4*.

36. Veruntamen *non quæcunque ſibi commodata & tradita mouere poſſunt*. Quid ſi mole ingentes excedant montes? quid ſi enormi magnitudine ſuperent quæcunque humana? & nihilominus humanam retineant formam? Spirituum humanorum in aſſumptis corporibus non maior virtus eſt; atqui eorundem fuit in corporibus proprijs. Quocirca ſi quæ corpora diſdiapaſon humana excedant, humanorum Spirrtuum vi tantùm illa non mouebuntur, ſed etiam virtute aliqua ſuperiore. Hoc decimum ſit Aſſertorum, ex ſententia Toſtati Abul. in 25. Matth. q. *774*.

37. *Quod ſi verò aſſumpta infra humanorum corporum ſint quantitatem; multò illa faciliùs mouebunt*. quoniam facilior motus; vbi virtus agentis maior, & minor patientis. Si iuſtam humanorum ſtaturam attingēt, mouebunt: quamuis non æquè facilè, vt propria, quæ informarunt aliquando; propterea, quòd maior ſit vis Spirituum informantium & mouentium, qsàm mouentium tantùm, & non informantium. Sit hoc Vndecimum.

38. Præterea in hoc Spirituum corpora mouentium motu, *non illa mouendi ratio ſeruatur, quæ in corporibus proprijs*. Hic ita mouent Spiritus, vt parte vna mota, eadem aliam impellant, & moueant: ibi ita aſſumpta corpora mouent, vt tota ſimul pellant & promoueant. Hoc Duodecimum.

Sed

Sed & hîc corpora ita mouent, vt tamen *non ipſi ſint, qui eadem ne* 40.
concidant, atq; diſſoluantur, conſeruent, quod ibi præſtant. Quemadmodum enim dum corpora informant, eadem virtute illa, qua informant, conſeruant; ita hîc, quia corpora nec informant, nec formant; non ipſi ſunt, qui conſeruant, ſed illi, qui eadem formant, Spiritus. Sit hoc decimum tertium Aſſertorum.

Cæterùm, quia corpora hæc Spiritus mouere poſſunt, idcirco 41.
quæcunque cum hoc motu coniuncta eſſe poſſunt, ijdem Spiritus præſtare valent, eademq; ipſis Spiritibus authoribus rectè tribuuntur. quod decimum quartum Aſſertorum loco volumus eſſe aſſertum. Neque hoc mirum. Corporibus his tanquam inſtrumentis vtuntur Spiritus, quêadmodum ergo quæcunque per inſtrumenta fiunt, præcipuo agenti; ita quæ per horum corporum motum; ipſis Spiritibus, qui corpora mouent, tribuenda ſunt.

Quæ verò hæc? Ad *Tria* genera prima reuocantur omnia. Quæ- 42.
dam percipiuntur viſu: quædam auditu: quædam tactu. *Viſu* percipiuntur ipſa corpora, corporum quantitas, colores, figuræ atq; motus. *Auditu* ſtrepitus, tumultus, clamores, gemitus, & his ſimilia. *Tactu* impulſus, tractus, verbera, & quæ eiuſdem ſunt generis.

Poſſunt igitur *viſum* mouere Spiritus humani. Quamuis enim 43.
ipſi colorem, figuramque, quæ viſus obiecta ſunt, non forment; ſecum tamen afferunt, & oculis viuentium ingerunt: & quia hæc ſpecies ſui in ſenſibus relinquunt; hoc ipſo Spiritus videri, rectiſsimè dici poſſunt, viſumque mouere.

Poſſunt *excitare tumultus* atque ſtrepitus. Quia ſua, quæ circum- 44.
ferunt, poſſunt alijs allidere corporibus: ita, vt inter vtraque interceptus aer ruptus, preſſusque ſtrepitum reddat. Poſſunt & arreptis inſtrumentis, non minus atque fabri, alia corpora *pulſare*. Poſſunt aeris commotione in ipſis, quæ circumferunt, corporibus, ſibilos, ſonos, aliaque quę auditum afficiunt, producere.

Et hæc poſſunt in ſenſu deſtituta corpora. Poſſunt quoque in illa, 45.
quæ ſenſu ſunt prædita. vt ob id hîc verè dici poſsit Spiritus hos ſenſus afficere: & nunc dolorem parere; nunc voluptatem afferre; non minus, quàm viuentium adhuc corpora in viuentibus hæc efficiunt.

Diſcrimen nihilominus aliquod eſt inter *Tria* hęc, quæ ſenſibus 46.
percipiuntur, & humanis Spiritibus authoribus, per aſſumpta corpora fiunt, rerum genera. Nam quæ ſub viſum cadunt, ſemper ipſis Spiritibus poſſunt tribui. quæ auditu atq; tactu non ſemper. Explico. Quotieſcunq; oculis viuentium corpora ſua Spiritus obijciunt,

viſum ipſi per ſe, abſq; alterius Spiritus ſubſidio mouere, dici poſſunt. At non quotieſcunque audiuntur tumultus: non quotieſcunque aliquid à ſimilibus corporibus viuentes patiuntur, hæc in ſolos Spiritus humanos, qui in corporibus degunt, ſunt referenda. Poſſunt eſſe tanti tumultus, vt humanas vires ſuperent. Poſſunt eſſe moleſtiæ tam graues, & vis illata tanta; vt ſuperiorum Spirituum operam, induſtriamque requirant. Sunt ſuæ certæ atque definitæ vires Spirituum in his corporibus: quæ ob id non quoſcunque, ſed ſibi reſpondentes effectus producere valent. Vtrum verè hic *omnia* quæ poſſunt, *re ipſa* præſtent, ſequenti Capite explicandum erit.

CAP. XXIIII.

Quæ ex ijs rebus, quas in moleſtijs atq; infeſtationibus Spirituum, viuentes percipiunt, Spiritibus Angelicis tribuenda ſint & non humanis: quamuis humani illarum videantur eſſe authores.

1. INquiſitum eſt, quid in moleſtijs, quæ per Spiritus viuentibus afferuntur, humanis Spiritibus tribui poſsit. Quia verò exiguum eſt illud, non abs re fuerit, ſi doceamus, *Quinam reliquarum, quæ afferuntur, moleſtiarum, ſint authores.* Parum enim eſt ſcire, qui ipſarum authores non ſint: multum, noſſe qui non ſint.

2. Et quidem ſi rationi conſentanea ſunt, & à vero non aliena, quæ ſuperiori Capite ſunt dicta, expedita hic eſt reſponſio. Concedendum enim eſt, *omnium, quæ ab humanis Spiritibus non efficiuntur, Angelos* (vtrum bonos vel malos, poſtmodum diſcutietur) *authores eſſe.* Quid ita? quia de moleſtijs, quas Spiritus afferunt, tota Diſputatio eſt, Spirituum autem horum duo tantùm ſunt genera: ſunt alij Angelici; alij humani. (de Deo hîc nihil) quę igitur ab humanis non fiunt, prorſus neceſſe eſt, fiant ab Angelicis.

3. Verumenimuerò, quia quædam hîc difficultatem habent; res etiam digna eſt, quæ diligentius diſcutiatur; operæ pretium fecerimus, ſi omnes moleſtandi modos, quos ſuperiori Capite percurrimus, hîc relegamus; & in ſingulis, non *quid poſſint*, ſed *quid præſtent* Spiritus Angelici, explicemus.

Nam

Nam ſi quid *Poßint* quæratur. breuis reſponſio eſt: *Omnes omnino moleſtandi rationes, quocunq; modo illæ percipiantur, Angelos poſſe habere authores. Poſſunt.* Angeli ſenſus exteriores immutare. *Poſſunt* imaginationem hominis varijs ſimulachris imbuere; mirabileſque affectiones excitare. *Poſſunt* ſtrepitus & tumultus edere. *Poſſunt* viuentes protrudere, impellere, retrahere. *Poſſunt* denique vulnera infligere, atq; adeò mortem ipſam afferre.

Atquo quemadmodum hęc in his tumultibus, lociſque infeſtis, 4.
poſſunt: ita multo plura *per ſe* ſimpliciter *poſſunt*, quæ quoniam fidem humanam quaſi ſuperant, hæc, quæ diximus, ijs authoribus *fieri poſſe* dubium nemini eſſe debet. Et quæ illa? Ad duo genera reuocari poſſe videntur omnia, quædam immediata ipſorum actione fiunt, quædam interuenientibus cauſis naturalibus. Quæ ibi fiunt, fiunt per motum localem: quæ hîc virtute rerum naturalium præcipuè. In vtroq; genere ſpecies multæ.

Motu locali *poſſunt primò* plurimùm in elementa. Nam ignem ex 6.
ſuperioris aeris parte poſſunt in hæc inferiora dimittere, atque incendia excitare (Iob. 1.) Sic poſſunt immittere ventos, qui etiã vaſta diruant ędificia. (Iob. 1.) itẽ: excitare tẽpeſtates in mari vel concitatis ventis, vel aquis maris turbatis; deniq; terram magnis motibus concutere, aut immiſsione ſpirituũ vehementium in cauernas terræ, vel concuſsione concluſi ſpiritus in ijſdęm.

Poſſunt deinde ex vno loco in alium transferre, & homines, & animalia, & quæcunq; alia corpora.

Poſſunt tertiò, res præſentes ſubitò ex hominum conſpectibus ſubtrahere, atque ita inuiſibiles reddere.

Poſſunt quartò efficere, vt ſtatuę, reſq; aliæ anima deſtitutæ more hominum incedant. *Poſſunt* efficere *quintò*, vt eædem quemadmodum homines loquantur aut loqui videantur. *Poſſunt ſextò* facere, vt animalia ita ſe moueant, ita agant, ac ſi ratione & conſilio vterẽtur; quemadmodum ſerpens Aeſculapij quem diuinitatis quædam quaſi ſigna dantem Romani in Vrbem aduexerunt, teſte Valerio, lib. 1. capite 8.

Poſſunt ſeptimò res certis locis ita ſuſtinere, vt ijs magna etiam vi adhibita, moueri nequeant. *Poſſunt 8.* ſubitò globos igneos, ardenteſq; flammas producere. *Poſſunt 9.* flumina ſiſtere & in contrariũ impellere curſum *Poſſunt 10.* corpora quorumcunque animalium formare, eaq; induere.

Poſſunt 11. repreſentare varias quarumlibet rerum formas, auri, argenti cupri gemmarum, dapum &c. *Poſſunt 12.* concitare &

conturbare humores, vel ſpiritus, qui ſunt in corpore humano; diſtrahere item partium compages atque connexiones, cum maximo hominum dolore.

Poſſunt 13. ſpiritus animales, qui interiorum ſenſuum functioninibus deſeruiunt, ita mouere & conformare; vt res quaſdam vel præteritas, vel præſentes; vel futuras repreſentent. Eoſdem ſpiritus iam ſpeciebus rerum exteriorum informatos poſſunt ad ſenſus exteriores deuoluere, atque ita miris modis hominibus illudere, vt ſibi videre ante oculos videantur, quæ extra oculos non ſunt.

Poſſunt 14. dormientium phantaſmata mouere, atque res varias, etiam futuras, repreſentare; quemadmodum & in diuinatoribus faciunt. *Poſſunt 15.* imponere ſenſibus exterioribus, vel intrinſecus ſpiritus animales cõmouendo, &, vt diximus ad ſenſus exteriores deuoluendo; vel extrinſecus falſa obiecta, & rerum tantùm ſimulachra, non autem res ipſas offerendo.

Poſſunt 16. omnis generis affectiones in homine excitare, gaudij, doloris, amoris, odij, timoris, ſpei: &c. & hoc vel ſpecies & formas rerum obijciendo, quæ dictarum affectionum ſunt, cauſæ: vel interius nunc phantaſiam ad ſimiles repreſentandas mouendo; nunc humores, qui harum affectionum materia ſunt, concitando. Hæc omnia motu locali poſſunt Spiritus dicti. Exempla ſingula docere breuitatis ſtudium non permittit.

7. Mira etiam *poſſunt* interuenientibus cauſis naturalibus, ijs, quas *ſecundas* dicimus: Sunt enim harum virtutes & vires multæ, magnæ, præclaræ, admirabiles, ſtupendæ: vt exemplis plurimis docent Plinius, lib. ſecundo Naturalis hiſtoriæ, capite nonageſimo ſexto. Proclus libro de Sacrificio & Magia. S. Auguſtinus, libro vigeſimo primo de Ciuitate Dei, capite quarto, & quinto. Albertus Magnus libro ſecundo Mineralium, Tract. 2. cap. *1. 11. 17.* Fracaſtorius libro de Simpathia. Ficinus libro quarto de Theologia Platonis, capite primo. Cardanus de Subtilitate & Varietate rerum. Et nôrunt Spiritus, de quibus quæſtio eſt, quæ virtutes quibus rebus inſint. Nôrunt vbi locorum res lateant. Nôrunt quibus cum rebus componi, miſceri, quomodoque temperari debeant. Nôrunt, quo tempore tempeſtiuè, & oportunè ad operandum adhiberi oporteat. Hæc nôrunt omnia. Et cum res maxima facilitate, celeritateque, quocunque libuerit, & valeant transferre; miranda ſunt, quæ harum adminiculo *poſſunt*: & miranda eò magis mortalibus; quòd quomodo hæc fiant, non intelligant, quamuis etiam naturaliter fiant.

Hæc

Hæc *poſſunt* Spiritus, & poſſunt ijs *modis*, quos recenſuimus: vt nô- 8.
runt docti; & exemplis confirmat Benedictus Perierius, lib. primo, de Magia, capite ſexto. Quidni igitur *poſſent* omnia, quę locis infeſtis obſeruantur? Verum, quoniam de *potentia* quæſtio non eſt, ſed de *facto*; quidnam ipſi Spiritus præſtent, in his tumultibus; & quænam ipſorum hîc ita ſint propriæ functiones, atque officia; vt Spiritibus humanis tribui non debeant, hoc diſcutiamus.

Huic igitur quæſtioni hoc reſponſi datum ſit. *In moleſtijs his atque infeſtationibus, duplicis generis res eſſe, quæ non humanos, ſed Angelicos Spiritus habeant auctores.* Quædam ſunt, quæ ab humanis perfici nequeunt: quædam quamuis horum opera fieri poſsint, vt tamen fiant, non eſt veriſimile. De prioribus, quod Angelos auctores habeant, non poteſt eſſe dubium, cùm alios nequeant habere. De poſterioribus, quòd habeant, & Angelorum, & humanorum Spirituum conditio perſuadere videntur. Vtræque variæ ſunt. Oſtendimus in ſingulis generibus. 9.

10. In priorum genere ſunt primùm *præſtigia atq; illuſiones ſenſuum*, quibus viuentibus imponitur, vt ſe percipere exiſtiment, quæ reuera non percipiunt; ſed vel in ſolis ſunt ſenſibus externis; vel rerum ſolùm ſunt ſimulachra in aëre effecta. Diximus ſuperius ab humanis Spiritibus hęc fieri non poſſe. quò fit, vt quæ hac ratione, moleſtia affertur, ab Angelis afferatur.

11. Sunt deinde *impreſsiones in hominis imaginationem productæ*: veruntamen tales; quæ abſque exterioris corporis (quod ſenſus externos primùm afficiat; deinde ſui ſpecies ad phanthaſiam tranſmittat) ſubſidio ſint factæ. Nam quæ exteriorum ſenſuum adminiculo ab obiectis corporibus excitantur; ab humanis Spiritibus, dum corpora circumferunt, fieri poſſunt. Ad quæ hoc corporum ſubſidio deſtitutæ ſunt, fiuntque humorum, ſpirituum, ſpecierumque, quæ in phantaſia ſedes ſuas habent, commotione; quia humanas vires excedunt, Angelos authores agnoſcunt.

12. Sunt tertiò *illuſiones nocturnæ, quæ dormientibus ſomnoq; preſsis accidunt.* Angelis etiam illæ tribuendæ ſunt. Poſſunt hi in hominis phâthaſiam ſe inſinuare. Poſſunt ęquè dormientibus atque vigilantibus varia idola obijcere. Et cùm ad hęc quoque impares ſint hominum Spiritus, authorem nihilominus poſtulent, Spiritus habebunt Angelos, à quibus producantur.

13. Quartò opera Angelorum ſunt, *quæ formantur & circumferuntur corpora.* Huius quidem eadem, quæ priorum, ratio: ſed tamen

quàm hęc bene, expediteque ab Angelis perficiantur docent Theologi, qui materiam corporalem ad nutum ipſis dicūt eſſe ſubiectam vt & formare ſubitò quæ velint, valeant corpora; & eadem mox, quando libet, poſsint deponere.

14. Et quemadmodum corpora formant hi Spiritus Angelici, ita *ipſi ſunt, qui ne forma concidant, impediunt; eademq; conſeruant*; & quibus eorundem tandem diſſolutio tribuenda eſt. Et prius illud propria aliqua, diſtinctaque ab ipſis actione efficiunt. Hoc Idcirco ipſis tribuitur; quòd ipſa deſinant conſeruare: patianturque in priorem, ex quo compacta ſunt, aerem redire. Hoc quintum in moleſtijs hiſce Angelorum opus.

15. *Sic ipſis tribuendæ figuræ atq; formæ, ſub quibus humani ſpiritus conſpiciuntur.* Sicuti corporum; ita formarum, quæ corpora ſequuntur, ſunt authores. Quamuis negari non debeat, quin eaſdem immutare quadam tenus valeant humani Spiritus, corporis, quod circunferunt, nunc contractione, nunc dilatatione, &c. Sit hoc ſextum opus.

16. Tribui quoque debent Angelis *colores, per quos in viuentium oculos incurrunt.* Quid mirum non ſunt effectus Spirituum humanorum: oportet igitur ſint horum. Corporum etiam ſequuntur compoſitionem; & pro materiæ, & ex qua oriuntur, varia coactione; pro qualitate luminis, quod concipiunt, alij ſunt, atque alij. At corpora componunt Angeli. Materiam alio atque alio modo cogunt Angeli. Colores igitur quoddam ſunt opus Angelorum.

17. Octauo *Spiritibus Angelicis authoribus credi debet exhiberi & circumferri ingentia, vaſtaq; corpora, & quæ mole ſua viuentes meritò terrēt, quantumcunq; illa humanam formam referant.* Communis quidem horum cum iam dictis eſt ratio; quod ſimilibus corporibus circumferendis vires humanæ non ſufficiant: ſed tamen ex cauſa reditus Spirituum idem facilè docetur. Redeunt enim Spiritus hominum. vt cognoſcantur: Conuenit igitur, vt non ſub peregrina; & humanam formam excedente; ſed vſitata, & hominibus familiari, & tali, qualem olim habuerunt, conſpiciantur.

18. Tumultus quoque aliquando *ingentes* audiuntur. audiuntur *maximi* ſtrepitus; qui nonnunquam integras videntur concutere domos: Atque etiam ibi audiuntur, vbi conſtat moleſtos eſſe humanos Spiritus. Sed tamen non humanorum Spirituum hi ſunt opera. Quemadmodum ingentia illa corpora; ita *hos tumultus atq; ſtrepitus Angeli excitant.* Illorum vires non ſuperant; hominum vires ſuperant.

De-

Decimò. *In Angelos illæ moleſtiæ tactiles referendæ ſunt, quæcunq; ab hominibus fieri non poſſe iudicantur.* Quemadmodum in cęteris omnibus vires humanas *certam regulam* conſtituimus humanarum moleſtiarum; ita eaſdem valere voluimus ad moleſtias illas, non humanis; ſed Angelicis Spiritibus tribuendas; quæ eaſdem vires excedunt. In harum ferè genere ſunt incendia, euerſiones ædium, vſtiones, ſectiones, ſine armis inflicta vulnera atq; his ſimilia, quæ videri quidem poſſunt ab humanis Spiritibus fieri, reuera tamen ſunt ab Angelis plerunque. 19.

Dictis vndecimum addo. *Quòd quandocunq; aliquibus inuiſibiles in aſſumptis corporibus redduntur humani Spiritus, opus Angelorum agnoſcere oporteat* Et hoc aliquando fieri dubium non eſt. quia eodem loco exiſtẽtes ab his videntur, ab alijs nequaquam. Quod verò Angelorum hoc opus ſit, tam eſt certum; quam quod humanorum Spirituum eſſe non poſsit. 20.

Et quæ hactenus diximus, in illorum ſunt genere, quæ idcirco Spiritibus Angelicis tribuuntur; quia per humanos fieri nequeunt. Alia ſunt, quæ quamuis per humanos fieri poſsint; & humanas vires non excedant; ob iuſtas tamen cauſas, potius Angelis, quàm hominum Spiritibus tribui debere videntur. 21.

In horum genere ſunt grauia damna, quæ viuentibus quandoque per Spiritus afferuntur, qualia ſunt mors, confractio membrorum, & his ſimilia. Hęc quamuis humanis Spiritibus authoribus fieri poſſint; ab Angelis tamen, & non humanis Spiritibus afferri credimus, ob rationes, quas capite *29* in ſecunda noſtra Diſputationis parte afferimus. 22.

Ex dictis manifeſtum eſt, quid diſcriminis ſit inter moleſtias, quas Angeli atque illas, quas humani Spiritus viuentibus afferunt, ſi ad moleſtiarum authores reſpiciamus. Poſſunt Angeli abſque humanorum Spirituum opera moleſti eſſe: non poſſunt Spiritus humani abſque Angelorum. Quotieſcunque moleſtiæ ab humanis Spiritibus afferuntur, aliqua opera Angelorum interuenit. At non quotieſcunque moleſti ſunt Angeli: opera accedit Spirituum humanorum. 23.

CAP.

CAP. XXV.

Quibus Angelis authoribus tribuenda ſunt illa, quæ cum moleſtijs, quæ ab humanis Spiritibus afferuntur viuentibus, coniuncta ſunt: boniſne an malis.

1. PLurima eſſe in infeſtationibus atq; moleſtijs, quæ per humanos Spiritus afferuntur, & non his, ſed Angelis authoribus fiunt, ex duobus præcedentibus Capitibus certum eſt, & manifeſtum. Verùm quoniam Angeli duplices ſunt: quidam mali, qui propter peccata ſua, à Dei gratia exciderũt, & infernalibus pœnis adiudicati ſunt; quidam boni, qui in gratia perſtiterunt, & vitam æternam, quam iam feliciſsimam agunt ſibi promeruerunt; meritò quæritur, *Vtrôſnam veros authores atq; effectores moleſtiarum agnoſcere debeamus*; bonoſne, id eſt, beatos Spiritus; an malos, id eſt, Dæmones. Cui quæſtioni præſente Capite reſpondendum eſt.

2. Et quidem ab vtriſque moleſtias omnes, qualeſcunque etiam illæ ſint, omniaque, quæ ad moleſtias concurrunt, *poſſe* procurari, nemo ignorat. Cùm enim hîc tria neceſſaria ſint, voluntas, vt velint; ſcientia, vt norint; poteſtas, vt valeant: hæcque omnia & ſingula, tam in bonis, quam malis Angelis reperiantur; quid prohibet cur moleſtiæ hæ vtrosque authores habere *poſſint*.

3. Et de *voluntate*, quod velle poſsint, dubium non eſt. poteſtà Deo ipſis officium hoc imponi; voluntati autem eius quis reſiſtet? Poſſunt & ipſi vltro hæc officia ſuſcipere. Non enim ab ipſorum conditione ſunt aliena. Denique hæcque hisque ſimilia vtrique non rarò præſtant apud viuentes.

4. Sic de *ſcientia* ipſorum res eſt extra controuerſiam. Pollent ſcientia maxima vtrique ob rerum omnium ſibi in principio mundi congenitas ſpecies, in quibus veluti in ſpeculo quas, & quot, & quãdo volunt, res poſſunt perfectiſsimè intueri. Ad hanc cùm rerum multarum obſeruatio, experientiaque acceſſerit; non potuit non magna incremneta rerum ſucceſſu accepiſſe.

5. Nec eſt dubium de *poteſtate* vtrorumque. *Natura corporalis*, inquiunt Pholoſophi, *ad omnem localem motum Angelis ſubiecta eſt*. An bonis tantum? Etiam malis. Iam verò moleſtiæ hæ, & quæcunque

cum

Digitized by Google

cum ipſis ſunt coniuncta, motu corporalis naturę fiunt & perficiuntur omnia.

6. Obſtat fortaſsis dictis, quod quidam ipſorum, *à ſtatu perfectiori*, in quo conditi ſunt, *exciderunt*? Non obſtat. Non ob hoc vires ipſorum, quæ hîc requiruntur, labefactatæ ſunt: non ſunt diminutæ. Natura tam in his integra, perfectaque permanſit; quàm in alijs, qui à ſtatu ſuo non exciderunt, ſed maioribus tranſnaturalibusque donis ſunt cumulati.

7. Sic *nec à bonorum Angelorum conditione officia hæc alia ſunt*. quamuis enim hi in diuinæ Maieſtatis contemplatione ſint toti; humanarum tamen rerum curam, cogitationesq́; quas Deus Opt. Max. illis commendauit, non deponunt; quin eò & diligentiùs & ardentiùs exequuntur ſibi impoſita officia; quò diuinæ beneuolentiæ in ſe ſentiunt & obſeruant argumenta clariora & maiora.

8. Et poſſunt *boni* Angeli etiam eſſe authores moleſtiarum, quę *damnatorum* hominum Spiritibus tribuuntur. Et poſſunt *mali* Angeli eſſe authores earum, quæ tribuuntur *purgandis* Spiritibus. Cur enim non poſſunt? An quod ſuis viribus poſſunt, id ne præſtare valeant, prohibet conditio Spirituum humanorum? Non prohibet.

9. *Poſſunt* igitur vtrique omnium moleſtiarum, & quę cum ipſis coniuncta ſunt, eſſe authores, ſiue à bonis, purgandisq́ue Spiritibus afferantur; ſiue à malis damnatorum hominum Spiritibus. *An etiam authores ſunt*? Hoc maiorem habet difficultatem.

10. Quæſtioni verò huic ita rectè reſponſum exiſtimamus, ſi dicamus. *Omnium, quæ malis damnatorum hominum Spiritibus tribuuntur, ab ipſis autem fieri nequeunt; non bonos, ſed malos Angelos authores & Architectos eſſe* Præterea. *Omnium quæ purgandis Spiritibus fieri putantur, nec tamen ipſorum virtute fieri poſſunt, Angelis bonis, tanquam cauſis efficientibus aſcribenda*. Vt breuiter dici poſsit: Damnatorum Spirituum adminiſtros in moleſtijs eſſe Dæmones: Purgandorum verò in ijſdem Adminiſtros eſſe Angelos beatos. Vide Thom. 1. p. quæſt 89. a. 8. ad 2.

11. Quod dicimus vtrorumque conditio poſtulare videtur. *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial? qui conſenſus templo Dei cum idolis*? Ita D. Paulus 2. Cor. 6. Et hæc docere poſſunt bonos Angelos non hîc perditæ ſalutis Spiritibus ſeruire: ſed eadem inuerſa probabunt malos Angelos non ſe ingerere re in res, atque negotia purgandorum ſpirituũ. Quę enim participatio iniquitati cum iuſtitia? quæ ſocietas tenebrarum ad lucem? quæ conuentio Belial ad Chriſtum? qui conſenſus idolis cum templo Dei?

O Verun-

hominum Spiritus à malis Angelis pati nihil. Si verò lateri ipſorum adhærent, dum rebus viuentium interſunt, adeoq́ue propemodum omnia ſubminiſtrant atque efficiunt, quæ hic neceſſaria ſunt; quomodo ab ipſis pati nihil, nulla moleſtia affici credi debet?

Viuentes quidem ſequuntur Diaboli: viuentibus moleſtiam pa- 18.
riunt: ſed piè in Chriſto mortuos, quamuis etiam purgatorijs pœnis expientur, prorſus deſerunt. Ibi perſequuntur; quia ruinam ijſdem ſe ſperant poſſe afferre: hîc deſerunt; quia fruſtra ſciunt laborem omnem ſuſcipi contra animas, de ſalute ſua ſecuriſsimas.

Non ignorant Dæmones horum Spirituum conditionem. Non 18.
ignorant quas ob cauſas redire ad viuos permittantur. Sciunt eſſe aſſcriptos numero ciuium cæleſtium. Sciunt reditum ipſis ſingulari Dei beneficio concedi; vt citius à pœnis expediti. Deo perfruantur. In hanc rem operas ſuas conferrent Spiritus Nequam? Nequaquam.

Ita à poteſtate Dæmonum Spiritus purgandi ſunt exempti: vt 19.
neque defunctos corpore commitentur ad purgatoria loca: neque in purgatorijs locis vllam ijſdem moleſtiam afferant: ſed nec adſint purgatorias pœnas ſuſtinentibus. Hæc melior opinio. (Alij aliud. Vide fol. 1945. Bel. Tom. 1. Et ſi quando ad ſuperos, Dei benignitate redeunt, ſocios non hos, ſed bonos Angelos habeant: quomodo igitur dici poteſt, ipſorum opera corpora formari, aliaq́ue effici, quę in hac moleſtandi ratione ſunt neceſſaria?

Singulari Dei beneuolentia, atque beneficio fit, quòd hi Spiritus 20.
ad viuos redeant. Negari quoque non poteſt reditum hunc rarum quoddam Dei eſſe opus In hoc verò vel neceſſariam eſſe Dæmonum operam, vel eandem Deum poſtulare dici poteſt: credi non debet.

Indignum eſt eos, qui de Diabolo triumpharunt; qui hæredes 21.
ſunt regni Cælorum: qui bonorum Angelorum ſunt conciues: qui tantùm non ſunt poſſeſſores bonorum ſupernorum; pendere à malignorum Spirituum auxilio: & quidem ea in re, vnde tanta tam ad bonos Spiritus, quam ad viuentes homines veniunt emolumenta.

Dum homines viuerent, opera Dæmonum nec potuerunt, nec 22.
debuerunt vti, niſi grauem Dei voluiſſent incurrere offenſam. Res omnium ſententia clara eſt. Defuncti iam, & poterunt, & debebunt? Non debebunt. non poterunt.

Finis primæ partis de infeſtis locis.

DE LOCIS

INFESTIS ALTERA DISPVTATIONIS PARS:

IN QVA

ARGVMENTA ATQVE IVDICIA, Vnde moleſtantium Spirituum conditio cognoſcitur, aperiuntur & diſcutiuntur.

ISSAGOGE IN ALTERAM DISPVTAtionis partem, de Locis infeſtis.

1. *ALtera Diſputationis pars in perueſtiganda diſtinctione Spirituum, qui moleſtant, verſatur. Cùm enim propoſitum nobis ſit, modos, quibus ab infeſtantibus Spiritibus loca purgentur, præſcribere: et non eadem ratione omnes Spiritus abigãtur, (quemadmodum nec vna omnium Spirituum eſt conditio) omnino Spiritus ipſi prius cognoſcendi ſunt, atq; diſtinguendi quàm modi dandi, quibus loca purgentur. Atq; ad hoc Secunda Diſputationis pars ſeruit.*

2. *Non tamen omnium Spirituum, qui apparent, diſtinctiones hic inquirimus: illos ſolùm, qui moleſtant, cupimus cognoſcere: quia de his ſolis, non de omnibus, noſtra Diſputatio eſt. Alibi quoque de aliorum diſtinctione tractatum eſt: licet breuiter.*

3. *Quoniam autem moleſtantes Spiritus duplicis*

ſunt:

Digitized by Google

ſunt generis, Humani & Dæmoniaci: prima noſtra occupatio erit, vt quibus rationibus Humani à Dæmoniacis diſtinguantur, aperiamus: Deinde, quia Humani quoq; duplicis generis ſunt, ſecundò inquirendum diſcrimen, quo hi ab illis diſcernũtur, damnati, videlicet, à purgandis.

Porrò diſtinctio humanorum Spirituum à Dæmonibus, vel à forma peti poteſt, qua conſpiciuntur: 4. *vel à ſtrepitu & tumultu, qui excitatur: vel ab oratione, quam ad viuos habent: vel à malis, quæ afferũt: vel ab officijs, quæ præſtant: vel à locis, vbi degunt: vel à tempore, quomodo graſſantur: vel ex ingenio mortalium, qui Spiritus perſequentes ſuſtinent: vel ex conditione perſequentium Spirituum. Nos in ſingulis, quid veriſimile iudicemus, docebimus.*

DE NOTIS, QVAE DAEMONVM SPIRItus ab humanis diſtinguunt.

CAP. XXVI.

An, & quæ forma diſtinguat humanos Spiritus à Dæmoniacis, ſiue Dæmonibus apparentibus.

F*Orma* rationem magni faciendam eſſe in diſcernendis, atque diſtinguendis Spiritibus pleriq; ſentiunt: quorum vt 1. iudicium temerarium non eſt, ita leuis animi illud, citra omnem tergiuerſationem, admittere. Nos duobus aut tribus *Aſſertis*, veritatem concludi exiſtimamus.

Primum eſt, formas quaſdam eſſe omnibus Spiritibus communes; ex quibus proinde certum inter Spiritus diſcrimen peti nequit.

Alterum, quaſdam Dæmones prodere.

Tertium, quaſdam probabiles coniecturas de humanis Spiritibus facere.

Digitized by Google

2. *Humana forma omnibus Spiritibus communis eſt*. Illa ſe viuentium conſpectui offerunt, non defunctorum tantùm hominum Spiritus; verùm etiam Dæmoniaci. Quot nos, ſuperius Cap. Spirituum moleſtantium exempla produximus, ſub *humana forma*; quorum tamen alij humani, alij Dæmoniaci?

3. Facilè forſitan, quis ſibi perſuaderi patietur, humanos eſſe Spiritus, qui ſub *humana* conſpiciuntur *forma*: at non ita facilè, ſub *humana* latitare Dæmones. At tam facilè eſt Dæmonibus *humanam* formam effingere, atque aſſumere; quam aliam quamcunque. Nec hîc maior poteſtas: nec maior, quam ibi, requiritur induſtria: nec cognitio maior.

4. Sub *humana forma* viſi ſunt plures. Primùm ille, quem Hildesheimenſes Hutgen, à pileo; vocarunt; cuius ſuperius capite *1*. meminimus. Deinde duo alij, quorum Alexander ab Alexandro meminit, li. 4 Genialium dierum, ca. *19*. quorum vnus ei ſe ſocium præbuit, qui dirum facinus in patrem commiſſurus, Romam proficiſcebatur: alter Thomam quendam, religioſum, trans flumen portare paratus erat. de quibus c. 30 de Dæmoniacis, forſitan etiam is, qui Chriſtum, in deſerto, tentaturus acceſſit.

Sed & ſub *humana forma* ſæpiſsimè Sanctos homines ſunt agreſsi, & de arce ſanctitatis eos deijcere conati. Quidam ſub ſpecie *genitoris* acceſsit VVilhelmũ Pictauorum Comitem, & ſanctiſsimum eremi cultorem: vt in eiuſdem Vita refert Theobaldus, c. 19. apud Suriũ Tomo 1. Alius ſub ſpecie *mariti* miſerabilis S. Melaniam: apud eundem Surium, eodem Tomo, Tertius ſub ſpecie *Monachi* S. Dominicum: in eius Vita l. 3. c. 12. Quartus ſub ſpecie *mulieris* S. Iuſtinam, quam Cyprianus aliquando deperijt: quemadmodum in vtriusque Vita ſcribit Metaphraſtes.

Et qui B. Vincentio moleſtus fuit, nunc referebat vaſtum *Aethiopem*; nunc venerabilem quẽdam, ætate grandem, *eremitam*, teſte Petro Rauzanio, l. 1. c. 9. in *Vita* eius. Qui verò Monachos tentaturus veniebat obuiam B. Benedicto, *medicus* videbatur; vt dicitur ca. 30. *Vitæ* ipſius, à B. Gregorio deſcriptæ. Et nigellus *puer* viſus eſt; qui moleſtus fuit S. Claræ: vt habetur cap. 13. in vita eiuſdem. Et formoſiſsimus *miles*, qui turpem conſuetudinem habuit cum muliere, cuius mentio fit in vita B. Bernardi, lib. 2. cap. 6. (Vide de hoc cap. 92. huius diſputationis) Qui Abbatem Nachonem tentauit, *puellæ Aethiopiſſæ*, quam ipſe olim nouerat, ſpeciem induit, teſte Palladio in Hiſtoria SS. Patrum, Sect. *26*.

De S. Martino refert Sulpitius, in Vita eiuſdem, cap. 24. quod ſe cidem

eidem nũnc in forma *Iouis* exhibuerit; nunc in forma *Mercurij*: perſæpe quoque ſimularit *Venerem* atque *Mineruam*. Et cùm parentes ſuos ſanctus vir viſitaturus, præterijſſet Mediolanum, eundem Spiritum ſub *humana* effigie habuit obuiam: inſultantique, quod ſemper ipſi eſſet aduerſaturus, reſpondit Martinus: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Hoc cap. 4. Sulpitius.

Atque vt ex Gentilium hiſtoria etiam exemplum depromamus. Sub *humana*, & quidem grandioris mulieris ſeſe exhibuit Curtio Ruſo. Rem totam his verbis refert Plinius. lib. 7. Epiſtolarum, Epiſt. 27. Tenuis, inquit. & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat: inclinato die ſpatiebatur in porticu, offertur ei mulieris figura, humana grandior, pulchriorque. perterrito Africam ſe, futurorum prænunciam dixit. Iturum enim Romam, honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eandem Prouinciam reuerſurum, ibique moriturum. facta ſunt omnia. Ita Plinius.

Nec Iudæis humana ſpecie Diabolus defuit. Indutus aliquando formam Moyſis, Iudæos acceſsit, & ſe ducem ijs, in promiſsionis terram futurum, pollicitus eſt. Induxit perſuaſos ad mare transfretandum: ſed plurimi ipſorum vndis: inuoluti, ſuffocati ſunt. Vide Sigebertum circa annum Chriſti 438.

Omnibus addamus illum, qui anno Domini 1153 qui in Furnenſi agro, pago Eggifridi inferioris Germaniæ, *Gerardum* Ducem Betaniæ ſe mentitus eſt, & diu multumque varijs præſtigijs hominibus illuſit: qui tandem à Diacono quodam Rodolpho adiuratus, quod erat, immundum ſe ſpiritum eſſe, confeſſus eſt. Ita Iacobus Mayerus, lib. 5. Annalium Flandriæ, anno *1153*.

Quid, quod non humanam tantùm formam effingunt Spiritus hi Nequam; ſed *in Angelos lucis ſe quandoq; transferant*? Hortatur quodam loco Corinthios(2. cap. 11.) Apoſtolus Paulus, vt ſibi à falſis Prophetis caueant: & idcirco putat eos non poſſe nimium eſſe cautos; quod ſint *operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*. Nec hoc vult ipſis mirum videri; cùm etiam ipſe Satanas transfiguret ſe in *Angelum lucis*. Et ſub *Angeli* ſpecie ſe exhibuit S. Elphego, Epiſcopo Cantuarienſi: quemadmodum in Vita eius ſcribit Osbertus, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. Apud Surium Tom. 2. B. item Oſualdo VVigornienſi Epiſcopo: apud eundem Surium, Tom 5. 5.

Sed nec Angelorum forma contenti: etiam *Chriſti ſimulant ſpeciem atq; imaginem* Cùm morti proximus eſſet ſanctiſsimus Martinus, tali ſpecie ipſi exhibuit Dæmon; quæ *Chriſtũ* referret: & quæ, niſi

niſi habitus verſipellem prodidiſſet, fortè vir ſanctus deceptus fuiſſet. Quocirca non deformitatem vultus, quę nulla erat; ſed peregrinum & alienum, à Chriſto, habitum Dæmoni obijcit, dicens: *Dominus Ieſus Chriſtus non purpuratum, aut diademate renitentem ſe venturum eſſe prædixit.* In eadem *Chriſti ſpecie* ſe exhibuit Sedundello (cuius in Vita Friardi recluſi mentio fit apud Gregorium Turonenſem, lib. de Patrum ca 10.) atque vt eremum relinqueret, auctor fuit. In eadem Valenti, eremi cultori; quemadmodum ad longum deſcribit Palladius, in Hiſtoria *S S.* Patrum, *Sectio.* 28. Quid quod Trinitatem aliquando triplici capite exhibere voluerit? Vide Theſ. 22. Capitis 19.

7. Nec mirum eſt, *humanas formas* vultuſque Dæmones effingere: quoniam non ipſis tantùm propoſitum eſt; vt viuentibus terrorem atque horrorem incutiant: etiam quærunt mortalium perniciem, atque animæ interitum; quem cum ficta *hominum* forma poſſint procurare; ita *humano* vultu quærunt, vt interimant; quemadmodum peregrinis formis, vt terreant. Hoc primum. Secundum ſequitur.

8. *Quædam tamen formæ & facies, Dæmones produnt.* Quę verò? Illæ omnes ſecundi & tertij ordinis, quarum Theſibus 11. & 12 Capitis decimi noni mentionem fecimus, *brutorum, & monſtroſorum animalium.* Produnt, inquam, Dæmones: quia & Dęmonibus optimè *conueniunt*; &, vt ſub his defunctorum hominum Spiritus prodeant, nulla cogit neceſſitas; nulla ratio probat.

9. Et quidem optimè Dæmonibus illæ *conueniunt*: ſiue fines attendamus, qui Dæmonibus ſub his laruis propoſiti ſunt; ſiue rationes diuinæ prouidentiæ, quæ etiam in hoc negotio non deſideratur. Propoſitum eſt Dæmonibus terrorem incutere, & moleſtare: annon hîc magis ferarum & brutorum horrendæ; quàm humana, per ſe amica, ſpecies ſeruit? Diuinæ prouidentiæ ratio poſtulat; vt & conditionem ſuam intelligant Spiritus: quæ ob peccatum miſerrima eſt, atque à brutorum, monſtrorumque vix differt: & vt homines cognoſcant, quàm à Dæmonibus ſibi cauendum ſit, quorum exterior etiam & ſimulata forma, argumenta ſummæ crudelitatis præbet.

10. Vt ſub his formis hominum Spiritus prodeant, *nulla ratio cogit.* Nam illi; vel viuentium rebus interſunt, vt ipſorum ſubſidijs iuuentur, quod purgandis Spiritibus propoſitum eſt: vel vt diuinæ iuſtitiæ in ſe præbeant teſtimonium; & bene cum ſua ignominia, pœnas luant, quas malè viuendo contraxerunt: qui finis in damnatis ſpectatur,

tur. Vtrobiq; *vt forma humana* appareant, neceſſe eſt.

11. Quod ſi quandoque peregrinum quid, vel monſtruoſum in humanis Spiritibus obſeruatur; tantùm illud non crediderim; vt aliam ſpeciem formamq́; tribuat; propterea; quod, vt diximus. ſemper hi Spiritus, vt cognoſcantur, videantur apparere: cognoſci verò nequeant, niſi humanam, & propriam propemodum referant. Hoc ſecundum.

Formæ igitur brutorum atque monſtrorum produnt Spiritus Dæmoniorum. Et familiares hæ ſunt Dæmonibus. id ſequentibus 12. docemus D. Baſilius in Iſaiæ c. 2. refert illos ſæpe hominibus petulanter inſultare *felis, muſtelæ, & canis ſe diſcerpantis* ſpecie. Aluarotus à Minucs, Ouieda, & qui Indorum occidentalium mores ſcriptis mandarunt, frequentiſsimos aiunt illis eſſe Dæmonũ occurſus, modò *hac, modò alia animantis* facie ſe oſtendentium. Andreas quidam Italus in *canis cæci & ruſi ſpecie* ſecum ducebat Dęmonem, anno 1548. qui vniuſcuiusq; arcana aperiret, ſit pendaq́; alia ederet. ita V Veſper. in Iuſtinum. Cornelius Agrippa cacodæmonem *nigri canis* forma, quotidianum aſſeclam habuit, cui collare erat lorum magicis per clauorum emblemata notis inſcriptum. hoc Iouius in Agrippę Elogio.

Sic Dæmones ſeptem in Nicæa ciuitate inter ſepulchra deliteſcebant ſub forma *canis*; qui obuios quoſque laceſſerent, donec eos *S. Andreas*, rogante populo, in ſolitudinem exegit; teſte Abdia, in Hiſt. Apoſt. *Equorum* etiam ſpecies referunt. Commemorat Olaus Magnus lib. 3. Hiſto. Septent. cap. 19. Hodingum Danorum Regem, in ſuum regnum, quo nonnullorum factione fuerat eiectus, per immenſa maris ſpatia ab Othini Dęmone in *equi* ſpecie eſſe reductum.

Seruit quoque hîc nobis Sagarum confeſsio. Illarum vna, teſte Nicolao Remigio, l. 1. c. 7. de Dæmonolatria, retulit, cùm ſe Martinellus ſuus captiuam inuiſeret, modò *auis* per feneſtram inuolãtis, modò *leporis* aut *muris* circumcurrentis formam induiſſe. Alia aſſeruit ſub *atri canis* ſpecie ſe à itidẽ in carcere viſum: alia obſeruatũ inſtar *cancri:* alia in carcerem illabi conſueuiſſe per cancellos, *felis aut puſillo alicuius beſtiæ* habitu Hæc Remigius. Sed ad tertium.

Tertiò dicebamus, *Quaſdam formas probabiles coniecturas facere;* 13. *quòd hominum, non Dæmonum Spiritus ſint, qui viuentibus adſint.* In harum numero vel ſolam, vel certè præcipuam dixero illam, quæ *ita humana eſt, vt peregrinum, & ab humana alienum habeat nihil:* & nec vlla ſui parte, nec peregrino colore, nec figura, nec habitu, nec geſtuũ aut

morum leuitate, nec mole, nec paruitate ab humana degeneret.

14. Hunc humani Spiritus indicem eſſe nullus dubitat. Quid tam humanum Spiritum repreſentare poteſt, quàm humana forma? & quidem talis, qualem cùm corpus agebat, & fouebat Spiritus efficiebat? Quòd verò hæc non facilè alium, quam humanum, Spiritum repræſentet; inde coniectura accipitur; quòd ſub humana Dæmones vix conſpiciantur, niſi etiam ſui *aliquod* indicium, quadam humanæ formæ deformatione præbeant; ex qua illos, vt ex vngue Leonem, facilè deprehendas.

15. Hinc eſt, quòd qui vel Spectris territi, vel quouis modo à Spiritibus tentati ſunt; ſi præter humanam ſpeciem notaſſent nihil, non Dæmonum, ſed hominum Spiritus crediderint, qui viderentur. Contrà, pro Dæmonibus habuerint; ſi humana ſpecies *vitium* aliquod, vel parte ſui, vel colore, vel habitu, vel nimia mole, vel exiguitate corporis referret. Non dubitauit eſſe hominis Spiritum Imperaror. Nero, qui matrem ſuam referebat, de quo 1. c. At Thomas Monachus, teſte Alexandro ab Alexandro (lib 4. Genialium dierum c. 19.) quem ſe ſocium itineris hominem habere credebat; tandem deprehendit verum eſſe Dæmonem; non aliunde, nec prius; quàm vbi pedes ipſius tranſituri vadum, *beluæ* non hominis pedes animaduertit.

16. Ex dictis ſequitur *duobus modis* formam externam Dæmoniorum Spiritus prodere. Alter eſt, ſi ſub *brutorum* & *monſtroſorum* figura conſpiciantur Spectra. Alter, ſi ſub humana; ſed tali, quæ *vitium* quoddam habeat, & ab hominum vſitata, quodam modo, degeneret.

17. Vitium porrò multis modis in forma accidere poteſt: Aut partis alicuius additione; vt ſi caudatus ſub humana forma appareat Spiritus: aut partis detractione, vt ſi ſine capite, brachijs, vel alia notabili parte: aut figura; vt ſi pedibus referat leonem, auribus aſinum: aut exceſſu quantitatis; vt ſi prodigioſæ magnitudinis conſpiciatur: aut quantitatis defectu: vt ſi infra omnem humanam appareat quantitatem: aut habitu; vt ſi peregrino prorſus, & cuius apud homines vſus non eſt, videatur: aut motu corporis, vt ſi nimium geſticuletur, & inceſſus diſſolutior ſit, atque homini minimè conueniens, &c.

Itaque dubium non erat, quin Dæmon eſſet, quem fratres quidem loquentem audiebant, ſed tamen videre poterat nemo; Videbat autem S. Benedictus, *teterrimum* vt loquitur S. Gregorius, *& ſuccenſum, & qui in ipſum ore oculiſq; flammantibus*, ſæuire videbatur, quando S.

do S. vir in monte Caſcini contriuit Idolum Apollinis, & eiuſdem templum conuertit in Oratorium S. Martini. Hiſtoriam hanc pluribus verbis refert Cæſar Baronius, Tomo 7. Annalium circa annum Domini 529. ex c 8. l. 2. Dialog. B. Gregorij.

Et vitiata hominis forma Dęmones frequenter Sagis ſe exhibẽt: 18.
Refert Nicolaus Remigius de Dæmonolatria, li. 1. ca 7. plurima exempla earum, quæ omni exceptione maius huius rei teſtimonium dederunt. palamq; confeſſæ ſunt *facies* Martinellis ſuis fuiſſe obſcuras atraſque; lumina penitus abdita & inſtar flammæ micantia: oris rictus ſparſos, profūdos, ac perpetuo olidi ſulphureiq; aliquid ęſtuantes, manus ſtrigoſas: & villis atq; hamis deformes: pedes corneos bifidoſque: ſtaturam nūquam iuſtam; ſed aut breuitate aut vaſtitate ſemper aliqua inſolentem; totamq; adeò ſeriem extra modum. Addidit alia Martinellum ſe quandoq; vidiſſe *capite vel altero pede* trūcum, mutilumq; cum fortè ſaltationes nocturnas vna cum ſuis agitaret. Hæc Remigius.

Atque ita de *forma*, quæ Dæmoniorum Spiritus prodit. His vnum addo ex iam dicto Remigio (lib. 1. cap. 23.) inter omnes pecudum formas vnam *Hirci* ipſis gratiſsimam eſſe, maximè tum, cum ſe obſeruantia aliqua Sagis colendos exhibent. Huius dat cauſam: quod forma hæc moribus ingenioque, ipſorum conueniat. *Hircorum, inquit, præter cæteras pecudes nobilitatur graueolentia: nulla re tam certo ſuam Dæmon teſtatur præſentiam, quam odoris fœditate intolerabili. Hircorum libidinoſa obſcenitas etiam Prouerbio locum fecit: hoc vnum Dæmon præcipuè ſatagit, vt ſuos rebus venereis quàm maximè deditos habeat: & ne deſit occaſio, ipſe ſe quoties illis occurrit, eam formam induit, quæ huic vſui ſit accommodatiſsima. Hircorum in obuios quoſque ſæpe profuſa petulantia eſt: nulla non obit, ac pererrat terrarum loca Dæmon, dum offendat, in quem impetum incurſumque faciat. Hirci ſaliua fructibus venenum eſt, teſte Varrone, lib. 1. de Re ruſtica, cap. 2. eiuſque dentes ſatis interitus ac peſtis præſentiſsima: Satanæ viperinus morſus eſt, afflatus letalis & exitioſus. Hirci obtutus trux & ferox, frons cornibus aſpera, barba promiſſa & inculta, villi temerè pendentes, ſuccincta crura, totus habitus corporis ad fœditatem comparatus.* & hæc Dæmoni conueniunt. Vide plura, ſi placet, apud Remigium. 19.

CAP. XXVII.

An, & qui ſtrepitus humanos Spiritus à Dæmonibus diſtinguant.

1. Altera ratio, qua Spiritus deprehenduntur, eſt *ſtrepitus* & qui ſe in aures inſinuat, *ſonus*. Et quia eadem quandoque ſolet eſſe ratio veri diſtinctionis, quæ cognitionis, vtrum ex ſtrepitu excitato, & ſimulaʼris clamoribus deprehendi valeat, qui Dęmoniorum ſunt Spiritus, & qui hominum; hoc Capite explicandum eſt.

2. Diximus ſuperius *varios* eſſe, qui à Spiritibus excitantur, ſonos: verùm *duobus generibus* comprehẽdi videntur omnes. Quidam ſpeciem habent eorum, qui non niſi *à viuẽtibus* excitãtur: vt ſunt vox, clamor, riſus, gemitus: quidam *nudi* ſunt *ſoni*, & rebus quoque vita deſtitutis conueniunt. An fortè priores illi humanos Spiritus produnt, poſteriores Dæmones? *Non hinc diſtinctio ſpirituum* perfecta ſumitur. Dæmones, vt nudos, ſiue non viuentium ſonos; ita viuentium perfectè excitare poſſunt.

3. Rurſus viuentium ſoni duplicis ſunt generis. Alij articulati ſunt, alij cõfuſi, ſiue *non articulati*. Illi proprij ſunt hominum; hi etiam brutorum animalium. An fortè ex illis Spiritus deprehenditur humanus, ex his Diabolicus? Quidquid ſit de his poſterioribus; *priores illi nõ ſolis hominibus tribuendi ſunt*: quocirca nec ſolos homines produnt. Eſto vox vera, articulataque homini conueniat: at vox non vera, quantumuis articulata, qualis hîc eſt, Dæmonibus conuenire poteſt.

4. Fortè ſonus articulatus talis, qui *conceptus mentis ſit index*, ſi audiatur; ab humano tantùm erit Spiritu, humanumque Spiritum probabit? *Nec hoc dici poteſt*. Qui poſſunt edere ſonos Diabolici Spiritus; poſſunt & articulatos ſonos: & eos, qui mentis atque conceptuum indices ſunt, formare.

5. Eſt in ſono alia differentia, qua alij *acuti*, alij *graues* dicuntur. Vtrique excitantur à Spiritibus: vtrique auribus viuentium hauriuntur. Verùm quemadmodum iam dicti, Spiritus non produnt; *ita neque hi*. Poſſunt acuti & graues excitari à Spiritibus humanis: poſſunt excitari à Dæmonibus.

6. Præterea ſunt quidam, qui grauiter audientium *aures perſtringunt*: ſunt alij, qui *ſuauiter afficiunt*. An fortè illi produnt crudeles, & truces Dęmones; hi, ſi non omnibus, ſaltem aliquibus defunctorum hominum Spiritibus ſunt proprij? *Nec hoc quidem*. Qui in Angelos lucis ſe transferunt Nequam Spiritus; non poſſent Angelorum etiam linguis loqui, & aures demulcere?

7. Nicolaus Remigius, lib. 1. de Dæmonolatria cap 8. ex duplici voce videtur docere Dæmones prodi. *obſcura* atque *exili*, ſiue debili.

Prius

Prius probat exemplis Maleficarum plurium, quæ Dæmonibus, iuſſis Martinellis, confeſſæ ſunt *vocem eſſe, qualem emittunt qui os dolium, aut teſtam rimoſam inſertum habent*: alterum teſtimonio Hermolai Barbari, qui teſte Petro Crinito, lib. 7. de honeſt. diſcipl. cap. 2. teſtatur à ſe auditam fuiſſe vocem *ſubſibilantis Dæmonis*, cùm ille forte de Ariſtotelis Entelechia interrogatus, ſibi & Georgio Plancentico reſpondiſſet. Ad hæc accedit, quod Pſellus lib. de Dæmon. docet Dæmones dedita opera *tenues & exiles voces* edere, vt eorum mendacia propter indiſtinctam illius obſcuritatem minus deprehendantur. Et Gennadius Patriarcha Cõſtantinopolitanus *vocem confuſam inaudiuit* Spectri, ad altare nocte ſtantis; cùm ille id iurgabundus increpaſſet, vt Cedrenus, Caliſtes, & Theodoretus in additione ad Zonaram, Tom 3 lib. 1. collectan. Hiſto. Eccleſ. ſcriptis ſuis teſtatam reliquerunt. Aſſyriorum etiam & Chaldæorum λεκανομάντεια hoc præſtare ſolebat, vt Dæmones è pelui *ſtridula voce & tenui ſibilo* verba ederent. Hæc & his ſimilia dicto loco Nicolaus Remigius.

Sed non hoc fine ab ipſo ſunt dicta, quaſi hac vocum differentia Dæmoniorum Spiritus velit diſtingui ab alijs Spiritibus. Omnibus Spiritibus dictæ voces *poſſunt* conuenire. & vt dictæ *conueniunt* Dæmonibus; ita dictis contrariæ poſſunt ijſdem conuenire. Solum docet Remigius Dæmones dictas voces in aſſumptis corporibus edidiſſe.

Veruntamen, quamuis ex iam dictis Spiritus humani à Dæmonibus non diſtinguantur; quidam tamen ſoni ſunt & ſtrepitus; qui ſolis Dæmonibus videntur conuenire: quidam qui probabile indicium præbent humanorum Spirituum: ex quibus proinde aliqua Spirituum diſcretio, atque differentia peti poteſt. 8.

Duplices verò ſunt; qui Dæmones habent auctores. Principio illi, *qui non niſi bruta animantia atque horrenda monſtra referunt*: tum deinde, qui *cum ingenti tumultu fiunt*, & *corporum magna agitatione atque motu.* 9.

Vtrique vix alios, quàm Dæmones, poſſunt habere auctores. 10.
Sed & ſolis Dæmonibus conuenientiſſimè tribuuntur. *Priores* quidẽ, quia non alia horum tumultuum. & ſonorum, qui à Spiritibus excitãtur, ratio; quàm *formarum* peregrinarum, atque monſtroſarum. Quemadmodum igitur formis ſe viſui objiciunt; & inſinuant: ita brutorum animalium, & monſtrorum effictis vocibus auditui. *Poſteriores* verò; partim quia ſolùm ob moleſtiam afferandam excitantur; quæ præcipuè in locis infeſtis ab infernalibus Spiritibus quæritur; partim, quia ſæpe humanis viribus fieri nequeunt.

11. Accedit quòd nulla ratio cogat; vt hos tumultus & brutorum animalium inconditos clamores humanis Spiritibus tribuamus. Quibus enim tribuemus? Purgandis? At quod illis, dum ad nos redeunt, propoſitum eſt, non hos clamores exigit. An damnatis? At quamuis moleſti eſſe cupiant; quia tamen diuinæ prouidentiæ ratio poſtulat, vt magis ſe prodant, quàm noceant; potius humanos, vt ita dicam, tumultus & ſonos, quàm brutorum excitare dicendi ſunt.

12. Atque hinc eſt, quod ſancti viri præſentiam Dæmonum deprehenderint ex barritu, ſibilo, rugitu, vlulatu, grunitu, & his ſimilibus brutorum animalium vocibus. Vide caput 19. præſentis Diſputationis.

Hoc etiam modo ſe prodidit Spiritus Nequam in domo quadam apud Corinthios, quam Dacius Epiſcopus Mediolanenſis aliquando inhabitauit. Rem totam ex 3. Dialog. cap. 4. verbis B. Gregorij aſſcribimus. poteſt enim pluribus locis, in hac Diſput. ſeruire. Tempore igitur Iuſtiniani, cum Dacius vrbis Mediolanenſis Epiſcopus, cauſa fidei exactus, Conſtantinopolim pergeret, Corinthum deuenit. Qui cum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quę comitatum eius totum ferre poſſet: & vix inueniret; aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque ſibi præparari ad hoſpitandum iuſsit. Cumque eiuſdem loci incolę dicerent, in ea tunc manere non poſſe; quia multis iam annis eam Diabolus inhabitaret; vir Venerabilis Dacius reſpondit dicens: Imò ideo hoſpitari in eadem domo debemus, ſi hâc malignus Spiritus inuaſit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea igitur ſibi parari iuſsit, ſecuruſq; illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus, intrauit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cum vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis, immenſis vocibus, magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpẽtum, porcorum grunitus, ſtridores ſoricum. Tunc repente Dacius, tot vocibus excitatus, ſurrexit; vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare dicens: Bene tibi contigit, miſer. Tu ille es, qui dixiſti, ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es, & qui imitari Deum indignè voluiſti; ecce, vt dignus es, beſtias imitaris. Ad quam eius vocem Dæmon erubuit: & fidelium habitaculũ domus facta eſt. abſceſsitque mendax & infidelis Spiritus. Hęc Gregorius: & poſt eum Baronius, Tom. 7. anno 540.

13. Interim tamẽ, inter duos iam dictos modos, ex priori *certius* argumentum deſumi dixerim, quàm poſteriori: quamuis fortè nec prior ita

or ita ſit certus,vt exceptionem nullam admittat. Miſerrima damnatorum conditio fortaſsis hos quandoque clamores exprimit. Nequitia etiam eorum ſumma efficit, vt cùm mortalibus nocere deſiderent,etiam hos tumultus,qui ad nocendum magis accommodati ſunt,edant.

Sed *Quomodo,humani hîc Spiritus deprehendantur*,dicamus. Vnum ego hîc ſonum pro ipſis non leuè argumentum præbere exiſtimarem;illum,videlicet,*qui triſtis animi, certa quadam ſignificatio eſt*; vt ſunt ſuſpiria,gemitus,fletus,illachrymationes. Quamuis enim hæc etiam Dæmones poſsint habere authores; humanis tamen propria videntur:humanis magis conueniunt;& humanis magis, quam Dæmoniorum Spiritibus ſeruiunt. 14.

Propria videntur eſſe humanis.quoniam gemere,flere,lachrymari hominum ſunt propria;vt ob id,quemadmodum ex propria hominis forma haud leuè;ita hinc,ſi non magnum, aliquod ſaltem argumentum ſumi debeat. 15.

Humanis magis conueniunt,propterea quod teſtificatio ſint premétis doloris,quem vt præ alijs,exprimant humani Spiritus, Deus in hoc Spirituum ad nos reditu poſtulare videtur; nimirum vt ſic defunctorum miſerias mortales intelligant:& ipſorum exemplo edocti ſibi caueant,melioraque ſectentur : quæ Spirituum Diabolicorum planctu & eiulatu, qui alterius ab hominibus naturæ ſunt & conditionis,non ita commodè præſtari poſſe videbantur. 16.

Sic ſuſpiria hæc atque gemitus, non tam Dæmonibus *ſeruiunt*, quàm humanis Spiritibus;ſi non omnibus, profectò bonis & purgandis. Etenim ad commiſerationem excitandam omnino apta ſunt. Quidni igitur ijs tribuenda,quibus miſericordia fieri poteſt? At Dæmoniorum Spiritus, & miſericordia indigni: & miſericordiam nullam ſperant : ſperant autem, & digni ſunt Spiritus purgandi. 17.

CAP. XXVIII.

An,& quæ oratio diſtinguat humanos & Dæmoniorum Spiritus inter ſe.

NOn ſtrepitus ſolùm, tumultus, & inconditi ſoni audiuntur à Spiritibus excitati; audiuntur & *orationes*, quas ad homines habent: & ob id præſens Diſputatio poſtulat.vt 1.

non

non ſtrepitus tantùm; verùm etiam *orationes* inueſtigemus: vt, Vtrum illæ quoque aliquod diſcrimen ſuppeditent, intelligamus.

2. Et quidem ſi vnius generis eſſent omnes *orationes*, fruſtra hîc labor ſuſciperetur: (in vna enim eademq; oratione, & quæ ſibi ſemper eſt ſimilis, quod diſcrimen conſtituas?) nunc quia orationum genera ſunt *plura*; non poteſt eſſe inanis hæc Diſputatio: forſitan etiam eò difficilior, quò genera ſunt plura.

3. Sunt orationes quædam *enunciatiuæ*; in quibus verum eſt, vel falſum. Sunt aliæ *non enunciatiuæ*; quæ quamuis perfectum ſenſum contineant, non tamen verum ſignificant, aut falſum. Rurſus priores, vel præteritum tempus reſpiciunt, vel præſens vel futurum. Poſteriores autem nunc deprecatiuæ ſunt; nunc imperatiuæ, nunc interrogatiuæ; nunc optatiuæ: nunc vocatiuæ. Præterea omnibus poteſt accidere, vt vel bonæ ſint, vel malæ, &c.

4. Et *omnes hæ orationes à Spiritibus habentur*: Et, quod magis eſt, ab omnibus omnes poſſunt haberi. quocirca & de omnibus examen poſſet inſtitui. Verùm, quoniam res propemodum eſſet infiniti negotij; aliquas, quæ familiariores ſunt Spiritibus, & diſcrimen inter ipſos certius prodere videntur, diſcutiendæ ſunt.

5. Hæ ſunt, *apertè mala: ad bonum hortatoria; boni petitoria: occultorum reuelatoria*: & *vana*: ſiue, quæ non niſi oſtentationis cauſa, aut leuiter ſuſceptæ ſunt.

6. Hæc genera. In ſingulis generibus ſpecies plures. *Apertè mala* ſunt, quæ vel iniuriam cedunt Dei: vel proximis incommodant: vel ad hæc inuitant. Primi generis ſunt blaſphemiæ: ſecundi diræ imprecationes, conuitia, contumeliæ, detractiones, mendacia, turpiloquia, & ſi quæ aliæ. Tertij, quæ ad dicta quouis modo deducunt.

7. *Ad bonum hortatoria*, pro bonorum ferè generibus multiplices ſunt: ſed tamen illorum propriè bonorum ſunt, quæ ſunt *libera*, & per nos quouis modo præſtantur: vt ſunt eleemoſynæ, ad Deum oratio, ieiunium, & quarumcunque virtutum officia, &c.

8. *Boni petitoria*, orantis bonum attendunt. quæ & ipſe, pro genere bonorum, diſtribuuntur: &, apud Spiritus, potiſsimùm cernuntur in operibus ijs, quibus iuuari poſſunt: vt ſunt peregrinationes, Sacrificia, orationes, opera miſericordiæ corporalia, &c.

9. *Occultorum reuelatoria*, vel præteritum tempus reſpiciunt, vel præſens, vel futurum. Horum enim, quamuis quædam, natura ſua occulta non ſint; pro ratione tamen cognoſcentium occulta eſſe poſſunt. Cum his ſecreta cordium, quorumcunq; coniunxero.

Vana

Digitized by Google

Vanas orationes vocamus, in quibus dictorum nihil propoſitum eſt; 10.
ſed quæ ioci aut leuitatis cauſa ſuſcipiuntur; & vix aliud, quàm loquentium oſtentant actiones. Hæ generum ſpecies. *An his humani Spiritus diſtinguuntur à Dæmonibus?*

Si aliqua oratione diſtinguuntur; *non niſi boni petitoria, atq; occulto* 11.
rum reuelatoria diſtinguuntur. Illa ex ſe eſt humanorum Spirituum: Hæc ex ſe propria Dæmonum. *Cætera tres & Dæmonibus, & humanis Spiritibus* (quamuis non omnibus) *communes ſunt*.

Tria igitur vt ſua huic aſſertioni veritas conſtet, demóſtranda ſunt. 12.
Primum eſt eſſe tria orationum genera, quæ communia ſunt Dæmonibus, & humanis Spiritibus quibuſdam: quæ ob id Dæmonum Spiritus ab humanis, vniuerſè, non diſtinguunt. Deinde vnum genus ſolis Dæmonibus competere. Tertium, vnum humanis ſpiritibus eſſe proprium, & ob id ex his duobus diſcrimen inter humanos atque Dæmoniorum Spiritus peti poſſe. Doceamus ſingula.

De apertè malis, quod Dæmonibus ſint familiares, certum eſt. Quidni 13.
apertè malas affectarent, quorum ſtudium eſt, vt etiam ex ſe indifferentes; etiam ex ſe bonas adulterent? ſed & nulla eſt, in vniuerſo malorum genere, quam refugiant: nulla, quam non aliquando vſurpent. *Primi & Secundi generis* ab ipſorum ingenio non abhorrere, in Dæmoniacis probant, per quos plauſtra blaſphemiarum, conuitiorũ, detractionum, & mendaciorum quandoque euomunt.

Exempla in promptu ſunt. Quidam ipſorum à Theodoro Archimandrita eijciendus ex puella, quam *28.* annis miſerè vexârat, ipſum vocat meretricis filium, quemadmodum in Theodori Vita teſtatur Georgius presbyter, apud Surium Tom *2.* Alius meretricem clamabat ſanctiſsimam virginem Ephraſiam; cùm ſibi vim à virgine afferri ſentiret. Et hoc in eius Vita, Tomo *2* apud Surium. Sic in conuitia effundebatur ille, quem S. Maltouius Epiſcopus eiecit, cuius res geſtas deſcribit Sigebertus Monachus. Ab alio debuit Bernardus audire, quòd porcellos ederet, & deuoraret braſsicas, habetur in Vita eius lib. *2.* ca. *4.* Et Benedictus cum aliquando importuno Spiritui non reſponderet, *Maledictus* ab eodem, per ſummam contumeliam eſt vocatus, teſte B. Gregorio. Hæc pro primo & ſecundo genere.

Pro *tertio* ſunt, qui moleſtârunt SS. Melaniam atque Claram: Vincentium atque Sedundellum; vt alios innumeros prætercam. Melaniæ perſuadere conati ſunt, vt relicta fide orthodoxa, ſectaretur blaſphemiam Neſtorij; vt in eius Vita habetur apud Surium, Tomo *1.* Claræ, vt de ſtudio orandi aliquid remitteret, & hoc apud

conſuetudine. Ita de Antonio, in eius Vita, Athanaſius.

Et in hoc Dæmonum æmulatores ſunt mali hominum Spiritus. Deprehen- 6.
ſum eſt, hos quoque ſua oratione, aliquibus bonorum fuiſſe autho-
res: verùm peruerſo animo, prauo nocendi ſtudio. Cuius hoc cla-
rum argumentum, quod, vt Dęmones, bene agant nihil; vt ſæpius ex
B. Gregorio dictum eſt.

Tertium orationum genus, à quo nec Dæmones, nec damnato- 7.
rum hominum Spiritus abhorrent, eſt; *quod vanitatis ſeu leuitatis eſt
plenũ.* An hoc poteſt alienum eſſe à *Dæmonibus*; qui à Domino. (Iohan.
12.) *Principes dicti ſunt mũdi?* mundi, *in quo vanitas vanitatum, & omnia va-
nitas?* Eccleſ. *1.* An à *damnatorum* Spiritibus? quorum ſtudium, & cor
(cuius oratio index eſt) dum viuerẽt, *in vanis mundi* rebus, & negotijs
fuit totum?

Non igitur hæc orationum genera humanos Spiritus à Dæmoni- 8.
bus diſtinguunt: quia nec ſolis conueniunt humanis; nec ſolis Dæ-
moniorum Spiritibus, quemadmodum demonſtratum eſt.

Licet verò *totum* Dæmoniorum genus, à *toto* humanorum Spiri- 9.
tuum non diſtinguant; diſtinguunt tamen *totum* Dæmoniorum ge-
nus ab *aliquo* humanorum Spirituum: illis, ſcilicet, à quibus Deus
purgatorias pœnas exigit. His nec conuenit *oratio apertè mala*: quia
peccare non poſſunt: Nec quę ad bonum, *malo fine* hortetur: quia hęc
peruerſa eſt. Nec *vana* aut *leuis*: vt qui, quęcunque loquuntur, magno
cum conſilio & ratione loquantur.

Porrò *occultorum reuelatrix oratio* (ſi tamen vera ſit, & non falſa) 10.
pulchrè Dæmones ab hominibus diſtinguit. quia & Dæmones hæc poſſunt:
& homines, quia ignorant, reuelare non poſſunt. Credendum
non eſt, quòd Spiritus defunctorum, non beatorum, corpori-
bus exuti, *mox* plus vi cognoſcendi hîc valeant, adeoque cog-
noſcãt *hîc*; quàm valuerint, & cognouerint corporibus incluſi. Cùm
igitur corporibus incluſi, occulta, *per ſe*, non cognouerint, & reuela-
re nequiuerint; poterunt corpora exuti? At Dæmonum ſcientiam
occulta non latent. Multis vijs & rationibus ex ijs quædam aſſequun-
tur: quemadmodum norunt docti.

Quocirca & quæ tempore Romani Argiropoli Imperato-
ris in Tracenſi prouincia, apud radices montis Cuzenæ, vox
miſerabilibus eiulatibus & lamentis, à Menſe Martio, ad Iunium ex-
audita eſt; & clades Romanorum in Celiſyria portendit, Dæmones,
non humanos Spiritus prodidit. De hac Cedrenus.

Sic Dæmonium fuiſſe dicimus, & non humanum Spiritum, qui

Digitized by Google

Curtio Ruſo prędixit, futurum; vt Romam proficiſceretur: honores ibidem gereret: & cum ſummo imperio in Africam rediret. de quo Theſi 4. c. 26. ex Plinij li. 3. Ep.

Sic deprehenſus eſt eſſe Dæmon, ille, qui ſe Ducem Betaniæ Gerardum dicebat, in agro Furnenſi pagi Eggafridi, cuius mentio facta eſt Theſ. eadem, eodem capite. poſtquam occultum quoddam crimen inter Hillinum quendam religioſum virum, quod ille in iuuentute cum Theta virgine commiſerat, prodidit, Rem prolixius deſcribit Iacobus Meyerus li. 5. Annalium Flandriæ, circa annum Domini 1153.

11. *Et oratio, boni petitoria, humanos Spiritus* (quamuis non omnes) *à Dæmonibus diſtinguit*. Quid ita? Quia Dęmonibus, vt aliquod ſibi bonum petant, non conuenit: & ſi petunt; ſimulatè, non verè petunt. Verùm de hoc, poſterius Capite quadrageſimo.

CAP. XXIX.

An, & quomodo moleſtijs, quæ afferuntur: & malis, quæ inferuntur, Spiritibus authoribus: poſſint diſtingui humani Spiritus à Spiritibus Dæmoniorum.

1. FAcilè aliquis in illam ſententiam conceſſerit; vt ex *malis & moleſtijs*, quæ à Spiritibus afferuntur, nullum putet diſcrimen, quo humani à Dæmonum diſtinguantur, poſſe deprehendi: Non ſolùm idcirco, quòd tam humani, quàm Dęmonum poſsint eſſe moleſti; verùm etiam, quòd vtriq; magna aliquando mala & detrimenta attulerint

2. *Sunt moleſti, ſine vlla corporis læſione, Dæmonum Spiritus* Res eſt clara quotidianis exemplis: &, ſi vetera poſtulantur; probant inter alios, Spiritus, qui, in Scotia, arcem Sterlingi, gemitibus horridam reddiderunt. de quibus Cap. 1. Sunt quoque, ſine vlla corporis læſione, moleſti *Spiritus humani* vt probat Cleonicæ, Byzantinæ virginis Spiritus; qui ſola ſua præſentia grauis fuit Pauſaniæ Spartanorum Regi. quemadmodum dictum eodem primo Cap.

3. *Inflixerunt vulnera Dæmonum Spiritus*. Expertę ſunt hoc, & ſuo malo probant, Virgines Verretenſis Monaſterij: & qui ex fodina Georgiana ſublatus eſt, operarius: de quibus 1. Cap. Et *humanos Spiritus* infligere poſſe, atq; adeò infligere; probat Spiritus matris Neronis; qui, vt Suetonius loquitur, aliquando *verberibus furiarum in ipſum ſæuijt*.

Con-

Confirmant idem exempla Petri Apoſtolorum Principis,& B. Virginis Matris. De Petro refert Beda, l.2. cap.6. Hiſtoriæ Anglorum, quòd Laurentium, Cantuarienſem Epiſcopum, à grege tenero,& Chriſto recens initiato, fugam meditantem,nocte flagellis ceciderit. De Virgine Matre Nicephorus, l.18. ca. 33. quòd impio cuidam hoſpiti dormienti aſtiterit; verbis primùm perſtrinxerit;deinde vimine eius genua, circumcirca velut exarans, circumſcripſerit; ille verò à ſomno excitatus, à reliquo corpore diſrupta inuenerit: & iuſtum Dei iudicium, non oris ſolùm teſtimonio, ſed corporis quoq; habitu promulgauerit. 4

Attulerunt mortem Dæmones. Exemplo ſunt illi (de quibus 1.Cap.) duodecim, quos Annebergicus Spiritus vno flatu interemit. Et ſi mortem non attulerunt; poſſe afferre *humanos Spiritus*, docent exempla ſanctorum hominum(quorum Spiritus quidni poſſet,quod ipſi?)exempla, inquam, Petri Apoſtoli; qui mortis Ananiæ & Saphiræ: Eliæ, qui quinquagenariorum; Eliſæi,qui puerorum quadraginta duorum authores fuerunt. Act.4. Reg.1. 4. Reg.2.

Sed ad rem magis faciunt duo,quæ adiungimus Exempla.Primũ refert Gregorius Turonenſis l.5. Hiſtoriæ Francorum c. 5.his verbis: *Anno quinto Epiſcopatus ſui* (loquitur de Pappolo,Epiſcopo Lingonienſi,qui gregis ſibi commiſsi nullam curam gerebat)dum diœceſes & villas Eccleſię circuiret,quadam nocte dormienti illi apparuit vultu minaci B. Tetricus(Tetricus hic Pappolũ in Epiſcopatu pręceſsit,& officio boni Epiſcopi egregiè erat perfunctus)Cui ita.Quid tu, *inquit*,hic Pappole? vt quid ſedem meam polluis? vt quid oues mihi creditas diſpergis? Cede loco: relinque ſedem, abſcede longius à regione.Et hæc dicens, virgam, quam habebat in manu: pectori eius cum ictu valido impulit.In quo ille euigilans, dum cogitat quid hæc eſſet,fixè in loco iſto defigitur,ac dolore maximo cruciatur. abhorret cibum potumque,& mortem iam ſibi proximam præſtolatur. Quid plura: Tertio die, cùm ſanguinem ore proijceret, expirauit. Hæc Gregorius. & poſt Gregorium Baronius An. C. 552.

Alterum huic haud ita multum abſimile refert Ioannes Nauclerus, generat.34. Vdo quidam Magdeburgenſis fuit Epiſcopus; qui cùm cura Epiſcopatus depoſita, totus libidini, cum Deo conſecrata virgine vacaret, primùm hac voce(Ceſſa de ludo, luſiſti iam ſatis Vdo)vt diſiſtat ad monetur: deinde vbi peccatum peccato iungit, de latere concumbentis ſecum ſcorti detrahitur.adducitur mox in Sanctorum, qui in choro Eccleſiæ S. Mauritij conſidere viſi ſunt,

conſilium accuſatur apud Filiũ à Virgine Matre, damnatur capitis, à Pugile decollatur. Rem totã, prout oculis conſpexit narrauit Fredericus quidam, eiuſdem Eccleſiæ Canonicus: factiq; teſtimonium hodie præbet cruor Vdonis in marmore candido exceptus.

5. *Incommodârunt bonis fortunæ Dæmones.* Iob id ſuo magno, ſed tamẽ felici, malo didicit. Experti ſunt idem ab infeſtante Spiritu Bingenſes plurimiq; alij, quorum 1. Cap. meminimus. Et quidni poſsint *Spiritus humani* idem in bona externa, quod valent in bona corporis? in corpora ipſa?

6. Hæc à nobis allata, in præſenti argumento difficilem faciunt inter Spiritus diiudicationem. Et *fortè* non errauerit, qui mala nulla eſſe crediderit, quæ nunc non à Dæmonibus afferantur; nunc non ab humanis Spiritibus, ſi non omnibus, ſaltem ab aliquibus.

7. Interim tamen, ſaluo melius ſentientium iudicio, & hinc aliquod diſcrimẽ accipi poſſe; & *eſſe quædam mala, quæ Spiritus diſtinguãt,* exiſtimarem. Quæ illa? quæ videlicet, non ab hominum Spiritibus afferuntur; ſed à Dæmonibus: quæ ob id, quia Dæmonum propria ſunt, hoc ipſo demonſtrabunt & arguent Dæmones, non humanos Spiritus; quia ipſorum authores Dæmones ſunt, non humani Spiritus.

8. Quocirca hic modus cognoſcendi, & diſtinguendi Spiritus contrarius eſt illi; qui, Capitibus præcedentibus, explicatus eſt. Ibi demonſtratum eſt ex ijs, quę conueniunt tantùm humanis Spiritibus, humanos cognoſci, & à Dæmonibus diſtingui: hîc ex ijs, quæ Dæmonibus tantùm conueniunt, cognoſci & diſtingui Spiritus Dæmoniorum ab humanis docebitur.

9. Principio igitur *Dæmones crediderim illos Spiritus, qui mortis hominum ſunt authores.* Certè hos mortem *poſſe* afferre, dubium non eſt. *Non eſt poteſtas, quæ comparetur eis,* Iob 41. Dubium quoque non eſt, ipſos hominum mortem *deſiderare.* Probat hoc implacabile odium, quo genus humanum proſequuntur. Sic certum eſt *re ipſa* mortem aliquando *attuliſſe.* Exempla huius plurima ſunt. Quod verò *ſoli* afferant, & *conditio* mali, quod morte affertur, videtur poſtulare; & ipſorum Dæmonum *officium.*

10. *Mors* malum graue eſt: nec, niſi Dei ſingulari prouidentia, à Spiritibus affertur. At diuina prouidentia, quemadmodum non per ſeipſam res adminiſtrat, ita neque adminiſtrat per quaſuis creaturas. Habet adminiſtratorios Spiritus, Angelos, in ſimilibus officijs. Per Angelos igitur; quando ita expedire iudicauerit, mortem infliget.

11. Quòd ſi *conditionem* Spirituum humanorum attendamus, clarius

Digitized by Google

rius quod diximus, intelligemus. An fortè purgandis propoſitum eſt, vt interimant? Nequaquam. Vt prodeſſe *per ſe* non quærunt;ita nec nocere. Suam tantùm cauſam agunt. ſuum quærunt bonum priuatum. An propoſitum damnatis? At vt velint maximè, *fortè* tamẽ per vires non ſemper vt afferri videmus, afferre poterunt: & vt poſſint, quia tamen nõ adſunt viuentibus, vt diuinæ iuſtitię adminiſtri, (hoc officium Angelorum eſt) non per ipſos, ſi quando affertur, mors afferri dici debet.

Quod ſi quandoq; Spiritus humani mortem intuliſſe leguntur, illos ego non autoproſopos, ſed ſpecietenus tantùm humanos dixerim. Dixerim Angelos (nunc bonos, nunc malos) qui formas certas hominum finxerint; reuera autem Angelici ſpiritus fuerint. 12.

Nec eſt, quod quis hîc mihi Beatorum hominum Spiritus obijciat, qui mortis viuentibus fuerint per ſeipſos authores. Primùm enim, qui illi? ſiue, quorum Spiritus fuerunt? Deinde vt illi intulerint; noſtra tamen non euertitur Aſſertio: quoniam non de felicibus; ſed miſeris quæſtio hîc eſt. Quid quod forſitan, non malè negetur Beatorum Spiritus per ſe mortem intuliſſe? Quemadmodum enim, teſte B. Auguſtino, li. de Cura pro mortuis, etiam ipſi autoproſopos perſonaliter pręſentes ſæpe non ſunt, vbi pręſentes videntur; ita ſæpè mortem per ſe non afferunt, vbi mortem iudicantur afferre. 13.

Miniſterio bonorum Angelorum ſæpe forſitan hoc fit, qui Sanctorum hominum imagines exhibent. Illi ſæpe mortem inferunt, idq; ſub Sanctorum Imaginibus & forma, ita Deo diſponente: vt etiam ex his Imaginibus colligant mortales, quo in honore habendi ſint, quos Deus in cœleſtis Hieruſalem ciues aſſumit, & cohæredes vult eſſe Vnigeniti ſui dilecti Filij. 14.

Hoc vnum itaq; *malorum*, quod Dæmoniorum Spiritus diſtinguit ab humanis. An hoc ſolum? Addidero illi *Vulnera*, atque, quæ ad mortem tendunt, *grauia verbera*. Quicunq; Spiritus horum cauſa ſunt, produnt forſitan ſe non *perſonaliter* eſſe humanos; ſed Dæmoniorum Spiritus. 15.

Nec opus multis eſt pro Aſſertionis huius confirmatione. Quæ probant mortes & clades Dęmonibus authoribus fieri; probant vulnera atque verbera ab ipſis proficiſci. Ad proprium hoc officium in *noſtris hiſce infeſtationibus*, pertinent Dæmonum. A fine, qui Spiritibus humanis, in ſuis Apparitionibus, & infeſtationibus propoſitus eſt, ſunt aliena. 16.

Sic ingentia damna, quæ fortunis & bonis externis viuentium inferuntur, 17.

runtur, Dæmones indicant. Non ob dictas tantùm rationes: verùm etiam propterea, quòd perſæpe hæc humanis viribus procurari nequeant. Non tantæ vires humanis Spiritibus, vt magna damna, quę quãdoque per ſpiritus afferuntur, ipſis authoribus fiant. *Sæpe* etiam quamuis leuia ſint, ijs tamen medijs & rationibus procurantur, quę in humanorum Spirituum non ſunt poteſtate, vt ſunt excitati venti, ignes, &c.

CAP. XXX.

An & ex quibus officijs, atq; obſequijs, quæ à Spiritibus quandoq; viuentibus præſtantur, cognoſci poßit, qui Spiritus humani ſint, & qui Diabolici.

1. Officia, hoc loco, opera quędam Spirituum, quę in aſſumptis corporibus exhibent, vocamus: Hęc quamuis varia ſint; ad *quatuor* tamen pręcipua genera reuocari videntur: vt alia dicamus *otioſa*: alia *moleſta*: alia *pernitioſa*: alia *obſequioſa*. Prima illa nullum ad hominem reſpectum habent: poſteriora tria cum hominibus, & propter homines ſuſcipiuntur.

2. *Otioſa* dicuntur, non quia Spiritibus in ijs nullus finis propoſitus eſt: nam ſine fine, & ratione, nihil agunt Spiritus: ſed vel quia propter ſe ſola ſuſcipiuntur; vel certè non hominum cauſa. In his ponimus Ludos nocturnos ſpectrorum Aquilonarium, quorum Olaus Magnus meminit li 3 c. 11. Gent. Septent.

Moleſta ſunt quæ vt quies hominum interturbetur: aut aliquid aduerſum ipſi patiantur, à Spiritibus ſuſcipiuntur; vel ſi non idcirco ſuſcipiuntur, cum moleſtia tamen accipiuntur: qualia ſunt excitati ſtrepitus, vellicatio aurium &c.

Pernitioſa voco, quæ præter moleſtiam, quam afferunt; etiam incõmodant, nunc in fortunæ bonis, nunc in bonis corporis.

Obſequioſa ſunt, quibus bonum aliquod mortalibus affertur, aut humana ſeruitia præſtantur:

3. Diſcuſsimus *moleſta*, atque *pernitioſa*; & vtrum atque quod, diſcrimen inter humanos, atque Dæmoniorum Spiritus conſtituant, notauimus, hoc Capite. Vtrum etiam ex *obſequijs*, qui mortalibus Spiritus impendunt, diſcrimen aliquod capiatur, examinabimus.

4. Nam quod *Obſequia quædam Spiritus mortalibus præſtent: dubium non eſt.* Experiuntur illa Magi plerique, quos inter atque Spiritus pacta inter-

Digitized by Google

intercedunt. Experientur Sagæ; quando ad nefandos congreſſus, & conuentus properantes, ſuis vtuntur Martinellis. Et nos pro hoc argumento, non pauca protulimus Capite primo.

Et ab *Omnis generis Spiritibus hæc obſequia* præſtantur. Purgandus Spiritus Paſchaſij cuiuſdam, obſequia præſtabat in Thermis Angularibus Germano Capuano Epiſcopo. Diabolicus fuit Heildesheimenſis Hudcken; qui diligentem curam habuit commendatæ ſibi à marito vxoris. Damnatus videtur fuiſſe Apollonij Thianæi Philoſophi; qui capta ab Aureliano Imperatore vrbe Aſiæ, Tyana; poſt mortem Imperatori apparuit, hiſque verbis eundem eſt allocutus: *Aureliane, ſi cupis vincere, non eſt quod de ciuium meorum nece cogites.* Vide Cælium Rhodog. lib. 17. capite *13* qui hoc ex Fla. Vopiſco. 5.

Hæc cùm ita ſint, non immeritò quæritur, Vtrum etiam ex his argumenta peti poſſint, & indicia; quibus deprehendatur diſcrimen humanorum & diabolicorum Spirituum. Alij forſitan crediderint his humanos, maximè purgandos, Spiritus cognoſci, quod hęc obſequia humanitatis ſint plena. Alij tribuerint omnia Dęmonibus: quibus ſtudium non paruum eſt, etiam Angelicis obſequijs, mortalibus illudere. Nos, quod probabile eſt, iudicamus *quædam eſſe, quæ vehementes ſuſpitiones gignant, quòd à Dæmonum, non hominum Spiritibus proficiſcantur: humanos Spiritus vel nulla prodere, vel admodum leuiter inſimulare aliqua.* 6.

Primum, Obſequiorum, quæ Dęmonum *tantùm* videntur eſſe indicia, *Tria* ſunt genera. Quædam poſſumus dicere *neceſſaria*; quædam humanas *vires ſuperantia*; quædam vehementer *nefanda*. *Neceſſaria* dico, in quibus Spiritus hominibus, quibus obſequia præſtantur, ex voto aut pacto ſunt obſtricti. Vires humanas *ſuperantia*, quæ nec viuorum hominum proprijs viribus fieri poſſunt, nec à defunctorum Spiritibus. *Nefanda*, in quibus apertius naturæ leges violantur. 7.

Obſtringi homines aliquando *ex pacto* Spiritibus certum eſt. 8.
Exempla ſuppetunt plurima. Quid, quod qui maleficiorum ſunt authores, niſi ſe Spiritibus, obſtringant; in Malificorum album non admittantur? Atque vt his ſeſe Spiritibus homines obſtringunt; ita viciſsim hominibus ſe obligant, & ſua opera promittunt Spiritus. Hæc opera atque obſequia Dæmones prodere, & non alios Spiritus; partim inde rectè videmur colligere; quòd pacta non, inter defunctorum Spiritus, & viuentes homines: ſed hos inter atque Dæmones interceſsiſſe, atque intercedere identidem, legamus: par-

tim ex illo, quod non idcirco rebus viuentium interſint defuncti, vt pacta cum hominibus ineant; & ex officio, certa obſequia hominibus præſtent.

9\. Exhibentur etiam à Spiritibus obſequia aliquando, quæ *humanas vires excedunt.* Nunc enim in hominum gratiam, atque pro ipſorum voluntate & imperio à Spiritibus ingentes tranſponuntur lapides: nunc amplæ & ſplendidæ ſubitò conſtruũtur machinæ: nunc per aera rapiuntur homines, &c. His verò cùm humanæ vires pares non ſint; cùm ſint multò inferiores; quomodo humanis Spiritibus authoribus hæc fieri credi debet?

10\. Denique *nefanda* Obſequia Spiritus exhibent. Teſtantur hoc qui ad mares fiunt ſuccibi; & ad fœminas incubi. Teſtantur idem Iornandes Gothorum Epiſcopus. li. de Gothorum origine, VVilhelmus Pariſienſis, & Thomas Brabantinus, l. de vniuerſali bono, Vincentius li. *21.* cap. 30. Hiſto. Ioannes Nider, lib. 5. form. de Malefic. cap. 10. An hæc humani Spiritus exhibent? Non exhibent purgandi; quos ſuperius diximus, peccare non poſſe. Non exhibent damnati, quòd quæ in hoc nefando congreſſu neceſſaria ſunt, per illos non ita commodè fieri poſsint. A Dæmonibus igitur, vt *certum* eſt perſæpe, & vt plurimum fieri; ita veriſimile eſt à *ſolis* fieri, & ſemper fieri.

11\. Gaudent autem hoc *exercitio* plurimùm immundi Spiritus: non ea cauſa, quod inde ſobolem tollant; vel voluptatem aliquam capiant, afferantur; ſed propter hominum perniciem, quam impensè expetunt. Norunt enim naturam hominis proniſsimam eſſe ad voluptatem: Eam etiam illecebram eſſe cuiuſlibet turpitudinis & improbitatis, atq; omnium malorum eſcam. Experti præterea ſunt viros quantumuis prudentia, probitate & grauitate præditos, blanditijs voluptatum delinitos, ſæpenumerò eſſe corruptos, & ad magna tractos flagitia. Meminerunt etiam fortiſsimum omnium mortalium Samſonem, ſapientiſsimumq; Salomonem, etiam ſanctiſsimum Dauidem, voluptatis dulcedine ineſcatos, impuriſsimis flagitijs, & grauiſsimis calamitatibus contaminatos & attritos eſſe. Nec ignorant vitium luxuriæ, quatuor rebus cætera vitia ſuperare; amplitudine, diuturnitate, fœcunditate & curationis difficultate. Hęc enim labes latiſsimè diffuſa eſt, atque omne propemodum genus hominum complexa: & quem ſemel corripuerit, ſic ei tenaciter adhæreſcit, vt vix vnquam auelli queat. Denique vitium hoc inolitum, atque inueteratum in animis hominum, difficilimam habet curationem. Quid plura? Voluptas corporis innumerabilium malo-

Digitized by Google

malorum, tum priuatim, tum publicè ſeminarium eſt. Propter hanc non vnius tantùm, aut paucorum hominum; ſed familiarum, ciuitatum, gentium, imperiorum, totius denique orbis terrarum clades & exitia contigerunt. Hæc non ignorant Dæmones: idcirco hoc exercitium ſectantur.

Ergo *hæc obſequia Dæmonum ſunt argumenta.* An his contraria ſunt humanorum Spirituum? *libera* dico, humanis viribus *paria? honeſta?* Poſſunt talia ab humanis Spiritibus eſſe: at à *ſolis* non ſunt. A Dæmonibus, vt neceſſaria; ita libera: vt humanas vires ſuperãtia; ita humanis viribus paria: vt nefanda; ita honeſta poſſunt exhiberi. 12.

Nullumne igitur indicium in Obſequijs, quod humanis tantum Spiritibus conueniat? Si aliquod eſt, illud crederem eſſe; quod, prǽterquam liberum eſſet, & viribus hominum par, & honeſtum; etiã cum *quadam animi ſubmiſſi ſignificatione offertur, & omni ſuſpitione peccati caret.* quod qua ratione bene dicatur, docent quæ de Oratione dicuntur, cap. 28. 13.

CAP. XXXI.

An ex otioſis officijs Spirituum, poſſit deprehendi, qui ſint humani, & qui Dæmoniorum Spiritus?

INter Officia Spirituum quadruplicia diſcuſsimus *moleſta, pernitioſa, & obſequioſa*: & quid ad ipſorum diſtinctionem faciant, demonſtrauimus. Vna reſtant *Otioſa*, quę ne prętermiſſa videantur, hoc Capite examinanda ſunt; & eò breuius, quod ex dictis de hiſce iudicium haud difficulter ferri poſsit. 1.

Quæ ipſorum conditio ſit, clarum eſt. Non hominum propriè cauſa à Spiritibus ſuſcipiuntur; ſed propter ſe, & cauſa ſui. In hoc genere præcipuè choreas ponimus atque luſus, ludicraſq́; quaſdam geſticulationes, & quæ cum his ſimilitudinem atque affinitatem habent. 2.

Hæc aliquando à Spiritibus fieri dubium non eſt. Nam vt de ijs nihil dicamus, quæ in conuentibus nocturnis Spiritus, cum perditæ ſalutis hominibus habent; refert Olaus Magnus, apud Aquilonares populos ſolere nocturnos viatores, & armentorum cuſtodes, mirificum concentum Spirituum obſeruare & ludum; illumq́ue incolas vocare choreas Eluarum. de his nos 1. Cap. 3.

4. Sed huos manne *Spiritus* à Dæmonibus hæc officia diſtinguunt? Omnino quis id exiſtimauerit, qui horum officiorum, atque ipſorum *Spirituum* conditiones inter ſe comparare voluerit. Cùm enim officia hæc lætitiæ ſint argumenta; illis tantùm Spiritibus tribuet, qui gaudiorum poſſunt eſſe participes; quales ſunt humani purgandi, ab illis remouebit, in quos gaudium nullum, nulla voluptas cadere poteſt; quales præcipuè ſunt ipſi Dæmones.

5. Quid enim hic dubium? An quòd hæc officia lætitiæ ſint argumẽta? An quòd gaudiorum ſint participes Spiritus purgandi? An quod in malos, pręſertim Dęmones, gaudia non cadant? Certa & clara ſunt omnia.

6. Quòd *lætitiæ argumenta & indicia ſint*, communis omnium habet ſenſus, & conſenſus Omnes ex his animorum lætitiam in alijs colligunt. Omnes ſi hæc pręſtent, lætitię ſuę interioris argumenta ſe dediſſe exiſtimant.

7. Quòd *gaudiorum participes ſint purgãdi Spiritus* hinc colligitur; quòd moleſtiarum, quas ſuſtinent, finis ſit æternæ vitæ infinita voluptas. Sed & illius ipſius voluptatis exſpectatio, quæ apud ipſos certiſsima eſt, gaudium præſens illis affert. Et omnino credendum eſt eoſdem recreari viuorum, quæ ipſis offeruntur, precibus & ſuffragijs.

8. Et vt hi voluptatem capere poſſunt, & capiunt; ita *omnis voluptatis & gaudij expertes ſunt Dæmoniorum Spiritus.* Non poſſunt vlla triſtitia affici Beati, qui cum Chriſto regnant in cælo. Non poſſunt vllam lætitiam capere damnati, qui à cælo excluſi, infernalibus torquentur ſupplicijs. Tantus eſt damnatorum dolor & triſtitia, vt ſi qua eſſe poſſet in ijs, mox abſorberetur voluptas. Tanta Dei iuſtitia vindicantis impiorum in inferno peccatum, vt ne concurrere velit cum ijs ad vllum, quo voluptatis participes eſſe poſſũt, actum, vt pulchrè philoſophatur noſter Ludouicus Molina in 1. parte S. Thomę. Quod ſi B. Auguſtinus aliquando docet, *lætari ipſos de infelici ſua poteſtate*; nõ intelligendus eſt, ipſis aliquam voluptatem concedere; ſed ſolùm inſinuare hanc ipſis poteſtatem placere.

9. Sed tamen officia hæc *otioſa*, quæ diximus, bonorum Spirituum, propria non ſunt. Quid, quod nec quidem illis tribuenda? Quid, quod ſint ſolorum malorum? Et hæc *Tria* breuiter, pro inſtituti ratione doceamus.

10. *Primum experientia docet*, in ijs Spiritibus, quos ſuperius *Guteolos* diximus vocari à Germanis. Hos leuiter eſſe petulantes; mimicas quaſi actiones exercere deprehenſum eſt ſæpius. Quis verò dubitauerit

de ga

de genere malorum ſpirituum eſſe Citharedum, qui in medijs vndis ludens conſpicitur haud procul à Finlandiæ arce: cuius meminit Olaus *Magnus*, li. *20* ca. *19*.

Sed *nec officia hæc ſunt tribuenda bonis Spiritibus qui purgatorijs ignibus expiantur.* Quamuis enim voluptatis & gaudiorum ſint capaces; vt tamen exterius lætitiæ ſigna dent, nulla cauſa eſt, quæ vrget. Vt porrò dent leuitatis atque petulantiæ, ſine quibus officia hæc non exercētur, quis crediderit? præſertim eos ſpiritus, quos aliquoties dictum eſt peccare non poſſe? 11.

Solorum igitur malorum Spirituum hæc officia ſunt: qui quamuis lætari & gaudere reuera nequeant; lætitiam tamen & gaudium poſſunt ſimulare & fingere. Spiritus ad quaſcunque res fingendas aptiſsimi. 12.

An verò *malis vtriſq;* communia? hominum ſcilicet damnatorum 13.
ſpiritibus & Dæmonum? Difficile eſt hoc definire. Veriſimile eſt *aut eſſe propria Dæmonum aut ad hæc cogi ſpiritus hominũ:* vt habeant communia miſeri cum Nequam Spiritibus officia, cum quibus communem habent infelicem conditionem, & ſocietatem.

Quid ex dictis omnibus? Hoc ſolum. Admodum probabile eſſe, 14.
diſcrimen aliquod ex his officijs peti; quod humanos Spiritus à Dæmonibus diſcernat, *cùm officia hæc non niſi Dæmonibus conueniant.*

Et profectò Dæmones à mimicis geſticulationibus & leuioribus 15.
actionibus non abhorrere, primùm quidam illi probant, qui Verretenſis Monaſterij virginibus moleſti fuerunt, de quibus Theſi 19. Capitis primi: tum is, qui in forma ſimiæ infinitos iocos Sancto Dominico exhibuit, de quo in Vita eiuſdem, lib. *3* ca. *7*. Theodoricus de Apoldia: vt nihil de ijs dicamus, qui Dæmoniacos obſident.

CAP. *XXXII.*

An ex locis ſacris & profanis: deſertis & cultis poſſint diſtingui humani Spiritus à Dæmonibus, ſi quando dicta loca infeſta ſunt.

LOcorum differentiæ admodũ ſunt variæ. *Res per ſe clara* 1.
eſt. Nos illas ſolum ſcrutabimur, quę inſtituto noſtro ſeruiũt. Hæ duplicis ſunt generis: quędã ex locorũ petuntur qualitatibus: quædam ex rebus, quę in locis acciderunt. *Ra-*

Digitized by Google

tione priorum dupliciter diſtinguuntur;in Sacra,& profana:deinde in Culta ſiue habitata;& deſerta,ſiue hominum vſibus non ſeruientia. Ratione poſteriorum alia ſunt flagitio ſiue peccato; alia morte alicuius inſignia:alia verò,in quibus horum neutrum notatur.

2. Horum locorum, in Spirituum moleſtijs atque infeſtationibus, rationem aliquam haberi,dubium non eſt.Nam & quibuſdam frequentius obſeruantur Spiritus, quæ præ cæteris affectare videntur: quædam, contrà fugiunt & deteſtantur. Affectant quidam loca deſerta:fugiũt alia alij: vt illi,qui pręcedente nocte,antequam Baſilica S.Petri Coloniæ conſecraretur, auditi ſunt horrendis vocibus clamare,quod ſedibus ſuis pellerentur,quemadmodum anno 871. notauit Sigebertus.

3. Quia verò non veriſimile eſt,quoſuis Spiritus quibuſuis locis delectari;nec quoſuis quæuis loca fugere & declinare;omnino ex *locis* de conditione Spirituum coniectura peti poſſe videtur.Quanta verò,& qualis? Id hoc Capite oſtendendum *in ijs locis, quæ qualitatibus diſtingui* diximus.alia ſequenti Capiti reſeruamus.

4. Duplicia igitur hîc loca ingredienda ſunt:primùm *ſacra*,& *profana*:tum deinde *deſerta*,& *culta*,ſiue hominum vſibus ſeruientia.

5. In *profanis* labore atque inueſtigatione magna opus non eſt. *Certum eſt ex his Spiritus non diſtingui:* quod his & Dæmonum,& hominũ, tam damnatorum,quàm purgandorum Spiritus reperti ſint, & reperiantur.Exempla ſuppeditat primum diſputationis præſentis Caput.Nec aliud ſuadet ratio:quoniam quod Spiritus,quoſcunq;, *profanis locis* prohibeat eſt nihil:quòd quicunque illis locis inueniantur, rationes ſunt & multæ & magnæ.

6. A *Sacris* fortè quis excluſerit malos,& ob id, quamuis hinc non vniuersè Dæmoniacos ab humanis;à quibuſdam tamen (purgandis videlicet)diſtinguet.Sed alius forſitan,ad *ſacra loca*, præter purgandos, admiſerit malos damnatorum hominum Spiritus; exemplo perſuaſus Doctoris Pariſienſis, qui horrendis vocibus,ſe & *accuſatũ*, & *iudicatum*;& *damnatum*,in Templo proclamauit.de quo in Vita S. Brunonis.Fortè ſunt, qui nec Dæmones velint *ſacris locis*, & *templis* excluſos:propterea quod in templis ſępe inueniantur à Dęmonibus obſeſsi Dæmoniaci:& tumultus nocturni prænuncij mortis(quos à Dæmonibus,vt plurimum excitari,aliâs diximus)in templis audiantur frequenter:oraturi etiam in templis,primùm ſe aqua luſtrali aſpergant,ne Dæmonis tentationibus impediantur.Sed & homines quidam perſequentes patiuntur Dæmones:quid ſi ad templa hi cõueniant?ibi commorentur ? eruntne mox à Dæmonum moleſtia liberi?

Diffici-

Difficilem hæc faciunt, ad propoſitam quæſtionem, reſponſionem. Interim tamen non errare dixerim eos qui ex *ſacris locis* diſcrimen aliquod peti poſſe crediderint: *Templis vt plurimùm, excluſerint Dæmones: humanos verò Spiritus*(vtrum omnes, an aliquos, poſtea diſcutietur) *ad illa admiſerint*, vt ob id, qui in ſacris locis moleſtare viuentes, aut infeſtare obſeruantur; habeantur, *vt plurimum*, non Diaboli & Dæmones; ſed defunctorum hominum ſpiritus & animæ. 7.

Recepta eſt apud Catholicos conſuetudo, nec fruſtra: vt ſi quę loca Dęmonibus infeſta ſint; illa exorciſmis atque orationibus Eccleſię, liberentur & purgentur. Quid igitur in locis *ſacris*, templis, atque oratorijs, quæ exorciſmis atque orationibus & purgata, & Deo conſecrata ſunt, infeſtantes Dęmones quærimus? Antequam diuinis vſibus loca conſecrentur; authoritate, diuinitus Eccleſiæ relicta, ab ijſdem Dęmones proſcribētur; & poſtquam iam conſecrata erunt, domicilia erunt Dæmonum? illa pro ſua libidine poterunt infeſtare? poterunt in ijs mortalibus moleſti eſſe? clades atque detrimenta afferre? 8.

Quàm ſunt *multa* in templis, conſecratiſque locis, quę Nequam Spiritus cane peius & angue, oderunt? Sáctorum Imagines? Sanctorum Reliquiæ? vaſa ſacra? res ſacræ, quarum vſus in Sacramentorum adminiſtratione? pietatis exercitia? Chriſti ſanctiſsimnm ſub ſpeciebus panis corpus? 9.

Nec repugnant aſſertioni huic, quæ ſuperius Theſ. 6. allata ſunt argumenta. Aut enim oſtendunt vi, & quaſi inuitos cogi ad *loca ſacra* Spiritus Dæmoniorum: aut propriè non reddere infeſta loca: aut nō moleſtos eſſe excitatis tumultibus; ſed mentem tantùm, ne Deo in oratione, quemadmodum par eſt, coniungatur, diſtrahere. 10.

Vnum fortè, quod dicebatur in ſacris locis inueniri poſſe homines, qui perſequentes patiuntur Dæmones aliquid roboris habere videtur; vt horum ratione credi poſsit ſacra loca à Dæmonibus infeſta reddi. Sed hoc tantum abeſt, vt aſſertionem infringat; vt etiam magis confirmet. Certis enim, & propria experientia edoctis teſtibus didicimus eos, qui talium Spirituum moleſtias ſuſtinuerunt, cū alijs locis nullis tuti eſſent, ſacris tutos fuiſſe. 11.

Atque ita ſe rem habere exiſtimamus *vt plurimum, vt humani; non Dæmonum ſint Spiritus, qui ſacris locis obſeruantur*. Contingere nihilominus, ſed *rarum* poteſt, vt his etiam moleſti ſint Dæmones. Pro quo *duo* nobis ſuppeditat exempla Cæſar Baronius, Tomo 5. & 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Vnum ſub annum Domini 415. refert acci- 12.

diſſe in Eccleſia quadam Alexandrina, quæ olim famoſiſsimum Idoli fanum fuit, quamuis enim hæc Chriſto à Theophilo Alexandrino conſecrata eſſet; infeſtationes tamen Dæmonum ſuſtinuiſſe, donec in eandem illatæ ſunt Reliquiæ SS. Marci Euangeliſtę; Cyri atq; Ioannis, docent acta eorundem Martyrum, in poſteriori Nicæno Concilio cognita, & à S. Ioanne Damaſceno comprobata. hoc Tom. 5.

Alterum ſub annum Domini 471. accidit Gennadio Conſtantinopolitano Epiſcopo ante ipſius obitum. Cùm ille noctu ad altare Sacrificij, orans aſtaret, & preces ad Deum funderet; Spectrum Dæmoniacum ei apparuit; quod ille protinus ſigno crucis, veluti immiſſo telo fugauit. cumq́; recederet, hęc eſt humana voce locutum: *Abeo, & te viuente quieſcam; reuerſurus poſt obitum tuum, & modis omnibus euerſurus Eccleſiam.* Hoc Tom. 6. ex Theodoro Lectore, Collect. li. 1. & Nicephoro, li. 15. cap. 23.

*D*uobus his *tertium* adiungimus, ex Vita S. Dominici, l. 3. c. 12. deſumptum. Mandauerat vir Sanctus ſuis; ne poſt vltimum campana datum ſignum in Templo hærerent. Manſit tunc Monachi formā indutus Diabolus, vt præceptum viri ſancti tranſgrediendo, ab eodem tanquam immorigerus frater, reprehenderetur; ſilentijq́ue leges, quas ſumma cum religione vir ſanctus colebat, violaret. Nec ſpes fefellit Nequam Spiritum. reprehenſus enim mox ſubriſit, & ſilentij leges violatus Dominico obiecit.

13. Atque hæc de *ſacris* locis. An quoque locis *deſertis* & *cultis* humani atque Dæmoniaci Spiritus diſtinguuntur? Probabile id admodum eſt. *Veriſimile prorſus eſt, qui deſertis locis, & ab hominum vſibus alienis tumultuum & turbarum ſunt authores, Dæmones eſſe; non humanos Spiritus.*

14. Huius hæc argumenta ſunt; quod & qui ſimilibus locis infeſti fuerunt, pro Dæmonibus habiti ſint: & multis indicijs ſe Dæmones eſſe inſinuarint: & præterea, nulla ratio ſit, ob quam ijs locis humanos Spiritus vagari atque degere credi debeat.

15. Pro *Dæmonibus habiti ſunt*, quicunque in vaſtiſsima eremo moleſti fuerunt Antonio, atque Paulo, primis eremi cultoribus; quorum B. Hieronymus meminit. quicunque in eadem eremo noctis quietem interturbarunt Monachis; quorum ſtudium atque pietatem commendat Caſsianus quicunque in fodinis metallicis reperti ſunt, &c. de quibus nos ſuperius.

16. *Sed & certis indicijs* ſe probant Spiritus Dæmoniorum eſſe, qui dictis locis obſeruati fuerunt. alius peregrina forma: vt qui Antonio fa-

Digitized by Google

nio factus eſt obuiam, fronte cornibus aſperata. alius morum & geſtuum leuitate; vt citharedus in extremis finibus Finlandiæ. alius morte & nece hominibus allata; vt Spiritus Annebergicus. alius ſimulato brutorum animalium clamore; vt qui vel leonis rugitum, vel ſerpentum ſibilum, vel taurorum mugitum aliquando edidit, &c.

Huc accedit, quòd Raphâel Angelus apprehenſum Dæmonium religauerit *in deſerto ſuperioris Ægypti*, tanquam loco ſibi conuenienti, Tob. 8. Et quòd Dominus doceat eiectos Spiritus *ambulare per loca arida: ibidemq; requiem* quærere, & non inuenire. Hæc ſcilicet deſerta ſunt loca, quæ Dæmonibus *arida* dicuntur & *inquieta*, quòd in ipſis materia hominum generi incommodandi, quam ſemper expetunt, non ſuppeditetur. Ita Abulenſis in 11. Matth. 17.

Cur etiam deſertis locis verſarentur humani Spiritus? An vt his pœnas peccatis debitas perſoluant? At ad hoc ipſis ſeruiunt purgatoria atque infernalia loca. An, vt diuinę iuſtitię dent teſtimonium, illis ipſis, quos ſuſtinent, cruciatibus? At hæc hominibus, qui iiſdem iuuari poſſunt, non lapidibus atque arboribus; non feris atq; brutis animalibus, quæ locis deſertis reperiuntur, ſunt exhibenda. An, vt ſubſidia atque patrocinia obtineant viuentium, & ipſorum opera iuuentur? At hæc in cultis locis, & vbi homines inueniuntur, exſpectari debent. 18.

Omnino viuentium cauſa defunctorum Spiritus ad viuos redire videntur: ſiue rationes ex parte Spirituum; ſiue ex parte Dei; cuius voluntate & diſpenſatione fit, vt reuertātur, petantur. Omnino igitur neceſſe eſt, vt vbi viuentes commorantur, verſentur: locis cultis, & hominum vſibus ſeruientibus; non incultis, & ab hominum conſuetudine alienis. 19.

CAP. XXXIII.

An ex locis morte alicuius, aut egregio facinore notatis, poßint humani & Dæmonum Spiritus diſtingui: & quomodo.

LVſtratis locis ſacris, & cultis; illa iam ſunt percurrenda, 1.
quę vel *aliqua morte*; vel *graui facinore* notata ſunt. Circumſpiciendum, Vtrum ex ijs diiudicari poſſit, quæ conditio Spirituum, ijs locis oberrantium ſit, ſcilicet, humani ſint; an Dæmoniorum.

2. Nam hæc, *præ cæteris locis* Spectris, & Spiritibus infeſta eſſe propemodum nullus eſt, qui ignorat. Et ſi exemplis agendum eſt, non deſunt hæc, tam in locis, quæ ob alicuius mortem nota ſunt; quàm, vbi grauia commiſſa *crimina*. Pro prioribus, vt alia omittam, eſt ſpiritus, qui domum infeſtauit, vbi Cæſar Caligula interfectus eſt. Pro poſterioribus, quod Cardanus, lib. 6 cap. 93. de rerum varietate, his verbis refert. Eſt, inquit, familia nobilis, ac inter primas Parmæ, Torrellorum nuncupata. Poſsident arcem, in qua aula eſt. In ea, ſub camino, ſolet videri anus iam centum annis, quoties ex familia aliquis obiturus eſt. Referunt hanc anum olim fuiſſe prædiuitem, & ob pecunias interfectam à nepotibus ſuis; & in fruſta diuiſam, proiectamque in latrinam. Ita Cardanus.

3. Et non ſolùm his locis Spiritus apparere, & moleſtos eſſe: verùm etiam ob *peractam mortem*, aut *commiſſa ſcelera*, moleſtos eſſe credendum eſt. Cuius hoc haud leue argumentum eſt; quod ante peractam mortem, commiſſaque ſcelera, ijs locis nullæ Spirituum moleſtiæ perciperentur; poſthæc, illæ mox ſecutæ ſint, & obſeruatæ.

4. De his igitur quæſtio eſt, An humanos Spiritus à Dæmonibus diſtinguant: ita vt quicunque his locis obſeruantur, vel hominum ſint Spiritus, vel Dæmoniorum: an, non diſtinguant, vt vtriſque promiſcuè poſsint reperiri, & reperiantur omnis generis Spectra.

5. Et, vt de prioribus primùm dicatur, *veriſimile admodum eſt, aut humanos eſſe, qui ijs locis verſantur, vbi aliquem mori, & ex hac vita diſcedere contigit: aut profectò ſub humana ſpecie Dæmones, illos homines, qui ijs locis vſuram huius vitæ reliquerunt, exhibere.*

6. Habet hoc quidem primùm communis omnium ſenſus: ſed maximè probant, quæ in his Spiritibus obſeruantur, *conditiones*: inprimis autem *rationes*, quæ pro humanis potius, quàm Dæmoniorum Spiritibus militant.

7. Diximus ſuperius, humanos Spiritus *forma* deprehendi *humana*: & qui his locis verſantur, non forma humana tantùm deprehenduntur; ſed eandem plerunque referunt, quæ hominum fuit qui dictis locis vitam, cum morte, commutarunt. Diximus humanos deprehendi ex gemitu & ſuſpirijs: & hi Spiritus vel gemitu & ſuſpirijs teſtantur ſuas miſerias; vel certè nullos barbaros ſonos edunt. Diximus leuitatis argumenta ab humanis eſſe aliena: apud hos Spiritus nulla ex ijs obſeruantur. Diximus grauia quandoque detrimenta à Dæmoniorum, non hominum Spiritibus afferri: quando verò auditum ab his ſpiritibus grauia damna allata eſſe?

Cùm

Cùm hæc loca, poſt mortem ſolùm infeſta ſint; ante mortem vero nequaquam; *quid eſt*, quòd poſt mortem illa à Dæmonibus infeſtari dici debeat; quę antequam mors accideret, nullas Dęmonum ſuſtinuere moleſtias? An fortè mors hoc ſecum affert; vt Dæmonibus locum patefaceat? Quis hoc credat? Annon mors; ſed perditorum hominum mores Dæmones aſſciſcunt? At non nos perditæ vitæ morientium, ſed ſolius mortis rationem habemus. An Dæmones fortè his locis, mortuos apud viuos cupiunt traducere; vt non felicium, ſed miſerorum loco habeantur? At hac ratione ipſi ſibi Dęmones erunt contrarij; propterea, quòd his apparitionibus & Spirituum moleſtijs primùm excitentur viuentium ſtudia, vt deſúnctis bene velint, & faciant; tum deinde ipſi defuncti (ſi quidem ipſorum conditio prorſus deſperata non eſt) viuentium iuuantur pietate & charitate: quæ vtraque Dæmonibus vehementer diſplicent. 8.

Omnino ad hæc loca, præ cæteris, humani Spiritus, ſi non omnes, aliqui certè redire deſiderare poſſe videntur. Cùm enim illorum quidam idcirco potiſsimum redeant, vt humanis ſubſidijs iuuentur; vbi lubentius verſari credendi ſunt, quàm vbi præſentiora ſunt remedia? Vbi verò præſentiora, quàm vbi omnium ferè opinione, humani Spiritus verſantur? vbi noſcuntur, qui oberrant? vbi defunctorum, qui bene defunctis volunt, plerunque amici? 9.

Et ita de *prioribus* locis ſit definitum. De *poſterioribus* non ſimplex danda reſponſio, quoniam loca hæc, quæ ob *crimina & peccata*, maculam quandam contraxerunt, vel habent criminum & peccatorū ſuos ſuperſtites authores; aut vita illi ſunt defuncti. Si vita functi ſunt, probabile ijs locis ipſorū Spiritus verſari, vel Dæmones: Si ſuperſtites adhuc ſunt, dubium non eſt; quin Dæmonibus, non autem humanis Spiritib⁹ infeſta ſint loca. Quatuor aſſerimus. quatuor ſunt demonſtranda. Ab vltimo incipimus. 10.

Primum *humanos viuentium Spiritus non poſſe moleſtos eſſe ijs locis, quæ ob viuētium adhuc ſcelera horrida ſunt*, extra omnem eſt cōtrouerſiam. An hi poſſunt alijs eſſe locis, quam ſua quæ fouent & ſuſtentant, ſunt corpora? Sed quia pro hoc argumēto aliâs plura dicta ſunt, hîc pluribus opus non eſt. Vide Librum noſtrum de Prodigioſis viuorum Apparit. 11.

Quod verò *ſint Dæmonum Spiritus*, quiuis hinc facilè intueri. Sed quam ſit hoc conueniens, quia non ſtatim omnes percipiunt, hîc docemus. Et principio quidem ea eſt peccatorum fœdita- 12.

tas; vt non homines tantùm ſummis miſerijs, & *D*æmonum vexationi inuoluat, verùm etiam loca, vbi ipſa perpetrantur, diuinæ irę & Dæmonum poteſtati ſubijciat. Deinde recreantur his locis Spiritus Nequam, partim quia his Deus grauiter eſt offenſus; partim, quia ijſdem ipſorum regno facta eſt acceſsio. Sed & Deus hæc loca *D*æmonum infeſtationi expoſita eſſe, poteſt videri velle; vt etiam hinc grauitatem peccatorum mortales intelligant, nouiſsima præuideant, & de ſalute ſua cogitent.

13. *Vita defunctorum ſpiritus ijſdem locis verſari, vbi grauia* crimina perpetrarunt viuentes; primùm probant exempla eorum, qui leuia peccata illis ipſis locis, vbi commiſſa ſunt, poſt mortem, dignis pœnitentiæ fructibus, expiàrunt. Deinde illi, qui ijſdem, ob grauia, puniri leguntur. Vtraque primum Caput ſuppeditat. Dei etiam bonitas atque iuſtitia hanc rem reddit admodum probabilem. Bonitas erga viuentes demonſtratur; qui miſerorum *S*pirituum exemplo poſſunt, ſi volunt, fieri meliores. Iuſtitia erga ipſos defunctorum *S*piritus; vt hi intelligant ex omnibus ijs rebus ſuppliciorum ſuorum acerbitatem creſcere, quæ ipſis quouis modo, dum peccarunt, ſeruierunt.

14. An verò *ſoli* ſunt defunctorum Spiritus; qui locis, vbi peccata perpetrata ſunt, obſeruantur? *Admodum hoc probabile: veruntamen*, vt videtur, *non neceſſarium*. Probabilitatis argumenta, in priori huius Capitis parte, data ſunt. At vt *ſoli* moleſti ſint, infeſtaque loca reddant; neceſſe non eſt; quemadmodum Theſi ſecunda, ante hanc euinci poteſt.

C A P. *XXXIIII.*

An, & quomodo ex Catholicorum hominum, & Infidelium locis, poßint colligi Spiritus, qui moleſtant, eſſe humanos, vel Diabolicos.

1. PRæter iam dictas, & perueſtigatas, locorum differentias, alia eſt, quæ ex *perſonis*, loca incolentibus, accipitur: vt ſcilicet, quædam dicantur *Catholicorum* habitacula; quædam *NonCatholicorum* ſiue *infidelium*. Nam cùm homines omnes aut fideles ſint, ſiue Catholici; aut infideles, ſiue Non Catholici; certiſq; locis commorentur; ipſa ab his incolis loca non *incongruè accipiunt* appellationem.

Infide-

Infidelium autem, ſiue Non Catholicorum, non vnius generis loca ſunt omnia. Nec mirum Non vnius generis Infideles ſunt omnes. Sunt Pagani, Sunt Iudæi, ſunt Hæretici. Et loca igitur alia Paganorum, vbi Pagani; alia Iudæorum, vbi Iudæi; alia Hæreticorum, vbi Hæretici commorantur. 2.

Omnia hæc loca diſputando percurrere poſſemus. Quidni facimus? Quia non opus. Noſtris ſumus contenti: Hæreticis, & Catholicis. Sua examinent Pagani: ſua Iudęi. Quid nobis de his, quæ foris ſunt iudicare? 3.

Poſſet forſitan videri fruſtra hæc ſuſcipi inquiſitio: quod Hæreticorum ab omni Spirituum infeſtatione liberrima dicantur; & ob id his locis Spiritus diſtingui non poſsint; ſed quia Catholicorum loca infeſta ſunt; propter hos omitti non debuit.. Quid, quod *nec Hæreticorum loca ſatis ſint libera*? Poſſemus hoc exemplis docere: verùm, quia proferri hæc nequeunt, niſi & loca Spiritibus infeſta proderemus, & homines Hæreſeos accuſaremus; omiſsis exemplis ratione agimus. 4.

Quærimus quidnam Hæreticorum locis Spiritus prohibeat? An Hæreticos Spiritus refugiunt? & refugiunt Spiritus quicunq; hominum? Dæmoniorum? Quis hæc credat? quis dicat? quis profiteatur? Quam magna conſuetudo Hæreticorum Magiſtris, cum certo quodam Spirituum genere, quorum in locorum infeſtatione eſt præcipuum ſtudium? Vide Caput vigeſimum primum Diſputationis de Dæmoniacis. 5.

Gentiles atque Iudęos pati Spirituum infeſtationes manifeſtum eſt. quid Hęreticos excipiet. qui in eadem, cum illis Infidelibus, ſunt claſſe, & damnatione? 6.

Vel ſanctitas doctrinæ, quam Hæretici profitentur, meretur, vt à Spiritibus non impeti debeant, vt quidam dicunt: vel probitas vitæ, quam agunt: vel ſingulare quoddam, quo Deus vult ipſos his exemptos, priuilegium. Quid horum? aut quid aliud? Non doctrinę ſanctitas. Impijſsima illa eſt; Chriſti, Apoſtolorum, & totius antiquitatis doctrinæ aduerſa. Non probitas vitæ. Nunquam cum impia doctrina vera vitæ probitas cōſiſtit. Non priuilegium. quia quando, quare, quibus præſentibus, vbi, quo authore hoc conceſſum ſit doceri non poteſt. Quid verò aliud? 7.

Certum ergo ſit *loca Catholicorum Spiritus infeſtantes perpeti*. Conſtitutum quoque ſit, *non immunia eſſe Hæreticorum*. Quæramus igitur, Num ex his locis Spiritus diſtinguantur. 8.

Diſtinctio verò quæritur, inter humanos Spiritus, atque Dæmonio- 9.

Digitized by Google

moniorum. Num ex iiſdem locis conditio & diſtinctio humanorum inter ſe, colligatur, poſtea erit diſcutiendum. Quid igitur? Suntne omnes, qui Catholicos perſequuntur, aut inſequuntur, Dæmoniorum Spiritus? qui Hæreticos, Spiritus humani? An contra, Omnes qui Catholicis moleſti ſunt, humani? qui Hæreticis, Dæmoniorum? An vtrique inueniuntur apud vtroſque?

10. Primùm, *Non omnes, qui Catholicos moleſtant, Dæmoniaci ſunt. ipſos etiam moleſtant Spiritus humani.* Catholici fuerunt Germanus, Epiſcopus Capuanus, cui ſe aliquoties exhibuit Spiritus Paſchaſij. Presbyter, cuius meminit Beatus Gregorius, cui fidele obſequium præſtitit Spiritus in balneis. VVormatienſium item accolæ, qui aliquamdiu ſuſtinuerunt multitudinem Spirituum, armatorum equitum & peditum. Et exemplis quid opus? poſſunt meriti eſſe Catholici; vt Spectris damnatorum hominum moleſtentur. Poſſunt ab iiſdem ſubſidia expectare, & petere animæ fidelium defunctorum; quæ ex hac vita, piè; ſed nundum ſatis purgatæ diſceſſerunt.

11. *Nec ſoli humani Spiritus Catholicis moleſti ſunt ſunt iiſdem etiam Dæmones moleſti.* Quot moleſtias à Dæmonibus ſuſtinuerunt eremi cultores? de quibus c. 26. Quot alij Sancti viri? vt præſentia prætereamus? An fortè fidei ſanctitas, quam Catholici profitentur, à Dæmonum inſidijs reddit immunes? Non reddit? Maioribus ſæpe inſultibus ſuos exponit. An vitæ probitas? hæc ſæpe apud Catholicos deſideratur: deinde ſi quando adeſt, ſtudium nocendi Dæmonum excitat. An ſigna ſacra, quæ in Chriſtianorum ſunt animis? Hæc non deſunt Hæreticis; non deſunt damnatis.

12. Deniq; *Nec omnes, qui Hæreticos infeſtant, aut Dæmonum ſunt Spiritus, aut humani: ſed nunc Dæmonum, nunc humani.* Oſtendimus, principio huius Capitis, à Spirituum infeſtationibus immunes non eſſe Hæreticos: quod verò *nunc* ipſis infeſti ſint Dæmoniorum Spiritus, illæ ipſæ rationes confirmant, quibus ibidem vſi ſumus: *nunc* verò hominum damnatorum perſuadet ſocietas; idemque nocendi ſtudium cum Dæmonibus, & his ſimilia.

Libet pro vtroque exemplú adſcribere ex Cæſare Baronio, Tom. 6. circa annum Domini 513. Et quod Hæreticum damnati hominis Spiritus terruerit, atque moleſtârit, docet exemplo Iſidori, ſectatoris Serueti, autoris hæreſis, quæ Acephalorum dicta eſt. huic is, qui coram pontifice Caypha. Domino alapam Impegit apparuit, atque eundem, vt ſceleris, ita ſuppliciorum ſocium futurum ſignificauit. (Vide. Cap. 38. Theſin 8.)

Quod

Digitized by Google

Quod verò nec à Dæmonibus ſint tuti, docet per Ducem quendam Palęſtinum, qui & ipſus Seuerianus. Hic cum Dominicum monumentum pietatis ſtudio intrare vellet, aliquoties ab ariete (*Dæmonis erat in forma arietis*) repulſus eſt: nec poſt cõfeſsionem quidem peccatorum, quibus ſe ab ingreſſu prohiberi exiſtimabat, permiſſus eſt introire. Tum demum admiſſus eſt, ceſſauitq́; cornu petaries, vbi abiurata hæreſi communione catholica ſe teſtatus eſt eſſe Catholicum. Hæc Baronius. Prius ex 36. Ca. Prati Spiritualis. poſterius ex Cap. 79. eiuſdem Prati.

Maneat igitur vtroſque, & Catholicos, & Hæreticos, Spirituum 13.
moleſtijs eſſe expoſitos. Maneat vtroſque, & ab hominum, & à Dęmoniorum Spiritibus moleſtias pati. Inferamus ex vtroq; *loca Hæretica atq; Catholica Spiritus humanos à Dæmonibus non diſtinguere.*

CAP. XXXV.

An, & ex quibus temporibus humani & Dæmonum Spiritus diſtinguantur, illi, qui rebus viuentium quandoq; interſunt,

TRia ferè ſunt in *tempore*, ex quibus, ſi quæ eſt, diſtinctio 1.
inter humanos & Diabolicos Spiritus ſumi debet; *ſubſtãtia, quantitas, qualitas*. Subſtantia temporis die & nocte continetur. Quantitas in diuturnitate & breuitate cernitur. Qualitas in ſacris: & profanis diebus.

Omnium harum differentiarum rationem habendam eſſe, in cognoſcen- 2.
dis Spiritibus, inde videtur certum; quod ipſarum rationem etiam Spiritus habeant. De diebus & noctibus aliás dictũ eſt. Aliquos etiam non diu eſſe moleſtos, docet experientia: alij contra ſunt, qui diuturnitate moleſtiarum etiam ſuos dominos proprijs ſedibus & domibus pellunt. Præterea, quia tempora apud Chriſtianos vel ſacra ſunt, vel profana; hoc ipſo clarum eſt. his vel i[illegible] temporibus Spiritus eſſe moleſtos, quo clarum eſt eſſe moleſtos.

Quid autem Subſtantia, Quantitas, & Qualitas temporis, diſtin- 3.
guuntne humanos Spiritus à *Dæmonibus*: Nos, quia triplices temporum differentias diſtinximus, *tribus* Aſſertionibus, quantum conſequi coniectura licet. quod res eſſe videtur, concludimus.

Prima eſto. *Noctes & dies humanos atq; Dæmoniorum Spiritus non di-* 4.
ſtinguunt. Non neceſſe eſt, illos Spiritus. Dæmoniorum dicamus, qui noctibus ſunt moleſti: illos hominum, qui interdiu. Noctibus ſunt moleſti Dæmonum, & hominum Spiritus diebus, & clara luce, ſunt moleſti Dæmonum & hominum Spiritus.

Quodi

5. Quod dicimus clarum eſt exemplis, omnis generis Spirituum. Nec aſſertioni contradicit ratio. Quemadmodum non ad locum; ita non ad *tempus* aſtricti ſunt Spiritus. Vtraque extra ipſos ſunt: vtraq; ipſos non attingunt. Nec luce diei indigent, vt videant, quo vadant: nec caligine noctis iuuantur, quò operationes valeant exercere.

6. Sunt hęc certa. *Lucis tamen amantiores ſunt; & per ſe appetentiores humani ſpiritus;* ſi non omnes, certè purgandi: *tenebrarum & noctis Dæmoniaci.* Quid mirum? *qui malè agunt odiunt lucem* Domini ſententia eſt, Ioan. 3. Et ſi econtrariò licet argumentari. Cùm malè non agant purgandi Spiritus; non oderint lucem: In luce igitur verſabũtur: quemadmodum & verſati ſunt in balneis illi, quorum meminit B. Gregorius, & nos 1. Cap.

7. Eſt aliud pro hac re argumentum, quòd Regius Propheta ſignificet eum, *Qui habitat in adiutorio altiſsimi*, non habere ſibi timere etiã *à Dæmonio meridiano.* quo inſinuat Dæmones pleroſque noctibus eſſe moleſtos, & quaſi lucem ſolis vereri; quoſdam tamen admodum audaces; qui, quam cæteri, lucem non refugiunt, & interdiu etiam homines adoriuntur. Ita locum Prophetæ exponunt Thalmudici, R. Salomon, & Chaldæus cum noſtris, inquit. Genebrardus in Pſalmos.

8. Secunda Aſſertio. *Neq; diuturnitas moleſtiarum, quæ à Spiritibus affertur; neque breuitas, certorum Spirituum certum & indubitatum eſt argumentum.* Si eſt, quæſo quantæ? quorum? Diutiſsimè moleſti fuerunt Spiritus Dæmoniorum, in fodinis metallicis, quorum primo Capite meminimus. & ad centum & plures annos moleſta fuit vetula, in arce Tarellorum Parmenſium. Quid verò? qui longo tempore moleſti eſſe potuerunt; non poterunt breui? breuior? breuiſsimo?

9. Nihilominus, ſi diuturniores fuerint moleſtiæ, & hominum aliquot ætates duperent; *admodum eſt verì ſimile, earum authores eſſe Dæmones; raro defunctorum hominum, maximè damnatorum.* Illius rationem dixerim ex hoc colligi, quod ipſis propoſitus eſt vnus; vt ſemper noceant, quibuſcunque etiam mortalibus: huius, quod ea lege ad viuos redire permittantur hi damnati; vt iuſtitiæ diuinæ, ſua miſeria, dent teſtimonium: quod non ita commodè præſtant, niſi eorum ſe aſpectibus, quibus noti ſunt, obijciant; vt idcirco credi poſsit, non diutius ipſos moleſtare, quàm horum ætas permittat.

10. Tertia Aſſertio ſit. *Nec ſacra, nec profana tempora ſibi, tanquam propria, vſurpare Spiritus Dæmoniorum.* Nam & ſacris poſſunt adeſſe huma-

humani, & profanis. Affectant Dæmones ſacra, vt profanent: affectant eadem humani Spiritus, (purgandi) vt facilius viuentium auxilijs iuuentur. Quærunt illi profana, tanquam ſibi magis conuenientia: eadem ſatis humanis (purgandis) conuenientia ſunt, ſi ſubſidium præſtent.

Non eadem ratio temporum, & locorum eſt; vt quemadmodum *per ſe* ſacra loca fugiunt Dæmones; ita ſacra fugiant tempora. 11.
Alia longè eſt conditio locorum conſecratorum; alia temporum. Sunt loca ſacra conſecratione ſummorum Pontificum: & Eccleſiæ ſacris orationibus, illa Dæmonibus interdicuntur. Sunt tempora ſacra; veruntamen nulla conſecratione; nullis exorciſmis: ſola Dei atque hominum voluntate.

Forrè tamen, quia non ſolùm res ſacras; ſed & ſigna rerum ſacrarum Dæmones deteſtantur; & quicquid demum *ſacrum* redolet; ſacris temporibus, tanquam non ſuis; ſed profanis, tanquam magis conuenientibus, inſolentiores & moleſtiores erunt: & niſi aliunde moleſtandi occaſiones habeant, ſacris ſe continebunt, minusq́; moleſti erunt. Sed vt hoc cum ratione dicitur: ita cum ratione poteſt negari. 12.

Quid porrò ex dictis omnibus? *Ex differentia temporum, vel nullum certum iudicium ſumi pro Dæmoniorum Spiritibus, vel admodum infirmum.* 13.
Hoc tamen examen prætereundum nobis non erat. Quod per ſe infirmum eſt, id cum firmioribus iudicijs coniunctum, robur & vires accipit, magisq́ue perſuadet.

CAP. XXXVI.

An ex conditione illorum Spirituum, qui, præ cæteris, certos quoſdam homines perſequuntur, iudicium de Spiritibus poſsit accipi, quòd vel humani ſint, vel Dæmonum.

DVbium non eſt *quoſdam eſſe Spiritus, qui certis hominibus, præ cæteris ſint moleſtiores.* Illa ipſa loca, quæ *ratione hominum* Spiritibus infeſta eſſe diximus, nobis in hac cauſa ſuffragantur. Sed quia de hoc aliâs, hîc non plura. An Spiritus hi Dæmones tantùm ſunt? an aliquando Spiritus hominum? An ſemper hominum? nunquam Dæmonum? 1.

Moleſtiarum, quæ ab his afferuntur: malorum item, quæ in- 2.

fligunt,

fligunt, hîc rationem non habemus. Illa alijs diſcuſſa ſunt locis; & quid ad Spirituum diſcretionem faciant, demonſtratum. Solorum Spirituum habetur ratio. Quæritur, *an qui viuentes certos inſequuntur* (ſiue graues multum ſint, ſiue non ſint, parum huius intereſt) *Dæmones ſint, vel humani Spiritus.*

3. Et aliquando hominum eſſe Spiritus, qui has moleſtias afferunt, videtur eſſe extra controuerſiam. Probant hoc ſuo exemplo Spiritus matris Neronis: Spiritus virginis Byzantinæ Cleonicę; Spiritus Imperatoris Galbæ; vt alios quam plurimos omittam, quorum ſ. ca, & alijs facta eſt mentio.

4. Exemplis his facilius creditur; quod ratio, quæ hanc rem impoſſibilem eſſe doceat, nulla ſit: graues autem ſint *cauſſæ*; quæ, vt quandoque fiat, egregiè probent.

5. Qui pluribus aliquando moleſti ſunt Spiritus, an non vnum aliquem inſequi poſſunt? Niſi fortè ijs legibus, *diuinitus* ſtrictos eſſe dicere velimus Spiritus, vt & vno tantùm loco viuentibus adſint, moleſtique ſint; & præterea nunquam moleſtare valeant, niſi pluribus moleſtias afferant: quæ quis dixerit? dicenti quis crediderit?

6. Conueniens quoque eſt, & iuſtum, vt humani Spiritus moleſti ſint, & homines moleſtijs inſequantur. Purgandi enim, ſi ab his nulla, ab illis multa exſpectant ſolatia; an non hos inſequentur, illos deſerent? Damnati, cùm malè ijs velint, qui ipſorum malorum fuerunt authores, & promotores, cur eoſdem moleſtijs perſequi non valebunt?

7. Veruntamen *Dæmonum Spiritus, vt plurimum eſſe crediderim, qui homines inſequuntur*. Cauſa præcipua huius eſt, quod quicunque inſequantur, ijdem ferè perſequantur: perſecutio verò, quamuis ab alijs eſſe poſſit Spiritibus, non tamen ſemper tanta, quanta plerunque affertur, eſſe poteſt: & vt poſſit, tamen non ad humanos; ſed Dęmoniacos propriè Spiritus pertinet: quemadmodum Capite 29. dictum eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXVII.

An ex conditione eorum, qui perſequentes Spiritus patiuntur, poſsit colligi, humani ne ſint Spiritus, qui moleſti ſunt, vel Dæmoniorum.

VNum hîc ſupponimus: alterum eſt explicandum: tertium definiendum. Supponimus quoſdam viuentium pati, *præ cæteris hominibus*, infeſtantes Spiritus. Explicandum quid per *conditionem* hominum intelligamus. Definiendum, an ex conditione hominum, *qui moleſtias Spirituum ſuſtinent*, poſsit coniectura fieri, vtrum humani ſint, vel Dæmoniorum Spiritus, qui moleſtant. 1.

Primùm illud ſupponimus. & ob id pluribus perſequendum non eſt. Exemplis abundamus. aliâs quoque idem demonſtratum eſt hoc iuſtiſsimis de cauſis fieri. Vide huius Diſputationis Capita, 15. & 17. &c. 2.

Conditionem viuentium, intelligimus ſtatum vitæ, in quo ipſi degunt & verſantur: veruntamen non quemcunque; ſed qui cum improba vel honeſta vita coniungitur: ita videlicet, vt mortales duplicis conditionis dicere poſsimus; alios, qui ſobriè, piè, & iuſtè vitam viuunt Chriſtianã: alios, qui in grauibus volutantur peccatis, & pro perditæ ſalutis habentur hominibus. 3.

Quæſtio igitur eſt, An ex his ordinibus, ſi infeſtantes Spiritus pati hos contigerit, deprehendatur; *Sitne humanus, qui perſequitur, Spiritus; an Diabolicus.* Et forſitan, mox quis ſuſpicabitur, malos non niſi à malis; bonis non niſi à bonis infeſtari: ſed tamen rem exactius conſideranti aliud videbitur dicendum. Nec malè. 4.

Extra omnem controuerſiam eſt, *ex probis & bonis hominibus certum iudicium peti non poſſe*. Quid ita? Quia neque omnes, qui probos homines perſequuntur, humani ſunt Spiritus: neque omnes Spiritus Dæmoniorum. 5.

Quàm integris moribus fuit ſanctiſsimus Iob? quanta eius in ſacris litteris commendatio? Dicitur *vir ſimplex, & rectus, & timens Deũ, & recedens à malo*: dicitur *non ſimilis ei in terra*: & tamen grauiſsimas à Spiritibus moleſtias ſuſtinuit. An à bonis, & humanis tantùm, homo bonus & humaniſsimus? Impijſsimus Satan fuit, qui virum ſanctiſsimum afflixit. 6.

Digitized by Google

7. Sic de integritate vitæ Germani Capuani Epiſcopi dubitare non poſſumus. Dat ipſi B. Gregorius teſtimonium inſigne probitatis. & hic Spiritus expertus eſt, quamuis non ita moleſtos. An bonus vir malos Dæmoniorum? Nequaquam: ſed bonus bonos defunctorum hominum.

8. Et quid eſt, quæſo, cur probi homines aut perſequentes Dæmones pati dici non debeant; aut moleſtantes Spiritus humanos? An Dæmonum Spiritus ipſis malè vellè non poſſunt? aut hominum ipſorum opera nequeunt iuuari? Poſſunt hi (purgandos intelligo) ſi aliquorum; horum certè opera iuuari. Poſſunt illi malè ipſis velle; illi inquam iratiſsimi bonorum omnium hoſtes & inimici.

9. Ex bonis igitur diſtinctio peti non debet. *An debet ex malis?* Debet magna: ſi non abſoluta & omnimoda. Dubium vix eſſe poteſt, *ſolos eſſe malos, qui malos ſequuntur, inſequuntur, & perſequuntur, Spiritus: probabile admodum, ex malis, Dæmoniorum ferè eſſe, non hominum.*

10. *Bonos purgandorum Spiritus malis, & deſperatæ ſalutis hominibus moleſtos eſſe negamus.* Quam ob rem eſſent? Aliorum ſalutis curam crederent habere, qui omnem propriæ depoſuerunt? ſed & hi vel non credunt Spiritus defunctorum viuentium ſubſidijs iuuari: aut, ſi credunt, iuuare nolunt: & ſi vellent, parum eorum ſæpe ſubſidia, tanquam Dei hoſtium, apud altiſsimum Deum poſſent.

11. *Malos Spiritus malos homines ſequi, inſequi, perſequi, quid mirum?* Sequuntur, vt ſocij: inſequuntur, vt promotores. perſequuntur, vt tortores & carnifices.

12. Gaudent malorum ſocietate mali Spiritus, facit hoc ſimilitudo morum, & ſtudiorum. Etiam *omne animal*, inquit quidam, *diligit ſibi ſimile.* Qui verò omnes percupiunt à Deo eſſe alieniſsimos; poſſintné eorum ſocietatem faſtidire, non expetere; qui vltrò ſuis prauis ſtudijs, ſe à Deo auertunt? ad Dæmonum caſtra confugiunt?

13. Promouent & impiorum ſtudia impij Spiritus. Non ſatis ipſis eſt mortales eſſe miſeros; miſeros cupiunt eſſe miſeriores: miſerrimos. Quid ſi igitur his moleſtijs miſeriores reddere poſſunt? an ſibi deerunt? Fortè nequeunt his moleſtijs miſeriores reddi? At poſſe, haud obſcurè, quæ Capite 13. dicta ſunt, inſinuant.

14. Sed & tortores his moleſtijs mali Spiritus ſe oſtendunt. Hoc quidem ipſi affectant: ſed magno cum conſilio, Deus Optimus nunc permittit, nunc præcipit. Quorundã tam inſignis eſt impro-

probitas atq; malitia; vt etiam in hac vita debeat vindicari. quod melius, quàm perſecutionibus, quas mali Spiritus perditis his hominibus afferunt, demonſtrari non poteſt.

Mali igitur Spiritus malis hominibus moleſti ſunt. An verò ma- 15.
li quicunque? an tantùm Dæmoniorum? an etiam damnatorum hominum? *Et Dæmonum, & damnatorum.* De Dæmonibus res clara eſt. Pro damnatorum hominum, ſunt Spiritus Byſantinæ Virginis: matris Neronis Imperatoris;& Imperatoris Galbæ: alios tanquam ex ſuperioribus notos omitto.

Veruntamen quia mali malos Spiritus potiſsimum patiuntur in 16.
vltionem ſcelerum, peccatorum, & perditæ, quæ agitur, vitæ; vt plurimum (ſi non ſemper) *exiſtimauerim eſſe Dæmoniorum Spiritus; qui moleſti ſunt;* vt qui hîc officium exequuntur, quod ſicuti ab humanis alienum eſt, ita ipſis, quaſi proprium, tribui poteſt.

Quòd ſi forma humana Spiritus hi quandoque conſpiciuntur, 17.
& illa etiam, quæ certorum hominum eſſe cognoſcitur, quemadmodum fuit Byzantinæ Virginis, atque matris Neronis Imperatoris, illam ego ſimulatam dicerem, & non à Spiritibus defunctorum hominum circumferri: ſed ab ipſis Dæmonibus, qui & illius ſint authores, & ſub illa ipſos Spiritus defunctorum, veluti in quadam imagine, oſtentent.

Digitized by Google

NOTATIO IN SEQVENTIA Capita.

De rationibus & notis, quibus diſtinguuntur, & cognoſcuntur Spiritus humani, qui loca infeſtare ſolent.

1\. *VNde* humanorum Spirituum à Dæmonibus *diſtinctio petenda ſit, quantum ratione & coniectura conſequi potuimus, diximus: Nunc qua ratione humani (ſunt enim duplicis conditionis) diſtinguantur, inquiramus. Nam & hos internoſcere neceſſe eſt eum, qui feliciter in liberandis, à Spirituum infeſtatione, locis verſari velit: propterea quod non iiſdem rationibus cum purgandis & damnatis agendum eſt.*

2\. *In horum autem diſcrimine inueſtigando idem, qui ſuperius, ſeruandus eſt ordo: vt & formas, quibus apparent: & orationes, quas formant: & mala, quæ afferunt: & officia, quæ exercent, & locorum qualitates, atque his ſimilia ſcrutemur diligenter: & quid hos vel illos Spiritus, purgandos inquam, vel damnatos prodat, notemus. Res quemadmodum difficultatem habet non paruam, ita non caret ſua vtilitate & voluptate. Sequentia facilius intelligentur, ſi ſingula cum præcedentibus iam explicatis rationibus conferantur. Sed ad rem.* A forma *principium inſtituimus.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXVIII.

An, & quæ forma humanos inter Spiritus, hoc eſt, purgandos à damnatis diſtinguat.

NOn omnes formæ Spirituum, ſub quibus conſpiciuntur, 1.
hoc loco nobis diſcutiédæ ſunt, quoniam non inter quoſ-
cunque Spiritus, qui ſe viuentium oculis offerunt, diſcri-
men inquirimus. Solum inſpicienda eſt illa, quam huma-
norum Spirituum *propriam* diximus, Capite vigeſimo ſexto; & Vtrũ,
in *ipſa*, aliqua diſtinctio ſit, qua humani Spiritus differant, & cognoſ-
cantur, inquirendum: propterea, quòd qua ratione *ſolùm humani* in-
ter ſe diſcriminentur, hoc loco quæramus.

Vnam autem *formam humanam* diximus, quæ humanos Spiritus 2.
prodat: illam videlicet, quæ ita humana eſt, vt peregrinum, & ab hu-
mana alienum habeat nihil; nullaque ratione, vel modo ab humana
degeneret. Hęc enim, vt humanos Spiritus prodit; ita vtriſque com-
munis eſt; & ijs qui perpetuis inferni cruciatibus addicti ſunt, & qui
alicubi, ob peccatorum ſuorum demerita purgantur.

Sed tamen non ita *vna* eſt *hæc forma*, quin diſcrimina & differenti- 3.
as multas admittat. Quemadmodum enim vna eſt omnium homi-
num, qui viuunt formã; & quędam in hac ſunt, quę diſtinguunt virũ
à fœmina; ſenem à iuuene; Iudęum à Chriſtiano; ægrum à ſano; ita in
vna, ſub qua humani Spiritus latent, forma; quæ hos ab illis diſtin-
guunt, poſſunt eſſe diſcrimina.

Quintuplicia autem hæc diſcrimina putauerim. Vnum à *quantitate* 4.
petitur: alterum à *qualitate*: reliqua tria ex *mentis affectu*, cuius eſſe vi-
dentur indicia. Primo differunt parui & magni: altero albi & nigri:
tertio læti & triſtes; graues & leues; truces & amabiles: Hęc diſcrimi-
na vni eidemq; formæ humanæ poſſunt accidere. An verò omnia
Spiritus diſcriminant? Id definiamus.

Quæ à quantitate differentia ſumitur, Spiritus non diſtinguit. Nec parui- 5.
tas damnatorum tantùm Spirituum index eſt; & magnitudo purgã-
dorum: Nec contra, magnitudo damnatorum; paruitas purgando-
rum. Poſſunt ſub forma parua eſſe damnatorum, & purgãdorum: ij-
dem quoque poſſunt eſſe ſub forma magna.

Quinimò, quandò in quantitate exceſſus eſt nimius, vel nimius 6.
defectus; non hominum, ſed Dęmonum latere Spiritus, aliâs docui-
mus.

Digitized by Google

mus. Nec malè. Quoniam cùm idcirco rebus viuentium interſint humani Spiritus, vt cognoſcantur; apparere ea forma credi debent, quam ipſi dum corpora vegetârunt, habuerunt: quod non niſi ex hac cognoſci queant.

7. Qui viui procero corpore fuerunt; ſub magna, mortui, dum conſpiciuntur, apparent figura: qui paruo; ſub forma nani. At poſſunt feliciter mori, & ob id non damnari, illi: poſſunt quoque hi. Similiter, poſſunt illi cum præſentis vitæ morte, mortem incurrere æternam: poſſunt quoque hi nani. Magnitudo igitur, ſiue paruitas, etſi humanos Spiritus diſtinguat quandoque à Dæmonibus; non tamen humanos inter ſe diſtinguit.

8. *Diſsimilitudo qualitatis in forma, plurimum valet ad* diiudicandos Spiritus humanos. Pro purgandis, niſi nox candorem vultus obnubilet, magnum argumentum eſt color albicans; ſiue natiuus, quem viui habuerunt: pro damnatis militat niger, clara præſertim in luce: Non idcirco ſolùm, quia communis id hominum habet ſenſus; verùm etiam, quia vt niger damnatis Dæmonibusque conuenit; & ſub hoc frequenter damnati conſpecti ſunt: ita albicans conuenit bonis, beatiſque; & ſub hoc conſpecti, qui purgatorios ignes ſuſtinuerunt.

Seruit hîc exemplum Iſidori, quod ex Euirato in Prato Spirituali, Capite 39. refert Cæſar Baronius Tom. 6. fol. 625. circa annum Domini 5 3. Iſidorus hic genere Meliticienſis, Monachus fuit Monaſterij Philoxemes, in emporio Cypri Dade dicto: & cùm Seueriani dogmatis aliquando fuiſſet aſſertor, vxori Catholicæ, quæ clam ipſo communicauerat, ſacram communionem per vim indignabundus, gutture iuſdem præmens, extorſit, indigneque tractauit. Sed ſtatim coruſcationem hoſtia ſacra diffundente peccatum ſuum agnouit: poſt biduum verò, paratum ſibi ſupplicium intellexit per Spiritum hominis damnati talem, qualem iam deſcripſimus. Rem refero ipſius verbis: Poſt biduum, inquit Iſidorus, aſpicio virum, quaſi Aethiopem, ſemicintijs veſtitum, dicentemque mihi: Ego & tu ſimul in vnum ſupplicium condemnati ſumus. Et ego ad eum: Tu, inquam, quis es? Reſpondit: ego ſum, qui conditorem Dominum omnium, Ieſum Chriſtum, in maxilla percuſsi paſſionis tempore. Hæc ibi.

9. *Triſtis, lætaq; forma vtriſque Spiritibus communis eſt.* quamuis enim damnati, iuſtiorem triſtitiæ cauſam habeant, & triſtem vultum formandi; non tamen ſua carent triſtitia purgandi; ob graues quos ipſi

uos ipſi,quocunque etiam loco agant,ſuſtinent dolores.& cruciaus.Nullum igitur hinc iudicium de Spritibus ſumi poteſt.

Trux vultus omnino conuenit damnatis: amabilis purgandis. Sed an ille damnatis tantùm;& non etiam purgandis:hic purgandis tantùm; & non etiam damnatis? Quamuis hîc iudicium præcipitare temerariũ ſit:propterea,quòd etiam beati ſpiritus cæleſtium mentium,truces quandoque vultus formarint, & Dæmones formarint amabiles & Angelicos: facilè tamen mihi paterer perſuaderi *ſolis* damnatis truces;*ſolis* purgandis amabiles,aut certè non truces conuenire;propterea,quòd cur truces purgandi;cur amabiles damnati ſimulent, cauſas non habeant. 10.

Grauitas & leuitas,quam exterior forma quandoque ſecum affert,Spiritus humanos non diſtinguit. Sed tamen ſtatus & conditio Spirituum purgandorum potius grauitatem poſtulat, quàm leuitatem; quam etſi præ ſe ferre poſsint damnati;vt tamen prę ſe ferant,nulla cogit neceſsitas. 11.

CAP. XXXIX.

An, & qui ſtrepitus, atque gemitus prodant humanorum Spirituum conditionem & ſtatum.

1. CApite vigeſimo ſeptimo ex ijs,quę à Spiritibus fiunt,& hominum auribus percipiuntur, hoc propemodùm ſolo diſtinximus humanos à Dęmoniorum Spiritibus;quòd ſuſpiria, gemitus,fletus, lachrymationes,ſi nõ ſẽper: *per ſæpè* humanos Spiritus prodant. *An verò hæc humanis vtriſq; tam purgandis,quàm damnatis, communia? an his,aut illis propria?*

2. Purgandis eſſe propria fortè quis inde conieceri t;quòd opis & ſubſidiorum videantur,quædam eſſe imploratio; quorum ſoli purgandi Spiritus participes eſſe poſſunt. Verùm ad damnatos quoque pertinere inſinuat primùm(vt alios omittam)Chriſti oratio,qui in infero docet futurum *fletum,atq; ſtridorem dentium.* Tum deinde probat Spiritus Galbæ Imperatoris, vtique damnati hominis:cuius ingẽtes gemitus aliquoties cum maxima ſua moleſtia,obſeruauit Imperator Otto,Tertiò confirmant illi Spiritus,qui eiulatu & ſtridulo vocis ſono,domum compleuerunt,quam Romæ inhabitauit Alexander ab Alexandro.

3. Interim tamen quamuis vtriſque gemitus, eiulatus, atque ſuſpiria ſint communia: *purgandorum tamen hominum propria quis non*

Digitized by Google

malè dixerit illa, quæ ſine vlla impatientiæ ſignificatione eduntur; & nihil quod apertè damnatorum Spiritus prodat, continent.

4. Suſpiria ducant damnatorum Spiritus, lachrymentur, fleant, eiulent: *duo* ferè ſemper ſunt, quorum aut alterum, aut vtrumque ipſos prodit; impatientia ſcilicet, quam ipſe gemitus atque eiulatus ſecum affert; vel aliud quid, quod purgandis Spiritibus tribui nequit.

5. *Patientiam* in luctu, ſuſpirijs, atque lachrymis, magnum præbere argumẽtum, pro purgandis Spiritibus, inde clarum eſt; quòd quamuis grauiſsimos cruciatus ſuſtineant; non tamen impatientes fiant; nec vlla impatientiæ dent ſigna: perfecti iam in charitate. Contrà, damnatorũ Spiritus, quemadmodum impatientiſsimè ferunt, quæcunque ſuſtinent ſupplicia; ita impatientiæ ſuæ non rarò dant teſtimonia clariſsima.

6. Nouum verò quod de purgandorum patientia diximus, videri non debet, quia cognoſcunt & iuſtiſsimas eſſe, quas perſoluunt pœnas: & à clementiſsimo parente ipſis, tãquam chariſsimis filijs, infligi: & finem breui habituras: & in ſummum, æternumque gaudium eſſe conuertendas.

7. Impatientiæ porrò patientiſsimi cur darent ſigna? & mortalibus darent, quorum ipſi, lachrymis atq; ſuſpirijs, opem implorant? ſufficit ipſis, ſi miſeriam ſuam explicent: hîc multis impatientiæ argumentis indigent.

8. Nec ob id impatientes habendi ſunt, quòd à pœnis liberari deſiderent: vt ineptè quidam argumentantur. An etiam Chriſtum impatientiæ accuſabimus, dum à ſe petijt transferri paſsionis *calicem*?

9. Sic de *impatientia* damnatorum certa res eſt. Non volunt agnoſcere iuſta eſſe ſua, quę, pro peccatis, patiũtur ſupplicia. Et, quamuis iuſta agnoſcerent, odio tamen haberent implacabili, tum Dæmones, qui ſupplicia infligunt, tum Deum, pro cuius voluntate atque imperio infligunt. Et ſi hæc non eſſent, vel id eos impatientes redderet, quòd nec fructum ſuorum ſuppliciorum vllum ſperent; nec ipſorũ vllum in omnem æternitatem expectent finem. Qui verò tot de cauſis impatientes ſunt; impatientiam ſuam poſſunt diſsimulare? ſimulare patientiam?

10. Hinc eſt, quòd quicunque obſeruati ſunt Spiritus purgandi, non modò nulla impatientiæ; ſed multa quoque dederint patientiæ ſigna, quemadmodum inter alios illi probãt: quorum, meminit B. Gregorius. Contrà, illi; qui damnati fuerunt, cum eiulatu & ſuſpirijs coniunxe-

Digitized by Google

iunxerint clamores, rugitus, aliaque impatientiæ, haud leuia, argumenta.

CAP. XL.

An, & quæ oratio humanos inter ſe Spiritus purgandos, inquam, à damnatis diſtinguat.

DIximus Capite vigeſimo octauo, *Orationis* multas eſſe ſpecies, ſed quæ humanorum Spirituum ſit propria, vnam eſſe, *boni petitoriam*. Nunc vtrum in hac aliquid ſit, quod humanos inter ſe differre faciat; & purgandos, vel damnatos prodat, inquirimus. 1.

Eſſe, quidem negare poſſent: ſed tamen qui penitus orationem petitoriam inſpexerit; & quas conditiones habere poſsit, attenderit; non malè dixerit, *aliquam inueniri, quæ purgandos Spiritus prodat*. Illa eſt quæ & boni proprij eſt petitoria, & peccati ſordibus inquinata non eſt. 2.

Bene hæc dici, clarum erit, ſi *duo* demonſtrauerimus. Alterum eſt, *purgandorum Spirituum orationem eſſe proprij boni petitoriam*; *damnatorum non item*. Alterum, *purgandos peccare non poſſe*; *damnatos non poſſe non peccare*. His duobus fundamentis Aſſertio noſtra incumbit. 3.

Primum conditio Spirituum, qui apparent, confirmat. Propoſitum eſt purgandis, vt viuentium auxilia, & ſubſidia obtineant, eorum ſuffragijs iuuentur. Quòd ſi igitur aliquid, hoc præcipuè oratione ſua quærent. At damnatorum alia conditio. Sciunt miſeri nihil ſe ſubſidij à viuentibus obtinere poſſe; nullam habere ſpem remiſsionis pœnarum, quas ſuſtinent; Cur igitur ſeriò viuẽtium operam implorare dicendi ſunt. 4.

Alterum omnium propemodum Theologorum habet ſententia. Docent illi fieri non poſſe, vt purgandi Spiritus peccatum aliquod committant. Docent damnatos non poſſe non peccare. An fortè errant omnes? 5.

Scimus Lutheri eſſe aſſertionem, quod qui in purgatorio degunt, peccent continuò. Sed apud nos plus omnium, quàm vnius Lutheri valet authoritas. Si continuò peccant purgandi; quis tandem purgatorij finis? Neque enim vnquam plagarum modus & finis erit; ſi nullus ſit finis & modus delictorum. 6.

Quomodo peccare dicendi ſunt, quibus facultas nulla eſt; vt 7.

Digitized by Google

quicquam, quod ad gloriam, aut vitam æternam illis proſit, faciant? An fortè etiam in illa vita *mereri* contingit? Præſens vita ſementis eſt, non futura. *Cùm nox venerit*, inquit Dominus, *nemo poterit operari*, Ioan 9. *Quæ ſeminauerit homo* (hac in vita, vbi ſementis tempus) *hæc metet*, Galat. 6. *Non poterimus villicare*, vbi ſemel in fine vitæ *villicationis ratio* fuerit reddita; Lucæ 16. Sed & ad bonorum operum exercitium ita nos hortatur Sapiens, Eccleſiaſtici 14. vt ſignificet in futura vita illa locum non habere. *Ante obitum tuum*, inquit, *operare iuſtitiam: quia non eſt apud inferos inuenire cibum*; & alibi Eccleſiaſtæ 9. *Quodcunq; poteſt agere manus tua, inſtanter operare: quia nec opes, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia eſt apud inferos, quò tu properas.*

8. B. Cyprianus, Sanctiſsimus Martyr, Sermone 4. qui eſt de Mortalitate, etiam hanc ob cauſam dicit prodeſſe mortem, quòd *à peccandi periculo liberat*; cui, quamdiu in hoc præſentis vitæ ſpacio decurrimus, expoſiti ſumus. Non diſplicet ſententia Martyris Magno Auguſtino. Eandem his verbis refert, Libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. *His*, inquit, *atque huiuſmodi, Doctor ille, ſententijs in Catholicæ fidei luce clariſsima, ſatis aperteque teſtatur, vſque ad huius corporis depoſitionem peccandi pericula, tentationeſque metuendas: deinceps nulla talia quemque eſſe paſſurum. quod etſi non teſtaretur; quando de hac re Chriſtianus, qualiſcunque, dubitaret?* Ita Auguſtinus.

9. Cæterùm, vt purgandi peccare non poſſunt: ita non poſſunt non peccare damnati: Hoc quamuis non ita, vt prius illud, extra omnem controuerſiam videatur; verò tamen eſt magis ſimile, ob odiũ, quo acerbiſsimo Deum perſequuntur: & authores inſignes, qui hãc ſententiam defendunt. Inter quos haud poſtremus eſt Dominicus Soto, in 4. diſt. 50. q. 1. ar. 4. & 5.

10. Fortè & hoc inſinuat Regius Propheta, dum Pſal. 73. *ſuperbiam eorum, qui Deum oderunt*, docet *aſcendere* ſemper. Qui enim Deum magis odio habent damnatis? Si verò ſuperbia eorum *ſemper* aſcendit; quomodo non peccãt *ſemper*? Semper benè faciunt, qui ſunt in cœlo; beati: Semper malè facient, qui ſunt in inferno, damnati. Non volent illi quicquam mali facere; quod Deum offendat: quia Deum amant. Non volunt hi quicquam boni facere, quod quouis modo Deo placeat: quia Dei capitales, & iurati ſunt hoſtes. Vide pro hac re, Tom. 2. Ludouici Molinæ, in 1. partem D. Thomæ, circa art. 2. quæſt. 64.

11. Hæc cùm ita ſint; cùm purgandos deprecatoria deceat oratio; damnatos non item; Rurſus, cùm non poſsint peccare purgandi Spiri-

Digitized by Google

Spiritus, & non poſsint non peccare damnati; omnino neceſſe eſt,
vt ſi quam orationem edant Spiritus, quæ & boni contineat pre-
cationem; & nulla peccati labe ſit reſperſa; *purgandos Spiritus, non au-
tem damnatos, eandem demonſtrare.*

Interim tamen *admodum difficile eſt iudicium hoc, quod ex oratione ſu-* 12.
mitur. difficilimũ eſt ex hac Spiritus humani conditionem colligere.
Quare? quia difficillimum eſt, vtrum peccati labe oratio careat, An
illa infecta ſit, deprehendere.

Quoties impoſitum eſt mortalibus ficta oratione à Spiritibus? 13.
Quot ſunt, qui, ſpecie orationis decepti, cùm putarent eſſe purgan-
das animas, & bonos Spiritus, qui ſecum agerent; deprehenderunt
tandem eſſe verſipelles? malos? nequam? Dæmones?

Difficultatis huius ratio ex eo pẽdet; quòd oratio per ſe ſanctita- 14.
tem & pietatem non habeat; ſed omnem à mente ipſorum, quorũ
interpres eſt, accipiat: mentis verò ea ſit conditio, vt non ſemper ſe
oratione prodat: nunc aliud velit, aliud oratione ſignificet: nunc ſo-
net pietatem, foueat autem impietatem, &c.

Eſt igitur difficile iudicium, quod ex Spirituum oratione ſumi- 15.
tur: *An etiam impoſsibile?* Non hoc dixerim. *Tria* putarem eſſe, quæ ſi in
oratione inueniantur, probabilem coniecturã faciant, ipſam ſimu-
latam non eſſe, hoc eſt, vitio carere; & ob id purgandorum Spiritu-
um eſſe indicem.

Primum eſt, ſi apertè, & ex *ſuo genere*, vt vocant, mala non ſit; hoc 16.
eſt, nec in Dei cedat iniuriam; vt eſt illa, quę cum blaſphemia eſt cõ-
iuncta: nec proximo incommodet, vt in detractione, conuitijs, cõ-
tumelijs, malis imprecationibus, turpiloquio &c. accidit.

Alterum, ſi non ſolùm ex *genere ſuo* mala non ſit; ſed quoque ſit 17.
bona: qualis eſt, qua vel Dei promoueatur honor; vel noſtrum aut
proximorum emolumentum. Prioris generis erit, ſi ad Deũ Sacri-
ficium offerendum hortentur Spiritus: Poſterioris, ſi ad eleemoſy-
nam pauperibus erogandam, aut ſibi auxilium præſtandum inui-
tent.

Veruntamen hoc nequaquam ſufficit; propterea, quòd bona et- 18.
iam malè fieri poſsint. Deprehenſum eſt certis exemplis malignos
Spiritus fuiſſe, qui viuentium orationes poſtularunt. Petrus Mar-
morius in Gallia narrat Confollenti, ad Viennam fluuium, anno
1478. fuiſſe Spiritum, qui animam defunctæ ſe eſſe prædicaſſet;
eundemque gemitibus, clamoribus, & quęrimonijs omnia com-
pleſſe; monuiſſe etiam habendas preces, peregrinationesque ob-
eundas, præterea res veras plurimas reuelaſſe; ſed qui tandem ſit

Digitized by Google

CAP. *XLI*.

An ex malis, & moleſtijs, quæ ab humanis Spiritibus afferuntur, cognoſci poſſit: quæ ſit conditio humanorum Spirituum, qui infeſti ſunt.

Quemadmodum difficile fuit, Capite *29.* ex *malis*, quę afferuntur per Spiritus, homanos diſtinguere à Dæmonibus: ita haud minus difficile, ex *ijsdem* inter ſe diſtinguere humanos. Quia tamen *moleſtiæ* tantùm videntur humanis Spiritibus relictæ; & mala *grauiora*. Diabolis authoribus accidunt: fortè, ſi *moleſtias*, quæ à Spiritibus excitantur, penitiùs introſpiciamus; aliquam, quæ humanos Spiritus inter ſe(ſed tamen non à Dæmonibus) diſtinguat, inueniemus differentiam. Vtrumque præſtemus, poſterius priùs. 1.

Moleſtiarum nullam eſſe, cuius Dæmones authores eſſe nequeant, nullus negauerit, qui Dæmonum conditionem probè perſpectam habuerit. Liberi ſunt arbitrij Dęmones; & ita quidem, vt cum libero eorũ arbitrio egregia virtute, poteſtateque polleant. quâ igitur poteſtate inſtructi ſunt; poſſunt moleſtias excitare: quâ libero arbitrio pollent; poſſunt excitare quas volunt, magnas, paruas, pernitioſas, non pernitioſas. 2.

Et ſi exemplis hic agẽdum eſt, poſſumus producere alia; quibus doceamus maximos tumultus ipſis Architectis excitatos eſſe: alia etiam, quibus leues, & ludicras quaſi moleſtias. Quod hic poſſunt humani Spiritus; non poterunt viribus præſtantiores, Spiritus Dæmoniorum. 3.

Habent igitur hoc commune Dæmones cum Spiritibus humanis. *Vtrique leuiter moleſti eſſe poſſunt*. Fruſtra igitur, ex moleſtia, ipſorum diſtinctio petitur. 4.

Veruntamen ſi moleſtias iam *conſtet* ab humanis proficiſci Spiritibus; licebit *aliunde* conijcere, non purgandos; ſed damnatos eſſe Spiritus: & rurſus eſſe purgandos; non damnatos, à quibus ipſę afferuntur. 5.

Et damnatos prodet primo, ſi cum moleſtia allata *ad peccatum aliquod excitentur viuentes*, qualecunq; etiam illud ſit. Hoc enim cùm à purgandis Spiritibus ſit alieniſsimum, quemadmodum ſuperius Capite quadrageſimo, Theſi 67. &c. probatum eſt; non alios, quam damnatos Spiritus, poteſt habere authores. 6.

Deinde

ueniat. Alterum, hoc Obſequiorum genus certos prodere Spiritus, purgandos ſcilicet. Tertium eſt, difficillimum eſſe cognoſcere hæc Obſequia, dum à Spiritibus præſtantur. Quartum eſt, ex circumſtantijs quibuſdam, & accidentibus, poſſe aliquam de ijs coniecturam fieri. Omnia oſtendimus.

Eſſe aliquod Obſequiorum genus, quod nō niſi humanis Spiritibus competat, docent illa officia, quæ per ſe honeſta ſunt, & nullius circumſtantiarum acceſsione vitium contrahunt. Nam & talia quædam inueniuntur; & à Spiritibus poſſunt præſtari: authores non poſſunt habere Dæmones. Omnino igitur neceſſe eſt, vt humanos prodant Spiritus. 4.

Quid hîc dubium? *An talia inuenire Obſequia?* An hæc non negauerit, qui ſe Catholicum haberi velit. Et profectò, niſi omnia, quæ fiunt, peccata dixerimus: niſi Deum ad peccata mortales hortari impiè faſsi fuerimus: niſi velimus aſſerere, nullam nobis eſſe impoſitam neceſsitatem aliquid benè agendi; oportet concedamus, ſimilia Obſequia inueniri. 5.

An fortè à *Spiritibus hæc fieri nequeunt?* Cur quæſo? Fortè ſemper Spiritus peccā?at quis tunc finis erit purgatorij? Fortè licet nō peccent ſemper; hæc obſequia præſtare nequeunt? at præſtant etiā his maiora. Qui Deum poſſunt laudibus celebrare; vt celebrant; qui perſoluunt quas meruerunt, pœnas: qui rebus humanis ſine peccato interſunt; cur neceſſariò peccant, ſi ſua hominibus Obſequia offerāt & præſtent? cùm & nulla lege hæc ipſis ſint prohibita; & in hominum cedant commodum atque emolumentum. 6.

Quod verò hæc obſequia Dæmonum miniſterio non exhibeantur, clarum eſt. Quæ à Dæmonibus proficiſcuntur; vniuerſa, vel talia ſunt, vt per ſe, & ex natura ſua, reprehenſionem mereantur; vel quamuis ex ſe bona ſunt, intentione tamen & voluntate peruerſa operantium deprauantur. Nihil eſt, quod Dæmones poſsint præſtare bene. Nullum obſequium exhibent Nequam; quod, quamuis ſanctiſsimum in ſpeciem appareat, non æternis, infernalibusque ſupplicijs, ſit dignum. 7.

Quid hinc ſequitur? quid? Illud ipſum, quod primo Aſſertionis noſtræ membro continetur; *Eſſe quædam Obſequia, quæ non niſi humanos Spiritus authores habent*: illa ſcilicet, quæ per ſe honeſta ſunt, nec vilius paruæ circumſtantiæ acceſsione fœdantur. 8.

Cæterùm, quemadmodum hæc Obſequia Spiritus hominum diſtinguunt à Spiritibus Dæmoniorum; ita eodem modo produnt *conditionem* humanorum Spirituum: *produnt, inquam purgandos Spiritus.* 9.

CAP. XLIII.

An officia quædam otioſa & ludicra ſint, quæ inter Spiritus humanos, damnatos & purgandos, diſtinguant.

QVod ad quæſtionem propoſitam reſpõdeatur in promptu eſt, ſi quæ Capite trigeſimo primo dicta ſunt, difficultatem nullam habent. Dictum eſt ibi officia *otioſa* humanis Spiritibus vel nullo modo conuenire, vel certè conuenire rariſsimè, & aliquibus tantùm. Hinc planum eſt, *ex his inter humanos Spiritus nullum diſcrimen petendum eſſe.* Quid enim? poteruntne hi Spiritus differre re aliqua, quæ neque vtriſque diuerſa; neque alteris ipſorum, aliqua ratione conuenit? 1.

Atque hoc inſinuaſſe ſuffecerit. Verùm quia *duo* ſunt, quæ fundamentum aſſertionis noſtræ euertunt, hæc diſſoluenda ſunt, præſenti Capite; priuſquam vlterius progrediatur oratio. Vnum eſt, quòd (vt Olaus magnus refert, li. 3. c. 11. Hiſtor. Septent.) ludum & concentum nocturnorum *Spectrorum in partibus Aquilonaribus*, incolę credant excitari ab *animabus*, quę ſe corporeis voluptatibus, dum viuerent, immerſerunt. Alterū, quòd haſtiludia, & congreſſus bellici, in *agro VVormatienſi*, de quibus 1. Capite, Theſ. 20. non videantur, niſi humanos Spiritus habere authores: quemadmodum primùm quidem ipſorum probat confeſsio: tum deinde oratio, qua viuentium ſubſidia atque preces implorârunt. 2.

Veruntamen aſſertioni noſtræ nihil hæc obſunt, quoniam vel officia hæc fuiſſe *otioſa* negandum eſt: vel, ſi id concedatur, negandum hominum Spiritus fuiſſe, à quibus ſunt patrata, & exhibita. 3.

Atque vt *de Spectris Aquilonaribus* primùm dicamus, non negauerim ludicra & *otioſa* eſſe officia, quæ præſtiterunt; negauerim verò humanos eſſe Spiritus, à quibus illa præſtantur. Loca, quibus hæc officia præſtantur; perſonę, in quarum præſentia præſtantur: effectus denique, qui abſolutis choreis in aduſto gramine deprehenduntur, pro Dæmonibus magna præbent argumenta: vt de *officijs* ipſis nihil dicatur. 4.

Nec multitudo contrarium opinantium contrarium ſuadere debet. Quot apud Aquilonares populos ſunt ſuperſtitiones? Iidem illi populi (eodem Olao teſte, lib. 2. ca. 3.) ſubmerſorum, & violento caſu occiſorum animas volunt errare in promontorio Iſlãdiæ, illo, quod inſtar Aethnæ, perpetuis ignibus æſtuat. Vnde hoc 5.

Digitized by Google

quomodo Dæmones diſtinximus Ca. *32.* ab humanis Spiritibus. *Alter* eſt, vt vtrique quidam ad ſacra loca admittantur; ſed hi ad illa, iſti ad alia. Cùm enim loca ſacra *duplicia* ſint (hæc enim ſola nobis propoſita ſunt) templa ſiue oratoria; & cęmiteria; ſi hęc illis tantùm tribuantur Spiritibus, iſta alijs; hoc ipſo inter Spiritus diſtinctionem deprehenderimus, quo ipſos his aut illis locis verſari atque moleſtos eſſe demonſtrauerimus.

Quomodo igitur ad hæc loca ſe habent Spiritus humani? ſuntne qui vtraque loca ſacra declinant? aut ſi quidam non vtraque, ſaltem declinant altera? Primùm purgandos Spiritus, tum deinde damnatos examinemus; & quod coniectura conſequi poſſumus, dicamus. 3.

Purgandi non videntur declinare Cæmiteria. Cur declinarent? An quia conſecrata ſunt, & ſancta loca? an quia Eccleſiæ precibus & orationibus ijs præſcripti? an quia negotium ſuum hîc agere nequeunt? Sanctitas loci ipſis non repugnat. Nam & ipſi quodam modo Sancti dicuntur; & perfectius multò, quàm ipſa cæmiteria. Eccleſię precibus proſcripti non ſunt, vt quæ ipſis (tantum abeſt, vt hæc loca inuideat) etiam optet multò pręſtantiora, inquam, palatia. Etſi vllibi; profectò hic ſuum poſſunt agere negotium: vbi & hominum turba frequens; & locus ad orandum pro defunctis per ſe inuitat. 4.

Sic à *Templis hos Spiritus non abhorrere multò eſt veriſimilius.* Nam præter iam dictas cauſas; in templis etiam habent, quibus afficiuntur, res ſacras & multas, & magnas, & varias; quæ vt honorem Dei egregiè promouent; ita non poſſunt non ijs eſſe gratiſsimæ, qui honoris Dei, in rebus omnibus, & præ rebus omnibus, ſunt ſtudioſiſſimi. 5.

Fortè in irreuerentiam cedit Dei, quod ad *Templa,* Dei inquam domos hos Spirtus admittamus. Non cedit. Neque quam irreuerenter hi Spiritus agunt; neque ipſorum per ſe pręſentia vllam poteſt ſacris locis afferre irreuerentiam. 6.

Fortè Deus vult ipſos his locis eſſe excluſos. Sed vnde id conſtat? Si fines, qui Deo propoſiti ſunt, in horum Spirituum ad viuos reditu attendamus, non tam his locis excluſos, quàm admiſſos meritò iudicabimus; cum etiam hîc, per hoſce Spiritus, poſsit Deus ſuæ clementiæ, atque iuſtitię dare argumenta: & ipſi his locis viuorum ſuffragijs fieri participes. 7.

At ſororem ſuam, inquit aliquis, quam diu purgatorio igne expiabatur, ad limen quidem *Eccleſiæ*, in veſte pulla perueniſſe, 8.

Digitized by Google

purgandos,de quibus hæc communis, & apud omnes recepta eſt opinio.

Nec eſt,cur hos Spiritus à *Cæmiterijs* excluſerimus. Quam enim ob 13.
cauſam? An ad hæc loca redire non affectant?at ex affectu ipſorum de nullo loco iudicium ferendum eſt: quoniam ſi per ipſos ſtaret, ad viuos redirent nunquam. Nulla ipſis grata ſunt loca,quemadmodum ſuperius docuimus. An orationibus Eccleſiæ his locis prohibentur?at dubium eſt,num ijs quidquam,cum authoritate,Eccleſia præcipere aut mandare poſsit. Sed nec his locis ab Eccleſia proſcripti ſunt. Proſcriptio,quæ in locorum horum conſecratione facta eſt, malignos ſolùm Spiritus(Dæmones intelligo)attingit;quemadmodum ex *forma*,qua in proſcriptione Eccleſia vtitur,eſt manifeſtum.

Quamobrem,vt Caput hoc concludamus,ex *locis ſacris*, ſi non perfecta & abſoluta; *aliqualis* tamen differentia petitur, qua humani inter ſe Spiritus diſtinguuntur. Quamuis non *Cæmiterijs* differant; differre tamen videntur *Templis*: vt probabile argumétum ſit, *non damnatos; ſed purgandos eſſe Spiritus,qui in Templis frequentius obſeruantur.* 14.

CAP. XLV.

An, & quomodo loca, vbi mortes hominum præceſſerunt, & grauia peccata commiſſa ſunt, humanos, damnatorum & purgandorum, Spiritus diſtinguant.

CVm Capite trigéſimo tertio de locis,poſt *mortem* alicuius, infeſtis; infeſtis item ob *grauia* quæ ijſdem perpetrata ſunt *crimina*,ageremus; ſolos propemodum ad *illa*, humanos Spiritus admiſimus. Nunc,ne, quem hactenus tenuimus, ordinem infringamus, An,& quomodo humanorum Spirituum diſtinctio hinc accipi poſsit,dicendum eſt. 1.

Ego verò hic ex *duobus* maximè Spirituum conditionem deprehendi crediderim: ex anteacta vita; ſed præcipuè ex vitæ termino. Cùm enim hæc ad futuræ vitæ ſtatum pertineant plurimum; omnino ex his,de ſtatu defunctorum iudicium peti poſſe videtur. 2.

Et in purgandorum Spirituum claſſe illos poſuero, qui aut vitam piè,& iuſtè,& ſobriè tranſegerunt; quamuis ſuis næuis non caruerint; aut bene beateque in Domino ſunt mortui. In numero 3.

autem

nia:ſed quæ cum nulla peccati mortalis conſcientia eſt coniuncta,& in qua nihil eorum,quæ Deus & Eccleſia poſtulat,prætermittitur.

Hinc eſt(vt ex contrario perſpicuum fiat,quod dicimus) vt primum illi *infelicem* mortem habeant;qui,quę in vita peccata mortalia perpetrarunt,per pœnitentiam non depoſuerunt.Hæc quoniam mortem præſentem animę afferunt,animę ſuam vitam non patiuntur reſtitui,quamdiu animam ipſa poſſident. 10.

Deinde *infeliciter* illi obeunt;qui quamuis, quæ in vita commiſerunt crimina,dignis pœnitentiæ fructibus depoſuerunt: in infirmitate tamen ſua,vel in ipſis mortis portis Deum grauiter offendunt, nec offenſæ veniam,aut quærũt,aut obtinent.Hæc offenſa,cùm alijs rationibus multis accidit , tum præcipuè omiſsione Sacramentorum,diuinitus inſtitutorum ; qualia ſunt poſt Pœnitentiam, Euchariſtia atque Extrema vnctio,apud quoſdam. 11.

Tertiò *illi infeliciter hanc vitam concludunt,* qui quamuis Sacramentorum nullũ prætermittant;prętereą etiam vitę peccata dignis pœnitentię operibus deponant;bonorum tamen alienorum reſtitutionem,quam poſſunt,non faciunt.Diſerta eſt,& vera B.Auguſtini ſententia: *Non dimittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum.* 12.

Hi *infeliciter* mori dicuntur, quemadmodum *bene viuere* illi,qui, quæ iuſta,pia,& ſobria ſunt,perficiunt. Et vt de horum Spiritibus bene ſperatur,quando mortale hoc corpus deponũt:ita de illorum ſalute timetur,quando tumultuari, poſt corporis ſarcinam depoſitam,audiuntur. 13.

Speramus bene de illis:quia bona principia bonos ſolent habere exitus. De horum ſalute *timemus*: quòd horum peccata videantur eſſe *ad mortem*,quibus veniam negat Apoſtolus,1 Ioan. 5. Veruntamen de neutris *certam,abſolutamq́;*, & quæ nullam exceptionem admittat,ſententiam ferimus;quia *ſeruus Domino ſuo cadit & ſtat*, Rom. 14 Dominus eſt *conſtitutus Iudex viuorum & mortuorum*, Act.10. Nobis dictum: *Nolite iudicare*, Matth 7. *Dies Domini omnia reuelabit* 1.Cor.4. 14.

Quocirca,quod diximus,*probabile* admodum eſt iudicium,quod ex vita ſumitur & morte: *non omnino certum*. Quamuis *rarò* habeat; *poteſt tamen* habere exceptionem. Nobis vt extra periculum ſimus, bonamque ſpem habeamus,curandum;vt bona vita ad felicem, nos properemus mortem,vt inter bonos Spiritus,cum Patre Spirituum, in reſurrectionis gloria,inueniamur. 15.

CAP. XLVI.

An & quomodo Spiritus humani, qui moleſti ſunt, diſtinguantur locis Catholicorum, & Hæreticorum.

1. LOca Catholicis atque Hęreticis hominibus diſtincta, non quidem humanos à Dæmonum, ſed tamen *humanos ab humanis Spiritibus diſtinguunt.* Prius oſtenſum eſt Capite 34. Poſterius, qua ratione dicatur, explicandum eſt Ca. pręſenti, ſed breuiſsimè.

2. Quando *conſtat* humanos eſſe Spiritus, qui apparent & moleſti ſunt; omnino veriſimile credimus; *vt, ſi apud Hæreticos inueniantur, damnatorum hominum ſint; non verò eorum, qui igne purgatorio expiantur: quanquam non contra,* quicunque apud Catholicos obſeruantur, ſemper ſint Spiritus purgandi. Quocirca quamuis non ex Catholicorum locis; ex Hęreticorum tamen, conditio humanorum Spirituum deprehenditur.

3. Pro Aſſertionis confirmatione pluribus opus non eſt. Dubium nullum eſt Catholicorum locis, vtroſque Spiritus reperiri. Vbi igitur docuerimus. *Hæreticis moleſtos non eſſe Spiritus purgandorum,* finem Capiti imponemus, & demonſtratum erit, *damnatorum hominum Spiritus eſſe, qui Hæreticos moleſtant.*

4. Et hoc finis, qui hiſce ſpiritibus propoſitus eſt, apertè probat. Quid *Hæreticorum locis* quręeręt miſeri purgandorum Spiritus, quod ſciunt ſe non inuenturos? Viuentium, ſcilicet, ſubſidia? Aut vlla poſſunt ſperare ſubſidia ab illis, qui defunctos viuentium ſubſidijs negant iuuari?

5. Et hoc quidem palàm profitentur omnes propemodum noſtrorum temporum Hæretici? Lutherani rigidi, vt Centuriatores Cent. 1. lib. 2. cap. 4. Lutherani molles, vt Philippus in locis, de Satisfactione; & Brentius in Confeſſ. VVirtenb. zuuingliani apud Cochlæum in Actis Lutheri anno 1526. Caluiniſtę apud Caluinum li 3. Inſtitut. cap 5 §6. Trinitarij, Anabaptiſtæ li. 2. c. 1. ex ijs, quos nuper anno 1567. ediderunt. Quocirca his hi Spiritus moleſti non erunt.

6. Quanquam nec ad illos Hæreticos redire affectarent piè defunctorum Spiritus, qui viuorum pro defunctis ſuffragia admitterent: propterea, quod quæ hi in defunctorum gratiam opera, ſatisfactionesque ſuſciperent, defunctis ad pœnarum aut nullum, aut admodum

dum paruum leuamen prodeſſent: quemadmodum ex ijs, quæ poſterius dicturi ſumus, manifeſtum erit.

Quocirca quod quidam docent, ijs locis, vbi olim religio Catholica, nunc Hæreſis ſedem habet, Spirituum moleſtias non obſeruari; quę olim erant frequentiores; omnino de horum Spirituum moleſtijs intelligi credimus, cæteroqui alios vel damnatorum hominum, vel Dæmoniorum Spiritus Hæreticis pacem fauere & relinquere, quæ probet, nulla eſt, cauſa. 7.

CAP. XLVII.

An & ex quibus temporibus, poßit diſtinctio inueniri inter humanos, eos Spiritus, qui loca infeſtare ſolent.

INfirmum diximus eſſe, Cap. 35. & non ſatis certum iudicium, quo ex *Temporibus* diſtinguuntur Spiritus Dæmoniorum & humani. Infirmum quoque & nõ certum, quod hîc humanos Spiritus prodit & diſtinguit: Qui tamen quãtum, quantum illud ſit, ſi cum alijs coniungatur, vires accipit; etiam hîc, ſi non magni faciendum, certè non fuit omittendum. 1.

Et, niſi fallimur, *tribus temporum*, quæ poſuimus, *differentijs*, purgandos Spiritus à damnatis quodam modo poſſumus diſtinguere; luce diei, diuturnitate moleſtiarum, & ſanctitate. vt ſcilicet, quando *iam conſtat* humanos Spiritus eſſe, qui apparent, & moleſtant, ex *ea probabile ſit; purgandos eſſe*, *non damnatos*; q' òd *interdiu* obſeruentur; quod *diutius* ſint moleſti; quod *ſacris tẽporibus* nobis adſint. 2.

Dum hæc aſſerimus; non negamus, quin & noctibus hi ipſi purgãdi Spiritus adeſſe poſſunt: ſimiliter breuiori tempore eſſe moleſti; atq; etiam profano. Docemus hæc tempora, nocturna inquam, breuiora, atque profana, magis Spiritibus damnatis conuenire: contrario verò tanquam ſibi peculiari ratione conueniẽtia, poſtulare Spiritus purgandos. 3.

Dies refugiunt damnatorum hominum Spiritus: quia latere cupiunt: amant *noctes*, quia malè agunt, ideoque hoſtes ſunt lucis Spiritus purgandi, ſi *noctes* quærunt, non vt lateant quærunt; ſed vt neceſsitates ſuas mortalibus commodius explicent. *Dies* verò non refugiunt, ſi propoſito ſuo intelligant ſeruire poſſe. 4.

Digitized by Google

5. *Diuturnitate* moleſtiarum ſuperare videntur damnatos purgandi. Quamobrem autem? quia cùm in damnatorum Spirituum, cum viuentibus, moleſta conſuetudine id propoſitum ſit, vt miſeria ipſorum mortalibus innoteſcat; tandiu illa erit permittenda, quàm fuerint, qui mortuos nouerint, apud quos infames reddi poſſunt: his deficientibus, cur rebus viuentium intereſſe debeant, quæ vrgeant, rationes magnæ non ſunt. At purgandis propoſita ſunt viuentium patrocinia, quæ ipſis, etiam ab ignotis, poſſunt communicari & impendi; ideoque multis poſt mortem annis.

6. Scio eſſe quoſdam, qui tempus purgatoriarum pœnarum volunt eſſe paucorum annorum; apud quos noſtra, quam damus, coniectura infirma eſt. Sed nobis illorum ſententia magis arridet, qui illud producunt, nec ita breui apud omnes, volunt eſſe finiendas. Si breues pœnæ purgatoriæ; quomodo probat Eccleſia anniuerſaria ſacra; quæ pro ijs, qui ante centum, & eò plures annos piè in Domino ſunt defuncti, offeruntur? Vide Bellarm. Tom. 1. Contro. li. 2. cap. 9.

Denique *ſacros dies* refugere damnatorum hominum Spiritus,
7. ex eo eſt veriſimile, quòd ſocij ſint Dæmoniorum, qui & ſacra deteſtantur omnia; & ſacrorum omnium vmbras. An verò poſſunt *hos* fugere Spiritus purgandi? Annon præ reliquis expetere, ſi libera inter ſacros & profanos dies detur optio? Spiritus ſacri? ſacrarum rerum appetentes? quarum conſequendarum, ſi alijs *ſacris* profectò *diebus* ſpes eſt maior? Hæc de *Temporibus* breuius; propterea quod iudicium ex his petitum infirmius.

CAP. XLVIII.

An ex conditione illorum Spirituum, qui certis hominibus infeſti eſſe ſolent, poßit deprehendi, Sitne Spiritus hominis damnati, an ſaluandi, qui moleſtus eſt.

1. Opus hîc pluribus non eſt. *Ex inſecutione ipſa, quòd humanos Spiritus inter ſe diſtinguat, nihil accipitur præſidij.* Si quid hîc eſt, quod differre faciat, Spiritusq; conditionem prodat, hoc non ex ratione inſecutionis, ſed ex alijs, quæ cum ipſa coniuncta ſunt, habetur.

Priu-

Prius extra controuerſiam eſt. Quemadmodum boni purgandorum hominum Spiritus, ita mali damnatorum, viuentes quoſdam ſequuntur. Hi quidem vt vexent, & moleſti ſint; illi verò, non tam vt moleſtent & vexent; quàm vt rebus ſuis apud viuentes conſulant.

Quæ verò cum inſecutione & perſecutione Spirituum coniuncta ſunt, admodum varia ſunt, ſed quibus Spirituum conditio deprehenditur potiſsimum, *loca, Spirituum forma, mala, quæ afferunt & moleſtandi modus* De quibus quoniam aliâs multis Capitibus, nunc nihil prætere. 5

CAP. XLIX.

An ex conditione illorum, qui perſequentes quoſdam patiuntur Spiritus, deprehendi poſsit ipſos Spiritus eſſe damnatorum hominum, an purgandorum.

QVemadmodum ex Spiritibus certos homines inſequentibus, & moleſtantibus colligi nequit Spirituum humanorum inter ſe diſcrimen; ita *nec ex conditione hominum, qui hos moleſtantes Spiritus patiuntur.* 1.

Diximus, Capite trigeſimo ſeptimo, *duplicis generis* diſtingui homines, qui patiuntur infeſtantes Spiritus: alios egregiæ probitatatis, alios perditæ ſalutis. Non neceſſe eſt dicamus purgandos eſſe Spiritus, à quibus *boni* patiuntur; damnatos, à quibus *mali*, quia & mali poſſunt pati, patiunturque à Dæmonibus frequenter. 2.

Quando tamen aliunde conſtat de Spiritibus, quòd humani ſint, *ex conditione*, ſi non bonorum, certè *malorum, licebit conijcere damnatorum eſſe Spiritus, qui moleſtant.* 3.

Quomodo verò? Quia *boni* & damnatorum & purgandorum Spirituum moleſtijs expoſiti ſunt. Mali ferè non niſi damnatorum. Vtrumque quia Capite trigeſimo ſeptimo aſtructum eſt, repeti hîc non debet. 4.

SYNOPSIS.

Certornm ſignorum, ex præcedentibus Capitibus Collectorum, quæ ſingulos Spiritus prodant.

DIſtinximus Spiritus humanos à Spiritibus Dæmoniorum: & humanos ab humanis. Ex his qui ex Spiritibus Dæmones ſunt: qui hominum damnatorum: qui purgandorum hominum, poteſt quiuis vtcunq; colligere: veruntamen non ſine labore atque moleſtia: qua vt Lectorem ſubleuemus, quæ ſparſim dicta ſunt, in certa Capita concludimus, & ſingulorum Spirituum proprias quaſi Notas atque Iudicia adſcribimus.

CAP. L.

De octo Indicijs, quæ magna ſunt argumenta infeſtantium Spirituum Dæmoniorum.

1. DAEmoniorum Spiritus octo ſunt argumenta, quæ ſingula nó leue; omnia ſimul iuncta firmũ robur habent. Hæc ſunt, *forma, inconditi ſoni, oratio, allata mala, obſequia, ioci, loca & perſona* quæ moleſtantes Spiritus ſuſtinent.

2. *Forma*, ſiue ſpecies, quæ Dæmones prodit, eſt ab humana diſcrepans, qualiſcunq; illa ſit; in primis verò brutorum animantium, atq; monſtrorum. Vide Caput 26.

3. *Clamores & ſtrepitus inconditi* qui alterum ſunt ſignum: magnum videntur pro Dęmonibus argumentum; ſi barbarum neſcio quid, & peregrinum referant. quoniam quemadmodum à cæteris Spiritibus videntur eſſe alieni; ita magnas ob cauſas Dæmoniorum proprij. Vide Caput 27.

4. *Oratio*, ſi Dæmonium debeat prodere, oportet ſit diuinatoria, ſiue indicatiua rerum quas naturalis hominum cognitio nequit percipere; ſiue illæ ſint præteritæ, ſiue futuræ, ſiue præſentes. Vide Caput 28.

Mala

Mala, ſi magna ſint & grauia, quæ viuentibus per Spiritus afferuntur, arguunt ipſorum authores eſſe Dæmones Nam & hæc per Dæmones poſſunt afferri; per humanos Spiritus non item: & vt per Dæmones, non verò per humanos Spiritus afferantur, omnino conuenit. Vide Caput 29. 5.

Ex Obſequijs non vno modo cognoſcuntur Dæmones. Dæmones ſunt, qui Obſequia præſtant humanas vires ſuperantia; qui nefanda, & leges naturæ violantia; qui ex pacto, quaſi neceſſaria. Vide Caput 30. 6.

Ioci, ſi excitantur, à Dęmonibus excitari admodum eſt veriſimile; non ab humanis Spiritibus. Ex his igitur etiam, tanquam Leonem ex vngue, Dæmones deprehenderis. Vide Caput 31. 7.

Loca quæ Dæmonum ſunt indicia, oportet ſint deſerta, & ab hominũ conſuetudine aliena. Alia, quamuis ijſdem Dæmones inueniantur, quia tamen Dæmonum propria non ſunt; Dęmones non produnt Et in Non. deſertis quoque illa Dæmones arguũt, quæ tantum infeſta ſunt propter homines, impiam & ſceleratam vitam traducentes Vide Caput 32. & 33. 8.

Ex perſonis etiam quibuſdam de Dæmonibus ſumitur coniectura; illis ſcilicet, quę perditè viuunt. Si has infeſtari à Spiritibus contigerit, admodum eſt probabile à Dæmoniorum Spiritibus moleſtari. Vide Caput. 37. 9.

CAP. LI.

De quinque ſignis quæ produnt Spiritus eos, qui purgatorio adhuc igne expurgantur.

DÆmones ex ſignis octo cognoſcimus: quemadmodum dictum eſt. hominum verò purgandorum Spiritus ex paucioribus, & fortè minus certis. quibus verò & qualibus? *ex forma, gemitu, oratione, obſequio & locis.* 1.

Forma, quæ purgandorum Spirituum index eſt, humana eſt, talis; quæ peregrinum nihil obtineat; nullum horrorem per ſe intuentibus afferat, vel truci vultu, vel atro colore. Vide Caput 38. 2.

Gemitus & ſuſpiria oportet nulla ſint aut lenitate, aut impatientis animi ſignificatione permixta, & triſtis, atque humilis mentis certa indicia. Vide Caput 39. 3.

Oratio etiam hos Spiritus prodit; *oratio* inquam quæ peccato caret, & inſuper proprij boni, cum ſubmiſſi animi ſignificatione, eſt petitoria. Vide Cap 40. 4.

Obſequi

5. *Obſequium*, quod purgandorum Spirituum conditionem manifeſtat, omni debet carere labe peccati. Hoc vt certiſsimum eſt argumentum; ita difficulter admodum deprehenditur. At id tamen quodam modo cognoſcendum faciunt conſtantia, humilitas & grauitas cum Obſequio coniuncta. Vide Caput 42.

6. *Loca*, ex quibus purgandi Spiritus deprehenduntur, duplicia ſunt; ſacra, ſed inprimis Templa: & quæ primùm poſt mortem alicuius fidelis, piè defuncti, infeſta eſſe cœperunt. Illa malis Spiritibus non conueniunt: hæc omnino ipſos defunctos arguunt. Vide Caput 44.

CAP. LII.

De tribus ſignis quæ damnatorum hominum Spiritus produnt.

1. NOn tot ſunt Indicia, quæ damnatorum hominum Spiritus produnt; quot, quæ indicant Dæmones, vel purgandorum animas, & ſi diligentius omnia ſcrutemur, quę certa, *præter vnum*, admodum inueniemus pauca, vel nulla.

2. Certiſsimum eſt, *locus*, ille videlicet, qui primùm Spectris infeſtus eſſe cœpit, poſt mortem hominum vel infidelium, vel ſi fidelium, miſerè & non Chriſtianè defunctorum. Vide Caput 44.

3. Poſt hoc, ſunt *forma, atq; gemitus*. Et *forma* oportet ſit humana, ſed ob crudelem, atrocemque vultum & colorem, horrida. *Gemitus verò atq; ſuſpiria*, vel cum leuitatis, vel cum impatientiæ ſignis coniuncta. Hæc infirmiora ſunt argumenta, quàm primùm: & inter ipſa infirmiſsimum poſtremum. Vide Caput 38. & 39.

4. Hæc damnatorum Spirituum Indicia: qualia, qualia tandem. Alia, quæ prodant, nulla ſunt. Quæcunque enim vel ab his Spiritibus *fieri* poſſunt: quæcunque ijs poſſunt *accidere*: quæcunque cum ipſis, quouis modo *ſunt coniuncta*; nullo modo ita ipſis ſunt propria; vt vel purgandis hominum Spiritibus, vel Dæmonibus nequeant conuenire.

5. *Poſſunt* excitare ſtrepitus atque clamores: poſſunt varias edere voces, & formare ſermones; poſſunt nocere & moleſtare: poſſunt res de locis transferre. Quid horum non conuenit, ſi non purgãdis, certè Dæmonum Spiritibus?

6. *Quæ ijs accidunt*, ſunt corporis moles vel paruitas, breuitas & diurnitas moleſtiarum, quas nobis afferunt; & ſi quæ ſunt alia. Quid horum alienum ab alijs Spiritibus?

Coniuncta

Digitized by Google

Coniuncta cum ipſis ſunt loca, tempora atque perſonæ maximè. 7.
Et ex temporibus ſunt ſacra, profana: diurna, nocturna. Ex locis ſacra, non ſacra; culta, non culta. Ex perſonis, probæ, improbæ: fideles, non fideles: An ab his alij Spiritus abhorrent?

CAP. LIII.

De adiuratione, qua moleſtantes Spiritus per diuini nominis inuocationem coguntur, vt ſe, conditionemque ſuam prodant.

QVamuis perſæpe, ex iam dictis argumentis, in Spirituum agnitionem veniamus: non rarò tamen accidit, vt vel his deſti- 1.
tuamur; vel ſi abundemus, perfectè, atque certò, quæ Spirituum moleſtantium conditio ſit, non cognoſcamus. Alia igitur ratio eſt, qua vt certius agnoſcuntur; ita maiorem animum, in eo, qui illa vti velit, requirit.

Adiuratio illa dici poteſt; qua per Deum viuum, aut Crucifixi vir- 2.
tutem adiurantur, & coguntur Spiritus; vt qui, qualeſue ſint, prodant; & quid velint, quaſue ob cauſas moleſti ſint ſignificent.

Magnas huius eſſe vires ad Spiritus cogendos nemo dubitat. 3.
Nam qui boni ſunt, ex reuerentia, qua Deum proſequuntur, non volent non ſuam conditionem prodere, per Deum adiurati. Impij verò, & ſi Deum non reuereantur, timent tamen: & per ipſum adiurati faciunt; quæ, vt faciant, alijs machinis vix mouerentur.

Hinc quos in pleriſque Sacrarum literarum locis adiuratos le- 4.
gimus homines, *Adiurationis* vim intelligentes, mox religione erga Deum ducti, præſtiterunt quod rogarentur, vel iuberentur. Adiuratus ſenior ſeruus Abrahæ, ne *filio vxorem acciperet de filiabus Chananaorum*, ſed de cognatione, & domo patris Abrahæ; Domini ſui mandato nihil prius habuit, Geneſ. 24. Adiuratus Ioſeph à patre, *vt in ſepulchro quod in terra Chana, anfoderat, ipſum ſepeliret*; etiam intercedentibus Aegyptijs Pharaonem vrget, quo promiſsioni, patriſque deſiderio fiat ſatis. Geneſi 50. Eiuſdem Ioſeph oſſa Moyſes Aegyptum deſerens, ſecum in terram promiſſam voluit transferre; *quod viuens ille, hoc nomine filios Iſrael adiuraſſet*. Exodi 13. Adiuratus populus à Saul, cum Philiſthijm perſequeretur, *ne quis panem, vſque ad veſperam, comederet*; donec hoſtes vltus eſſet: & non

Digitized by Google

manducauit vniuerſus populus panem, vt dicitur 1. Reg. 14. Adiuratus Michæas Propheta ab Achab; & adiuratus, quem ante diſsimulauerat, *prædicit ſtragem in Iſrael*, 3. Reg. 22. Adiuratus à ſummo Pontifice Filius Dei, Chriſtus Dominus; vt diceret, *eſſetne filius Dei*; & pro reuerentia Patris ſui, ſtudioque obſequendi Sacerdoti, qui antè tacuerat, locutus eſt, *ſeq; filium Dei eſſe eſt profeſſus*.

5. Neque Diaboli hanc *Adiurationis* vim ignorant. Hinc cùm ipſorum quidam malè ſibi à Domino timeret; ad adiurationem côuerſus: *Adiuro*, inquiebat, *te, ne me torqueas*. Marci 5. Vtrum verò adiuratione quicquam promouerit, ipſe nouit: hoc certum, Geraſenorum regione, quod poſtulabat, pulſum non eſſe.

6. Sed de *Adiurationis* vi atque poteſtate dubium non eſt: dubium fortè, An licitum ſit Spiritus adiurare; & qua *adiurationis* forma: Preterea, Quibus ipſa conueniat: Quibuſue locis atque temporibus illa contra Spiritus vtendum: De quibus, quid res poſtulat, breuiter pro ratione inſtituti.

7. *Licere dubium non eſt*. Cùm enim Spiritus; (quicunq; moleſti ſunt) vel Dæmoniorum ſint, vel hominum; hoc ipſo perſpicuum eſt adiurare licere omnes tentare; quòd & Dęmonia & homines adiurare abſq; vllo crimine permiſſum ſit.

8. De hominibus hoc oſtendunt, quæ initio Capitis huius ex Sacris literis allata ſunt exempla. De Dæmonijs res geſtæ Apoſtolorum; qui, poteſtate ſibi diuinitus communicata, eadem adiurârũt, profligârunt, exulare iuſſerunt. Et bene B. Auguſtinus l. 10. de Ciuit. Dei capite 22. *Vera pietate*, inquit, *homines aëream poteſtatem inimicam contrariamq; pietati exorcizando eijciunt*.

9. *Forma adiurandi duplex eſt*, nunc præcipiendo, & veluti neceſsitatem imponẽdo, quempiam cogimus, vt diuini numinis cauſa quippiam faciat: nunc id facimus deprecando, & hortando tantùm. Huius proprius vſus eſt ad ſuperiores, quibus non conuenit, vt imperemus: poſterioris, præceptoriæ, inquam, ad inferiores, in quos poteſtatem habemus.

10. Sed qua vi Spirituum ſtatum, conditionemque explorare permiſſum? *Vtraque permiſſum*: licet præceptoria vti, videatur ſecurius.

11. Permiſſa *deprecatoria*: quia ita apud ſuperiores locum habet; vtapud inferiores & pares reprehenſione careat; aliquando etiam laudẽ mereatur. Quocirca ſiue nobis ſuperiores ſint Spiritus, qui moleſtant; ſiue pares, aut etiam inferiores; abſque crimine ſumus, ſi, vt ſe, conditionemq; ſuam prodant, ipſos rogemus.

Permiſſa

Digitized by Google

Permiſſa quoque *præceptoria:* quia multo melior conditio viuentium, quam Spirituum, qui moleſtant: vt ob id ſuperiores illi quadam ratione dici debeāt; & in ipſos imperio poſsint vti, maximè ſi incommodent. 12.

Expedit nihilominus vti imperatoria,& præceptoria: non ſolùm idcirco, quod huius maiores ſint vires; verum etiam, quia, vt plurimum, qui moleſtant, ſunt Spiritus Dæmoniorum,apud quos deprecatoria vti,religione prohibemur. *Nolo vos,* inquit Apoſtolus,*ſocios fieri Dæmoniorum,* 1.Cor.*11*. 13.

Omnibus verò exiſtimarem licere Spiritus adiurationibus vrgere, licet non eodem omnibus fructu. Quamuis enim religionis actus ſit *adiuratio,* & ad diuinum cultum ſpectet; ordinis tamen, & qui ſolis Deo conſecratis perſonis conueniat, actus non eſt. Quicunque Deum inuocare poſſunt; Spiritus, per Deum, vt conditionem ſuam prodant,poſſunt adiurare. 14.

Cum fructu tamen ſemper hunc actum non omnes exercent. Exemplo illi ſunt, quorum *Actuum* Apoſtolorum hiſtoria meminit, Cap. *19*. qui cum Dæmoniacos adiurarent, per Deum, quem Paulus prædicaret; tantum abeſt, vt quicquam promouerint; vt in ſe experti ſint crudeles, quibus ipſi dominari poſſe videbantur. Itaque qui Catholicam fidem non profitentur, adiurare Spiritus per Deum poſſunt; feliciter(ſi tamen pro ſuæ doctrinæ confirmatione hoc tentent) ſemper non poſſunt: quemadmodum neque eoſdem ex humanis corporibus eijcere: ſicut alias demonſtratum eſt: Diſputatione de Dæmoniacis. 15.

Atque vt hi fruſtra ſpiritus perſæpe adiurant; ita adiurabunt *vtiliter* admodum, qui ſacris initiati, in Chriſti corpus, tam verum, quàm myſticum,habent poteſtatem: non idcirco ſolum; quia magna eſt in Chriſti Eccleſia poteſtas; verum etiam,quia ſi vllis, his ſumma, in Dæmones, atque omnes moleſtantes Spiritus collata poteſtas. 16.

Et quamuis *vitæ ſanctimonia* ad hoc opus feliciter conficiendum neceſſaria non ſit; tutius tamen, atque confidentius maiori-que cum ſpe victoriæ, Spiritus adiurabunt Sacerdotes, ſi cum poteſtate, qua pollent; vitæ innocentia atque integritas ſit coniuncta. 18.

Proderit & *virtutum exercitium* præmiſiſſe; ieiunij inquam, orationis, atque eleemoſynarum. Quemadmodum hæc præſidia res alias arduas aggreſſuris, adiumento, temporibus omnibus fue- 18.

 runt;

runt; ita hîc fruſtra adhiberi, nullo modo dici debet. *Pietas*, inquit Apoſtolus, *ad omnia vtilis eſt*, 1. Timoth. 4.

19. Quòd verò præter hęc ſolida aduerſus Spiritus pręſidia, etiam *ſacris veſtibus* Sacerdotes induantur, damnari non debet. Dum ſuo officio ſatisfacit Sacerdos; malè facit, ſi ſuo officio conuenientibus vtatur veſtibus?

20. Porrò, *Quibus locis* atque *temporibus* Adiuratio fieri debet? Ijs quibus Spiritibus, quos adiuramus, præſentes eſſe poſſumus. Quis Herbipoli exiſtens adiurabit eos, qui Conſtantinopoli ſunt moleſti? aut eos, quos, vtrum *iam* ſint præſentes ignorat?

21. Quocirca, ſi nocte tantùm moleſti ſunt Spiritus; fruſtra interdiu, quando abſentes putãtur, adhibebitur *Adiuratio*, etiam ijs locis, quibus alioquin moleſti eſſe ſolent. Et ſi in ſola vinaria cella tumultus excitantur; fruſtra adiurabuntur in ſolario. *Adiuratio* ſine locutione non eſt; locutio ad præſentes eſt, non abſentes. Ad abſentes literæ.

22. Vtrum verò hoc vel illo modo præſentes eſſe Spiritus obſeruentur, ad rem parum facit. Sufficit ſi pręſentes conſpiciantur, ſufficit ſi tumultu excitato præſentes eſſe credantur. Quemadmodum loqui contingit præſentibus, tam ijs, quos videmus; quàm quos audimus tantùm: ita *adiurare* poſſumus tam eos, quos coram conſpicimus; quàm quos auditu præſentes eſſe cognoſcimus.

Finis ſecundæ Partis de Locis Infeſtis.

DE LO-

Digitized by Google

DE LOCIS INFESTIS TERTIA PARS DISPVTATIONIS:

IN QVA

MODI, QVIBVS LOCA AB INfeſtatione Spirituum moleſtantium purgari poßint, examinantur & diſcutiuntur.

ISAGOGE IN TERTIAM DISPVTATIONIS partem, de Locis Infeſtis.

TErtia Diſputationis pars reſtat, quæ vt præcipua eſt, ita diligentius perſequenda. In hac modi, quibus Spiritus proſcribuntur, & loca ab ipſorum moleſtia liberantur, exponẽdi ſunt. Et hoc quidem præſtabimus, ſi initio quædam, quæ ad hanc rem viam ſternunt, explicauerimus: qualia ſunt, An ratione aliqua poßint à Spirituum infeſtatione purgari loca: Et, An illa ratio ſit vna, an multiplex: Reiecerimus etiam modos, quæ vel cum ſuperſtitione aliqua coniuncti ſunt, & ob id prohibiti: vel parum ad profligandos Spiritus valére putantur. Sed ad rem.

Digitized by Google

CAP. LIV.

Eſſe aliquam rationem, qua moleſtantes Spiritus proſcribantur, & loca ab ipſorum infeſtatione liberentur.

1. CAuſæ, cur loca ab infeſtatione Spirituum liberari nequeant, ſi quę ſunt, ex *duobus* Capitibus peti debent: ex Spirituum conditione & poteſtate: vel conditione *hominum*, & infirmitate virium humanarum. Et cōditio quidem idcirco prohibere intelligi poteſt; quod alia ſit hominum, alia Sprituū ratio; vt ob id, quamuis etiam ſuperiorum virium homines eſſent, conditione tamē naturæ prohiberentur quicquam in Spiritus agere; quod nihil poſsit corpus in Spiritum: poteſtate autem prohiberentur; ſi non tantæ hominum ſint vires, quantæ Spirituum.

2. Et *vtroq; modo* homines prohibiti *videntur*; ne ſe ſuaq; loca à Spirituum infeſtatione vindicent: ſed tamen neutro prohibiti *ſunt*. Hoc ſi non alijs rationibus, certè *exemplis* ijs docetur, quibus aliâs à nobis demōſtratum eſt per homines, ab humanis corporibus, expelli Spiritus Dæmoniorum. de his in Diſput. de Dæmoniacis.

3. Illis addi poſſunt *alia*, noſtro argumento propria. Refert B. Auguſtinus domum Heſperij, per presbyterum quendam: Metaphraſtes aliam, per Theodorum Sicæorum Archimandritam: B. Gregorius Thermas Angulares per Germanum Capuanum Epiſcopum; Glycas caſtellum Regis Perſarum, per Antiſtitem, Antonius Agrum Bingenſem, per Moguntinum clerum: Chronicon Hirſaugienſe VVormatienſem agrum, per viros religioſos, à Spirituum moleſtia liberatos eſſe. quemadmodum hæc longius proſecuti ſumus Capite primo huius Diſputationis.

4. Nec homines hîc *natura conditio* prohibet. Non ita corpus eſt homo; vt præter corpus ſit nihil. Etiam Spiritu inſtructus eſt. Quemadmodum ad ſublunares res & caducas corpore; ita ad æthereos Spiritus, animo, qui corpori incluſus eſt, accedit.

5. Nec prohibentur *viribus naturæ*. Eſto Spirituum ſint quidam, quorum poteſtas omnem creatā poteſtatem ſuperet: non tamen omnium illa conditio eſt. Etiam humanis Spiritibus loca infeſta ſunt; quibus, an fortè inferiores ſunt, qui corporibus ſunt incluſi homines, hos Spiritus habentes?

6. Sint etiam omnibus Spiritibus inferiores homines; necdum tamen ipſis facultas in Spiritus, viribus & robore potiores negāda eſt.

Quoni-

Quoniam, quod per vires naturæ non poſſunt; poſſunt dono gratię, illius; qui in Spiritus omnes poteſtatem habet omnem, & *Pater Spirituum* dicitur.

Qui olim Dæmonibus imperabant, potentiſsimis Spiritibus, Apoſtoli, *homines* erant: & homines multò ſpiritibus inferiores: & ſi naturæ ipſorum conditionem attendas, iijdem nobiſcum neceſsitatibus ſubiecti: ſed tamen nullo loco in ipſorum pręſentia tuti erant Spiritus. Quidni igitur & iam eadem eſt penes aliquos in Spiritus poteſtas? 7.

Magna vis *Eccleſiæ* eſt relicta à Chriſto; non in homines ſolùm; verùm etiam in Spiritus. Poteſtas hæc quamdiu Eccleſia perdurat, perdurabit. Vtrumque hęc Chriſti oratio docet: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient.* Marci vltimo. Negari igitur non debet eſſe aliquam, qua Spiritus profligantur, rationem. 8.

Sed etſi poteſtas hæc Eccleſiæ relicta non eſſet, non idcirco nulla ratio à Dæmonum infeſtatione nos expediendi nobis ſuppeteret, quoniam quod nec viribus poſſumus naturalibus; nec gratuitis diuinæ clementiæ donis: id poſſumus ad Deum facta *oratione*; oratione, firmiſsimo præſidio, in qua omnium rerum conſequendarum ſpem certiſsimam vult eſſe conſtituendam Seruator mundi. Ioan. 16. 9.

CAP. LV.

Non vnam eſſe rationem, loca à Spirituum moleſtia liberandi: ſed variam atque multiplicem.

NOn vna (ſi ad Deum orationem dempſeris) *ratio eſt, qua loca à Spirituum infeſtatione liberantur. Sed nec vna, qua liberantur eſſe poteſt.* Prius illud, quamuis ex poſteriori clarum ſit, & manifeſtum; oſtendunt modi varij, quos ab alijs atque alijs obſeruatos legimus: poſterius ratione demonſtrandum erit. 1.

Alijs modis loca purgauit Presbyter, cuius meminit B. Auguſtinus; alijs Theodorus Sicæorum Archimandrita: alijs Germanus Epiſcopus Capuanus: alijs Clerus Moguntinus. Presbyter Auguſtini Sacrificio corporis Chriſti: Theodorus aqua luſtrali; Germanus Capuanus oratione facta ad Deum: Clerus Moguntinus 2.

nus Litanijs &c. quemadmodum primo Capite copioſius demonſtratum eſt.

3. Quod verò *nec vna ratio omnibus locis valeat*; primum quidem hoc probat, quòd aliquos his rationibus pulſos obſeruamus; apud quos aliæ rationes nihil valuerunt. Notum eſt in Caſtello Regis Perſarũ quoſuis à Rege accerſitos: nihil adhibitis omnibus machinis effeciſſe: Antiſtitem verò Crucis ſigno omne phantaſma diſpuliſſe; vt Glycas refert. Nec dubium, quin multa tentârint, qui balnea Spectris infeſta (quorum Gregorius Nyſſenus meminit) ſunt ingreſſi; & tamen eorum plurimi à Spectris trucidati; Diaconus verò Gregorij Neocęſarienſis ſolo ſigno crucis munitus exiuit illęſus. Exempla hæc ad longum habes Capite 1.

4. Eſt deinde pro hac re Chriſti ad ſuos Apoſtolos reſponſio. Cùm enim illi fruſtra in Spiritu quodam eijciendo occupati fuiſſent, huiuſque rei cauſam à Domino ſciſcitarentur: intellexerunt *quoddam eſſe genus Spirituum, quod* non quacunque ratione; ſed *ieiunio tantùm & oratione pelleretur*. Matth. 17.

5. Diuerſiſsimarum naturarum ſunt Spiritus: diuerſiſsimarum ſunt conditionum. Sunt quidam boni: ſunt alij mali. Quibus rationibus illi iuuantur; hi non pelluntur. Quæ hos terrent; illa alios poſſunt afficere, & recreare.

6. Quoniam verò *boni* ſunt Spiritus, vel *mali*; qui moleſtant; aliquis duplicem rationem, qua loca purgantur, putauerit conſtituendam. Verùm duplex hæc ratio non ſufficit; propterea; quòd quamuis vnius generis ſint omnes Spiritus boni; non vnius tamen, ſed diuerſorum, ſunt mali: vtpote naturis diſtinctiſsimi.

7. Adde, quod nec Spirituum tantum hîc ratio habenda ſit, ſed locorum etiam. Loca quædam diximus eſſe *propter homines* infeſta, quę per ſe infeſta non ſunt. In his purgandis, non tam Spirituum, qui infeſtant; quàm hominum, propter quos infeſtant, ratio habenda eſt. Sunt alia infeſta *per ſe*: hîc fortè locorum etiam ratio habenda.

8. Ergo vt *materiam rerum dicendarum* ad certa Capita reuocemus; duo modi diſtinguendi ſunt, quibus loca expurgari poſſunt. Vnus eſt, qui ad loca *propter homines* infeſta pertinet: alter, quo loca *per ſe* infeſta liberantur.

9. Poſterior hic rurſus duplex eſt. Nam vel conſtat nobis de Spirituum conditione: vel illa nos latet. Rurſus, cùm conſtat, alius modus eſt qui ſeruit malis Spiritibus proſcribendis; alius qui pellendis & ablegandis bonis. Poſterior hic diuidi non debet: quoniam vna

vna omnium Spirituum bonorum, de quibus noſtra Diſputatio, eſt conditio; vnus finis, idem propoſitum. Prior pro ratione Spirituum (malorum enim Spirituum quidam humani ſunt, quidam Dæmones) rurſus diuiditur.

Quinq; igitur modi explicandi, & excutiendi ſunt; ex quibus tres ſerui- 10
unt Spiritibus *notis* ex *per ſe* infeſtis locis proſcribendis: duo præſcribendis Spiritibus aut *ignotis*, aut qui certos homines perſequuntur.

Et primus erit, quo Dæmonibus moleſtantibus occurritur. Se- 11
cundus, quo à moleſtia purgandorum Spirituum contingit liberari. Tertius, quo pugnatur contra damnatorum hominum Spiritus. Quartus, qua agitur cum Spectris, de quorum conditione, qualia nam ſint, nobis non conſtat. Quintus, quo ſubuenitur hominibus, qui ſe ſequentes & perſequentes patiũtur Spiritus. Hi modi omnes explicandi: ſi prius quoſdam falſos inanes & pernitioſos reiecerimus

NOTATIO.

FAlſi modi, quos reijciendos diximus, prius, quàm veros & bonos proponamus, atq; probemus, duplicis ſunt generis. Quidam videntur ſeruire omnibus Spiritibus, Spirituumq; vexationibus tollendis: quidam certis tantùm, hominum videlicet. Priores illi quinq; ſunt: ſicq; indigitari poſſunt. Oratio aduerſa, externa arma, ignis ardens, incenſum lumen, & obſeratæ fores. Poſteriores ſunt quatuor, quorum duo tantùm Dæmonum infeſtationibus obſtaculo eſſe dicuntur: Sanguis ſcilicet innocentium effuſus, & ſuffimenta quædam duo prohibere reditum & moleſtias Spirituum humanorum. videlicet ſepultura corporum eorundem ſub foco: & tactus certus fabarum. In vniuerſum igitur ſunt octo. A priorum primo faciamus initium, oratione inquam aduerſa.

SEQVVNTVR QVINQVE FALSI MODI quibus exiſtimantur loca purgari, à quorumcunq; Spirituum moleſtia.

CAP. LVI.

An blaſphemijs, conuitijs, atque diris imprecationibus, loca à Spirituum infeſtationibus liberentur.

HAbent quidam hanc conſuetudinem, vt ſi quando infeſtantes Spiritus patiuntur, à quorum moleſtia liberari volunt: ad *blaſphemias* conſugiant, & *imprecationes*; diriſque omnibus Spiritus deuoueāt. Et quia mox à moleſtia liberātur; hanc certiſsimam, & indubitatam volunt eſſe rationem: qua, ſi non ſemper loca liberantur, certò tamen Spiritus profligentur, & ne hominibus moleſti ſint, prohibeantur.

Vſus hac Apolonius Thyanæus, vt in Vita eius ſcribit Philoſtratus, li. 2. ca. 2. Ipſi enim Caucaſum cum Damide & ſocijs tranſeunti, Lamiæ, inquit, Phantaſma occurrit, modò in hanc, modò in aliam figuram ſe conuertens; quandoque ab oculis repente euaneſcens. Apolonius autem quidnam id eſſet agnoſcens, grauibuſque & contumelioſis verbis illud increpans, ſocios, vt idem facerent hortabatur. Id enim contra eiuſmodi inuaſiones optimum eſſe medicamentum. Eius dictis cùm ſocij paruiſſent, ſtridēs Phantaſma celeriter, tanquam idolum, aufugit. Ita ille.

Pro hoc facit, quod lib. 9. Decad. 1. de Rebus Oceanicis refert Petrus Martyr, noctu, & ſæpiſsimè in itineribus, præcipueque vijs publicis mortuos occurrere viuis. cōtra quos ſi viator *intrepidus ſteterit*; diſſoluitur Phantaſma: ſi verò pertimeſcat, illum ita adeundo perterret; vt ſæpius ea formidine multi debilitentur ac ſtupeant. Hoc Martyr.

Vtrum hi Deum offendant; quantum item peccatum committant, noſtrum non eſt definire. Quod præſens Diſputatio poſtulat, docemus *hanc rationem prorſus inanem eſſe, & temerariam*; propterea, quod nec exemplo Sanctorum hominum ſit probata: nec ſacrarum Scripturarum authoritate confirmata: nec ratione vel cauſa vlla, quæ vel ex conditione huius modi, vel ipſorum Spirituum natura peti poteſt, aſtruatur.

Varios modos ad loca à Dæmonum infeſtatione liberanda *Sanctos ho-*

Ros homines adhibuiſſe,dubium non eſt. Eorum quoſdam ſuperius recenſuimus;alios referemus poſtea:hunc,qui *blaſphemijs* conſtat,& *imprecationibus*,ab aliquo vel vſurpatum, vel probatum eſſe,nec legimus,nec audiuimus.

Scripturæ variorum meminerunt Spirituum. Eædem modos,quibus profligantur,ſuggerunt:vbi huius vel meminerint,locus nullus aſsignari poteſt:cuius tamen,ſi in re aliqua, certè in hac Spirituum profligatione,authoritate vti oporteret. 4

Ea huius modi,quem damnamus,*conditio eſt*;vt nihil poſsit in Spiritus. Quid poſſunt voces aſperiùs prolatæ?quid voluntas vocem proferentis, & dira imprecantis?Nihil à corporeis rebus patiuntur Spiritus. *V*oluntas dira imprecantis, imprecãtis malum eſt;non Spiritus,cui imprecatio fit. 5

Varia(vt diximus)ſunt genera Spirituum,qui loca infeſtant: ſed tamen ita affecti, *omnes*, vt vel his recreentur imprecationibus & blaſphemijs:vel malè afficiantur,recreantur mali: afficiuntur malè boni. Quod ſi igitur boni his pelluntur; cur adhibentur ad *omnes* omnino Spiritus profligandos?etiam malos,qui ex his voluptatem capiunt? 6.

Sed nec modus hic,*per ſe*,ad bonos Spiritus pellendos valet.Quiuis enim hi dira imprecantibus cedere poſſunt; non tamen cedere coguntur:Nec in blaſphema voce;nec in diris imprecationibus;nec in vlla,quæ ab homine proficiſcitur,oratione (niſi alicui diuinitus poteſtas collata ſit,quod hîc nõ eſt)hæc vis eſt,vt vllos omnino Spiritus profligare & proſcribere valeat. 7.

*A*t experientia probatum eſt rationem hanc plurimum valere: Spiritibus ſilentium eſſe impoſitum: loca à moleſtijs libera reddita Concedo ad prolatas blaſphemias Spiritus ſiluiſſe:loca moleſtijs fuiſſe liberata:Nego *propter* blaſphemias,& imprecationes,aut ſiluiſſe Spiritus,aut liberata loca. *A*liud eſt ſiluiſſe Spiritus, *dum* blaſphematur Deus,& ipſi diris deuouentur;aliud propter blaſphemias hęc facta eſſe;blaſphemijsque hanc vim, vt Spiritibus ſilentium imponant,& diſceſſum vrgeant,ineſſe. 8.

Quòd ſi vel ſilent Spiritus; vel moleſti eſſe deſinunt ad blaſphemias,& imprecationes:non hoc fit; quia illam vim blaſphemiæ habent,& imprecationes;quam Spiritus ſuſtinere nequeant,longè *alia* ſunt rationes, quæ Spiritus hîc mouent:& aliæ quidem bonos, aliæ malos. 9.

Bonos duæ potiſſimum. Prior eſt, quòd quemadmodum ipſi Deum offendere nolunt;ita ne ab alijs offendatur, deſiderent. Quocirca 10.

 & dili-

& diligentiſſimè cauent, ne vllam ipſi alijs, vel cauſam, vel occaſionem præbeant malè agendi. Altera eſt, quod ab his blaſphemis, & mali precatoribus nullum ſubſidium ſperent; & ob id fruſtra moleſti eſſe nolint.

11. *At hæ rationes non mouent malos Spiritus.* Non ceſſant ab infeſtando; quia voti alicuius compotes fieri nequeunt. Nihil enim petũt. Non ceſſant; quia nolunt Dei offenſam. Hanc maximè expetunt. Cur igitur? quia Dei offenſam expetunt, & deſiderãt. Quærunt omnes modos, & rationes Deum offendendi. Apud blaſphemos igitur, atque improbos, & incontinentis linguæ homines, tumultus excitant, locaque infeſtant; vt ipſos ad blaſphemias prouocent, & impellant: maluntq́; non moleſti eſſe cum Dei offenſa; quàm moleſti eſſe ſine Dei offenſa. quod egregiè *ſuo ſilentio* aſſequuntur.

12. Vnũ tamẽ hîc addo, Conuitia Dæmonibus, ſuperbiſſimis Spiritibus, non poſſe non eſſe moleſta; ſi tamen cũ vera fide, diuinoq́; auxilio coniuncta ſint. Nã & ſancti viri hæc vſurpârunt olim, & quando iam contra Dæmones pugnatur, plurima congeruntur, quemadmodum docent formulæ Exorciſmorum: & ea non prætermiſſe priorum temporum Exorciſtas, docet Prudẽtius contra Symmachum ſequentibus:

Intonat antiſtes Domini: Fuge callide Serpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes.
Mancipium Chriſti, fur corruptiſſime, vexas.

CAP. *LVII.*

An gladijs, lancijs, alijſq́; armorum generibus Spiritus profligentur, & loca reddantur ab ipſorum infeſtatione libera.

1. L*acon quidam nocte præteriens monumentum, cùm videret ſpectrum, accurrit lancea traiecturus: Quò fugis, inquiens, anima bis mortua.* Ita Plutarchus in Laconicis. Et Aeneæ aduerſus Spiritus ferrum tribuit Sibylla apud Virgilium l. 6. Ipſo enim ad inferos deſcendente.

Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cœpta moueri
Syluarum: viſæq́; canes vlulare per vmbram
Aduentante Dea procul ô procul eſte profani,
Conclamat vates: totoq́; abſiſtite luco.

Tu-

Tuq́; inuade viam, vaginaq́; eripe ferrum,
Nunc animis opus eſt Aenea: nunc pectore firmo.

Sic Vlyſſem cum ſtricto gladio ſedentem, nec vſquam prope ad ſacrum cruorem Vmbras accedere permittentem, quàm Tireſiam audierit, ſcribit Homerus, li. *11.* Odyſſeæ.

Laconem hunc, Vlyſſem & Aeneam quidam noſtris temporibus 2.
imitantur: & ſi gladijs inſtructi ſint atque lanceis, alioque armorũ genere, ſe tutos eſſe ab inſultibus & impugnationibus Spirituum arbitrantur: hancq́; ſpiritus profligandi rationem cenſent eſſe expeditiſsimam. Et in Virgilium ſcribit Hortenſius hoc modo: *Multi,* inquit, *aſſerunt Dæmones ferri aciem reformidare & re ipſa compertum eſt. Et noui, quibus hoc ipſum nocturnis horis accidit; ſed cum magna aduerſæ valetudinis conflictatione.* ita Hortenſius.

Verum hi ſe in errore verſari intelligunt aſſerere difficile eſt: 3.
verſari in grauiſsimo, dubium nullum debet eſſe viro Chriſtiano. Quamobrẽ verò? quia impoſsibile, vt Spiritus, quales quales ſint, à gladijs, haſtisque quid patiantur, niſi vel prorſus corporei ſint, vel ſaltem corpora ſibi habeant naturaliter vnita: Hoc porrò, ſine grauiſsimo errore, ſentit nemo: quales quales ſint, qui olim id docuerunt, de quibus vide Rodeginum Cælium, li. 1. ca. 29.

Proſcripta eſt ex Catholicorum animis ſententia Platonis, qui 4.
teſte B. Auguſtino, 8. de Ciuitate cap. 14. 15. 16. docet, Dæmones eſſe *genere animalia: animo paſſiua, mente rationalia: corpore aerea, tempore æterna.* Non audiuntur Tertullianus, libro de Carne Chriſti: & Origenes, lib. 2. Periarchon, cap. *2.* & 3 & quicunque aut hos, aut Platonem ſecuti ſunt, ſubſtantiamq́ue corpoream Spiritibus tribuunt.

Damnati ſunt veteres Philoſophi; quorum *1.* de Anima, à textu 5.
20. ad *35.* meminit Ariſtoteles, Democritus & Leucippus; qui animas dixerunt eſſe ignes, ex rotundis atomis conſtantes. Empedocles, qui ex quatuor putauit cõflari elementis: Diogenes, qui aerem dixit: Hippon, qui aquam: Critias, qui ſanguinem.

Non corpora ſunt *Dæmones*; non corpora habent ſibi naturali- 6.
ter vnita. Non corpora ſunt animæ: non naturaliter ſibi habent aliqua vnita, poſtquam propria ſemel depoſuerunt.

Pro Dæmonibus hîc militant Sacræ Literæ, quæ Angelos omnes 7.
(quocirca & Dæmones) *Spiritus* compellant. Quid quòd Dæmon in Euangelio *immundus* dicatur *Spiritus*? Lucæ *11.*

Conſenſus eſt hic Doctorum, & Patrum Eccleſiæ, præſertim in 8.
Oecumenico Concilio Lateranenſi; vbi ſic legimus (habetur Cap.

Digitized by Google

firmiter, de Summa Trinitate) *vnum eſt vniuerſorum principium; Creator omnium inuiſibilium & viſibilium, Spiritualium & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam; Spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, ex Spiritu & corpore conſtitutam.* Hæc Concilium. Quibus diſtinguit naturam corpoream à Spirituali; docetque Spiritualem, non corpoream, eſſe Angelos; & magis etiam ipſo homine Spirituales.

9. Nec pro hoc argumento deſiderantur rationes. Si corpora vel habent, vel ſunt Angeli; quomodo fieri potuit, vt in vno homine, quemadmodum S. Lucas c. 11. refert 6666 fuerunt Dæmones? potuitne vnus homo tot corporum eſſe capax? Rurſus; quomodo breuiſsimo temporis ſpatio, maxima conficiunt ſpatia? quemadmodum Iob 1. quidam circuiſſe dicitur & perambulaſſe totam terram? Et qui cælos mouent Angeli, ſi Spiritus non ſunt, ſed corpora; quibus antris & locis ſe continent? Præterea, qui in cælo creati, poſt peccata de cælo deiecti ſunt; quomodo ſine cæli ruptura ad Inferos penetrarunt? Et qui tanto tempore cælos mouerunt, quomodo non aliquando fatigantur? Hoc de Angelis.

10. Non minoribus præſidijs *docetur Animas hominum* à concretione corporea eſſe alieniſsimas. Primò, quæ hîc ſeruiunt Scripturæ, illæ ſunt, quæ animas Spiritus vocant. Quot verò ſunt illa? Eccleſiaſtici 12. dicitur: *Reuertitur puluis in terram ſuam, vnde exiuit; & Spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum.* Et Matth. 10. *Nolite timere, eos qui occidũt corpus; animam autem non poſſunt occidere.* Et Lucæ 23. *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Et Rom. 8. *Spiritus Sanctus reddit teſtimonium Spiritui noſtro.* Et Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum.*

11. Nec hic communis Eccleſiæ conſenſus deſideratur. Hoc, vt alia omittam, probat Concilium Lateranenſe, 1285 Patrum, ſub Innocentio III. vbi definitur hominem corpore conſtare & Spiritu. Hic quia *corpus* contra *Spiritum* diſtinguitur; hoc ipſo probatur animus eſſe Spiritus; quia negatur eſſe corpus.

12. Si rationes pro hoc argumento quæruntur, plures reddi poſſunt. Vna nos aut altera contenti ſumus. Poteſtné fieri, vt duo ſint in eodem loco corpora? At in eodem cum corpore loco eſt anima. Aut igitur corpus non eſt corpus, aut animus non eſt corpus. Præterea, ſi corpus eſt anima; nulla profectò extra ſe poſita corpora, qualiacunq; etiã illa ſint intelliget, propterea, quòd, vt Philoſophi loquuntur, *intus exiſtens prohibeat extraneum.* Cui verò hoc, vel per ſomnium in mentem venit?

Quæ

Digitized by Google

Quæ cùm ita ſint: cùm nec corpora ſint infeſtantes Spiritus; nec corpora habeant ſibi naturaliter vnita; cur nos gladijs atque fuſtibus, aduerſus ipſos, armamus? Non fugit Laconis lanceam Spectrū, quod ex monumentis prodibat. Nec vmbræ terrebantur ferro Vlyſsis, aut Aeneę. Non gladios hodie fugiunt, qui nos moleſtant Spiritus. Si fugiunt; fugiunt, quia volunt; non quia fugere coguntur. Atque hoc Aeneam eundem aliquando docuit Sibylla: vt ob id prius ironicè locuta credatur. Sic enim de hac re Virgilius ſexto AEneid. 13.

Corripit hîc ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamq́; aciem venientibus offert.
Et ni docta comes, tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ;
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet Vmbras.

Fugiunt igitur aciem ferri Spiritus; non quia coguntur, ſed quia volunt.

Voluntatis autem ipſorum aliæ atque aliæ ſunt cauſæ; pro vt alia atq; alia eſt conditio Spirituum. Propoſitum eſt *malis* ſimulata fuga adducere in errorem. Propoſitum eſt *bonis* errorem cauere: ibi ſubſidium non poſtulare, vbi ſubſidij conſequendi nulla ſpes eſſe videtur. 14.

CAP. LVIII.

An igne incenſo, ſiue in ipſos proiecto abigantur Spiritus: & loca, quæ infeſta reddunt, cogantur deſerere.

IGnem ad Spiritus abigēdos & proſcribendos plurimùm valere, quamuis (niſi fallor) nullus ſit, qui docuerit; ex duobus tamen quis, vt credat, poſſet induci. Alterum eſt, quòd igne Spiritus omnes, qui moleſti ſunt torqueantur. Alterum, quòd non rebus tantùm aduerſis; verùm etiam aduerſarū rerum *ſignis* terreantur, illaq; deteſtentur: vt ob hæc credendum ſit, vel fugere Spiritus, quod noſtro igne crucientur; vel ſi non crucientur, ad eius conſpectum non ſubſiſtere; quòd noſtro tanquam *ſigno* infernalis ignis in memoriam veniat. 1.

Hæc confirmant, quæ de S. Ambroſio, in eius Vita ſcribit S. Paulinus. Miſerat ad Ambroſium internecandū Dæmones Imperatrix Iuſtina. Sed fruſtra. Renunciarunt enim Spiritus Nequam, ſe non ſolùm ad ipſum minimè appropinquare potuiſſe; verū etiam nec ad fores domus, in qua manebat Epiſcopus, habuiſſe acceſſum; propte-

rea,

runt; ita hîc fruſtra adhiberi, nullo modo dici debet. *Pietas*, inquit Apoſtolus, *ad omnia vtilis eſt*, 1. Timoth. 4.

19. Quòd verò præter hęc ſolida aduerſus Spiritus pręſidia, etiam *ſacris veſtibus* Sacerdotes induantur, damnari non debet. Dum ſuo officio ſatisfacit Sacerdos; malè facit, ſi ſuo officio conuenientibus vtatur veſtibus?

20. Porrò, *Quibus locis* atque *temporibus* Adiuratio fieri debet? Ijs quibus Spiritibus, quos adiuramus, præſentes eſſe poſſumus. Quis Herbipoli exiſtens adiurabit eos, qui Conſtantinopoli ſunt moleſti? aut eos, quos, vtrum *iam* ſint præſentes ignorat?

21. Quocirca, ſi nocte tantùm moleſti ſunt Spiritus; fruſtra interdiu, quando abſentes putãtur, adhibebitur *Adiuratio*, etiam ijs locis, quibus alioquin moleſti eſſe ſolent. Et ſi in ſola vinaria cella tumultus excitantur; fruſtra adiurabuntur in ſolario. *Adiuratio* ſine locutione non eſt; locutio ad præſentes eſt, non abſentes. Ad abſentes literæ.

22. Vtrum verò hoc vel illo modo præſentes eſſe Spiritus obſeruentur, ad rem parum facit. Sufficit ſi pręſentes conſpiciantur, ſufficit ſi tumultu excitato præſentes eſſe credantur. Quemadmodum loqui contingit præſentibus, tam ijs, quos videmus; quàm quos audimus tantùm: ita *adiurare* poſſumus tam eos, quos coram conſpicimus; quàm quos auditu præſentes eſſe cognoſcimus.

Finis ſecundæ Partis de Locis Infeſtis.

DE LO-

DE LOCIS INFESTIS TERTIA PARS DISPVTATIONIS:

IN QVA

MODI, QVIBVS LOCA AB INfeſtatione Spirituum moleſtantium purgari poßint, examinantur & diſcutiuntur.

ISAGOGE IN TERTIAM DISPVTATIOnis partem, de Locis Infeſtis.

Tertia Diſputationis pars reſtat, quæ vt præcipua eſt, ita diligentius perſequenda. In hac modi, quibus Spiritus proſcribuntur, & loca ab ipſorum moleſtia liberantur, exponēdi ſunt. Et hoc quidem præſtabimus, ſi initio quædam, quæ ad hanc rem viam ſternunt, explicauerimus: qualia ſunt, An ratione aliqua poßint à Spirituum infeſtatione purgari loca: Et, An illa ratio ſit vna, an multiplex: Reiecerimus etiam modos, quæ vel cum ſuperſtitione aliqua coniuncti ſunt, & ob id prohibiti: vel parum ad profligandos Spiritus valere putantur. Sed ad rem.

CAP. LIV.

Eſſe aliquam rationem, qua moleſtantes Spiritus proſcribantur, & loca ab ipſorum infeſtatione liberentur.

1. CAuſæ, cur loca ab infeſtatione Spirituum liberari nequeant, ſi quę ſunt, ex *duobus* Capitibus peti debent: ex Spirituum conditione & poteſtate: vel conditione *hominum*, & infirmitate viirum humanarum. Et códitio quidem idcirco prohibere intelligi poteſt; quod alia ſit hominum, alia Sprituú ratio; vt ob id, quamuis etiam ſuperiorum virium homines eſſent, conditione tamé naturæ prohiberentur quicquam in Spiritus agere; quod nihil poſſit corpus in Spiritum: poteſtate autem prohiberentur; ſi non tantæ hominum ſint vires, quantæ Spirituum.

2. Et *vtroq; modo* homines prohibiti *videntur*; ne ſe ſuaq; loca à Spirituum infeſtatione vindicent: ſed tamen neutro prohibiti *ſunt*. Hoc ſi non alijs rationibus, certè *exemplis* ijs docetur, quibus aliâs à nobis demóſtratum eſt per homines, ab humanis corporibus, expelli Spiritus Dæmoniorum. de his in Diſput. de Dæmoniacis.

3. Illis addi poſſunt *alia*, noſtro argumento propria. Refert B. Auguſtinus domum Heſperij, per presbyterum quendam: Metaphraſtes aliam, per Theodorum Sicæorum Archimandritam: B. Gregorius Thermas Angulares per Germanum Capuanum Epiſcopum; Glycas caſtellum Regis Perſarum, per Antiſtitem, Antonius Agrum Bingenſem, per Moguntinum clerum: Chronicon Hirſaugienſe VVormatienſem agrum, per viros religioſos, à Spirituum moleſtia liberatos eſſe. quemadmodum hæc longius proſecuti ſumus Capite primo huius Diſputationis.

4. Nec homines hîc *naturæ conditio* prohibet. Non ita corpus eſt homo; vt præter corpus ſit nihil. Etiam Spiritu inſtructus eſt. Quemadmodum ad ſublunares res & caducas corpore; ita ad æthereos Spiritus, animo, qui corpori incluſus eſt, accedit.

5. Nec prohibentur *viribus naturæ*. Eſto Spirituum ſint quidam, quorum poteſtas omnem creatã poteſtatem ſuperet: non tamen omnium illa conditio eſt. Etiam humanis Spiritibus loca infeſta ſunt; quibus, an fortè inferiores ſunt, qui corporibus ſunt incluſi homines, hos Spiritus habentes?

6. Sint etiam omnibus Spiritibus inferiores homines; necdum tamen ipſis facultas in Spiritus, viribus & robore potiores negãda eſt. Quoni-

Quoniam, quod per vires naturæ non poſſunt; poſſunt dono gratię, illius; qui in Spiritus omnes poteſtatem habet omnem, & *Pater Spirituum* dicitur.

Qui olim Dæmonibus imperabant, potentiſsimis Spiritibus, Apoſtoli, *homines* erant: & homines multò ſpiritibus inferiores: & ſi naturæ ipſorum conditionem attendas, iiſdem nobiſcum neceſsitatibus ſubiecti: ſed tamen nullo loco in ipſorum pręſentia tuti erant Spiritus. Quidni igitur & iam eadem eſt penes aliquos in Spiritus poteſtas? 7.

Magna vis *Eccleſiæ* eſt relicta à Chriſto; non in homines ſolùm; verùm etiam in Spiritus. Poteſtas hæc quamdiu Eccleſia perdurat, perdurabit. Vtrumque hęc Chriſti oratio docet: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient.* Marci vltimo. Negari igitur non debet eſſe aliquam, qua Spiritus profligantur, rationem. 8.

Sed etſi poteſtas hæc Eccleſiæ relicta non eſſet, non idcirco nulla ratio à Dæmonum infeſtatione nos expediendi nobis ſuppeteret, quoniam quod nec viribus poſſumus naturalibus; nec gratuitis diuinæ clementiæ donis: id poſſumus ad Deum facta *oratione*; oratione, firmiſsimo præſidio, in qua omnium rerum conſequendarum ſpem certiſsimam vult eſſe conſtituendam Seruator mundi. Ioan. 16. 9.

CAP. LV.

Non vnam eſſe rationem, loca à Spirituum moleſtia liberandi: ſed variam atque multiplicem.

Non vna (ſi ad Deum orationem dempſeris) *ratio eſt, qua loca à Spirituum infeſtatione liberantur. Sed nec vna, qua liberantur eſſe poteſt.* Prius illud, quamuis ex poſteriori clarum ſit, & manifeſtum; oſtendunt modi varij, quos ab alijs atque alijs obſeruatos legimus: poſterius ratione demonſtrandum erit. 1.

Alijs modis loca purgauit Presbyter, cuius meminit B. Auguſtinus; alijs Theodorus Sicæorum Archimandrita: alijs Germanus Epiſcopus Capuanus: alijs Clerus Moguntinus. Presbyter Auguſtini Sacrificio corporis Chriſti: Theodorus aqua luſtrali; Germanus Capuanus oratione facta ad Deum: Clerus Moguntinus 2.

nus Litanijs &c. quemadmodum primo Capite copioſius demonſtratum eſt.

3. Quod verò *nec vna ratio omnibus locis valeat*; primum quidem hoc probat, quòd aliquos his rationibus pulſos obſeruamus; apud quos aliæ rationes nihil valuerunt. Notum eſt in Caſtello Regis Perſarũ quoſuis à Rege accerſitos: nihil adhibitis omnibus machinis effeciſſe: Antiſtitem verò Crucis ſigno omne phantaſma diſpuliſſe; vt Glycas refert. Nec dubium, quin multa tentârint, qui balnea Spectris infeſta (quorum Gregorius Nyſſenus meminit) ſunt ingreſsi; & tamen eorum plurimi à Spectris trucidati; Diaconus verò Gregorij Neocęſarienſis ſolo ſigno crucis munitus exiuit illęſus. Exempla hæc ad longum habes Capite 1.

4. Eſt deinde pro hac re Chriſti ad ſuos Apoſtolos reſponſio. Cùm enim illi fruſtra in Spiritu quodam eijciendo occupati fuiſſent, huiusque rei cauſam à Domino ſciſcitarentur: intellexerunt *quoddam eſſe genus Spirituum, quod* non quacunque ratione; ſed *ieiunio tantùm & oratione pelleretur*. Matth. 17.

5. Diuerſiſsimarum naturarum ſunt Spiritus: diuerſiſsimarum ſunt conditionum. Sunt quidam boni: ſunt alij mali. Quibus rationibus illi iuuantur; hi non pelluntur. Quæ hos terrent; illa alios poſſunt afficere, & recreare.

6. Quoniam verò *boni* ſunt Spiritus, vel *mali*; qui moleſtant; aliquis duplicem rationem, qua loca purgantur, putauerit conſtituendam. Verùm duplex hæc ratio non ſufficit; propterea; quòd quamuis vnius generis ſint omnes Spiritus boni; non vnius tamen, ſed diuerſorum, ſunt mali: vtpote naturis diſtinctiſsimi.

7. Adde, quod nec Spirituum tantum hîc ratio habenda ſit, ſed locorum etiam. Loca quædam diximus eſſe *propter homines* infeſta, quę per ſe infeſta non ſunt. In his purgandis, non tam Spirituum, qui infeſtant; quàm hominum, propter quos infeſtant, ratio habenda eſt. Sunt alia infeſta *per ſe*: hic fortè locorum etiam ratio habenda.

8. Ergo vt *materiam rerum dicendarum* ad certa Capita reuocemus; duo modi diſtinguendi ſunt, quibus loca expurgari poſſunt. Vnus eſt, qui ad loca *propter homines* infeſta pertinet: alter, quo loca *per ſe* infeſta liberantur.

9. Poſterior hic rurſus duplex eſt. Nam vel conſtat nobis de Spirituum conditione: vel illa nos latet. Rurſus, cùm conſtat, alius modus eſt qui ſeruit malis Spiritibus proſcribendis; alius qui pellendis & ablegandis bonis. Poſterior hic diuidi non debet: quoniam vna

vna omnium Spirituum bonorum, de quibus noſtra Diſputatio, eſt conditio; vnus finis, idem propoſitum. Prior pro ratione Spirituum (malorum enim Spirituum quidam humani ſunt, quidam Dæmones) rurſus diuiditur.

Quinq; igitur modi explicandi, & excutiendi ſunt; ex quibus tres ſerui- 10.
unt Spiritibus *notis* ex per ſe infeſtis locis proſcribendis: duo præſcribendis Spiritibus aut *ignotis*, aut qui certos homines perſequuntur.

Et primus erit, quo Dæmonibus moleſtantibus occurritur. Se- 11.
cundus, quo à moleſtia purgandorum Spirituum contingit liberari. Tertius, quo pugnatur contra damnatorum hominum Spiritus. Quartus, qua agitur cum Spectris, de quorum conditione, qualia nam ſint, nobis non conſtat. Quintus, quo ſubuenitur hominibus, qui ſe ſequentes & perſequentes patiũtur Spiritus. Hi modi omnes explicandi: ſi prius quoſdam falſos inanes & pernitioſos reiecerimus

NOTATIO.

Falſi modi, quos reijciendos diximus, prius, quàm veros & bonos proponamus, atq; probemus, duplicis ſunt generis. Quidam videntur ſeruire omnibus Spiritibus, Spirituumq; vexationibus tollendis: quidam certis tantùm, hominum videlicet. Priores illi quinq; ſunt: ſicq; indigitari poſſunt. Oratio aduerſa, externa arma, ignis ardens, incenſum lumen, & obſeratæ fores. Poſteriores ſunt quatuor, quorum duo tantùm Dæmonum infeſtationibus obſtaculo eſſe dicuntur: Sanguis ſcilicet innocentium effuſus, & ſuffimenta quædam duo prohibere reditum & moleſtias Spirituum humanorum. videlicet ſepultura corporum eorundem ſub foco: & tactus certus fabarum. In vniuerſum igitur ſunt octo. A priorum primo faciamus initium, oratione inquam aduerſa.

Digitized by Google

Nos homines adhibuiſſe, dubium non eſt. Eorum quoſdam ſuperius recenſuimus; alios referemus poſtea: hunc, qui *blaſphemijs* conſtat, & *imprecationibus*, ab aliquo vel vſurpatum, vel probatum eſſe, nec legimus, nec audiuimus.

Scripturæ variorum meminerunt Spirituum. Eædem modos, quibus profligantur, ſuggerunt: vbi huius vel meminerint, locus nullus aſsignari poteſt: cuius tamen, ſi in re aliqua, certè in hac Spirituum profligatione, authoritate vti oporteret. 4

Ea huius modi, quem damnamus, *conditio eſt*; vt nihil poſsit in Spiritus. Quid poſſunt voces aſperiùs prolatæ? quid voluntas vocem proferentis, & dira imprecantis? Nihil à corporeis rebus patiuntur Spiritus. Voluntas dira imprecantis, imprecātis malum eſt, non Spiritus, cui imprecatio fit. 5.

Varia (vt diximus) ſunt genera Spirituum, qui loca infeſtant: ſed tamen ita affecti, *omnes*, vt vel his recreentur imprecationibus & blaſphemijs: vel malè afficiantur, recreantur mali: afficiuntur malè boni. Quod ſi igitur boni his pelluntur; cur adhibentur ad *omnes* omnino Spiritus profligandos? etiam malos, qui ex his voluptatem capiunt? 6.

Sed nec modus hic, *per ſe*, ad bonos Spiritus pellendos valet. Quāuis enim hi dira imprecantibus cedere poſſunt; non tamen cedere coguntur. Nec in blaſphema voce; nec in diris imprecationibus; nec in vlla, quæ ab homine proficiſcitur, oratione (niſi alicui diuinitus poteſtas collata ſit, quod hîc nõ eſt) hæc vis eſt, vt vllos omnino Spiritus profligare & proſcribere valeat. 7.

At experientia probatum eſt rationem hanc plurimum valere: Spiritibus ſilentium eſſe impoſitum: loca à moleſtijs libera reddita. Concedo ad prolatas blaſphemias Spiritus ſiluiſſe: loca moleſtijs fuiſſe liberata: Nego *propter* blaſphemias, & imprecationes, aut ſiluiſſe Spiritus, aut liberata loca. Aliud eſt ſiluiſſe Spiritus, *dum* blaſphematur Deus, & ipſi diris deuouentur; aliud propter blaſphemias hęc facta eſſe; blaſphemijsque hanc vim, vt Spiritibus ſilentium imponant, & diſceſſum vrgeant, ineſſe. 8.

Quòd ſi vel ſilent Spiritus; vel moleſti eſſe deſinunt ad blaſphemias, & imprecationes: non hoc fit; quia illam vim blaſphemiæ habent, & imprecationes; quam Spiritus ſuſtinere nequeant, longè *alia* ſunt rationes, quæ Spiritus hîc mouent: & aliæ quidem bonos, aliæ malos. 9.

Bonos duæ potiſſimum. Prior eſt, quòd quemadmodum ipſi Deum offendere nolunt; ita ne ab alijs offendatur, deſiderent. Quocirca 10.

& diligentiſsimè cauent, ne vllam ipſi alijs, vel cauſam, vel occaſionem præbeant malè agendi. Altera eſt, quod ab his blaſphemis, & mali precatoribus nullum ſubſidium ſperent; & ob id fruſtra moleſti eſſe nolint.

11. *At hæ rationes non mouent malos Spiritus* Non ceſſant ab infeſtando; quia voti alicuius compotes fieri nequeunt. Nihil enim petūt. Non ceſſant; quia nolunt Dei offenſam Hanc maximè expetunt. Cur igitur? quia Dei offenſam expetunt, & deſiderāt. Quærunt omnes modos, & rationes Deum offendendi. Apud blaſphemos igitur, atque improbos, & incontinentis linguæ homines, tumultus excitant, locaque infeſtant; vt ipſos ad blaſphemias prouocent, & impellant: maluntq́; non moleſti eſſe cum Dei offenſa; quàm moleſti eſſe ſine Dei offenſa. quod egregiè *ſuo ſilentio* aſſequuntur.

12. Vnū tamē hīc addo, Conuitia Dęmonibus, ſuperbiſsimis Spiritibus, non poſſe non eſſe moleſta; ſi tamen cū vera fide, diuinoq́; auxilio coniuncta ſint. Nā & ſancti viri hæc vſurpârunt olim, & quando iam contra Dæmones pugnatur, plurima coguntur, quemadmodum docent formulæ Exorciſmorum: & ea non prætermiſſe priorum temporum Exorciſtas, docet Prudētius contra Symmachum ſequentibus:

Intonat Antiſtes Domini: Fuge callide Serpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes.
Mancipium Chriſti, fur corruptiſsime, vexas.

CAP. LVII.

An gladijs, lancijs, aliiſq́; armorum generibus Spiritus profligentur, & loca reddantur ab ipſorum infeſtatione libera.

1. L*Acon quidam nocte præteriens monumentum, cùm videret Spectrum, accurrit lancea traiecturus: Quò fugis, inquiens, anima bis mortua.* Ita Plutarchus in Laconicis. Et Aeneæ aduerſus Spiritus ferrum tribuit Sibylla apud Virgilium l. 6. Ipſo enim ad inferos deſcendente.

Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cœpta moueri
Syluarum: viſæq́; canes vlulare per vmbram
Aduentante Dea procul ô procul eſte profani,
Conclamat vates: totoq; abſiſtite luco.

Tug;

Digitized by Google

Tuq́; inuade viam, vaginaq́; eripe ferrum,
Nunc animis opus eſt Aenea: nunc pectore firmo.

Sic Vlyſſem cum ſtricto gladio ſedentem, nec vſquam prope ad ſacrum cruorem Vmbras accedere permittentem, quàm Tireſiam audierit, ſcribit Homerus, li. *11.* Odyſſeæ.

Laconem hunc, Vlyſſem & Aeneam quidam noſtris temporibus imitantur: & ſi gladijs inſtructi ſint atque lanceis, alioque armorũ genere, ſe tutos eſſe ab inſultibus & impugnationibus Spirituum arbitrantur: hancq́; ſpiritus profligandi rationem cenſent eſſe expeditiſsimam. Et in Virgilium ſcribit Hortenſius hoc modo: *Multi,* inquit, *aſſerunt Dæmones ferri aciem reformidare & re ipſa compertum eſt. Et noui, qui his hoc ipſum nocturnis horis accidit; ſed cum magna aduerſa valetudinis conſtitutione.* ita Hortenſius. 2.

Verum hi ſe in errore verſari intelligant aſſerere difficile eſt: *verſari in grauiſsimo, dubium nullum debet eſſe viro Chriſtiano*. Quamobrẽ verò? quia impoſsibile, vt Spiritus, quales quales ſint, à gladijs, haſtiſque quid patiantur, niſi vel prorſus corporei ſint, vel ſaltem corpora ſibi habeant naturaliter vnita: Hoc porrò, ſine grauiſsimo errore, ſentit nemo: quales quales ſint, qui olim id docuerunt, de quibus vide Rodeginum Cælium, li. 1. ca. 29. 3.

Proſcripta eſt ex Catholicorum animis ſententia Platonis, qui teſte B. Auguſtino, 8. de Ciuitate cap. 4. 15. 16. docet, Dæmones eſſe *genere animalia: animo paſſiua, mente rationalia: corpore aërea, tempore æterna.* Non audiuntur Tertullianus, libro de Carne Chriſti: & Origenes, lib. 2. Periarchon, cap. 2. & 3 & quicunque aut hos, aut Platonem ſecuti ſunt, ſubſtantiamque corpoream Spiritibus tribuunt. 4.

Damnati ſunt veteres Philoſophi; quorum 1 de Anima, à textu 20. ad 35. meminit Ariſtoteles, Democritus & Leucippus; qui animas dixerunt eſſe ignes, ex rotundis atomis conſtantes. Empedocles, qui ex quatuor putauit cõflari elementis: Diogenes, qui aerem dixit: Hippon, qui aquam: Critias, qui ſanguinem. 5.

Non corpora ſunt *Dæmones*; non corpora habent ſibi naturaliter vnita. Non corpora ſunt animæ: non naturaliter ſibi habent aliqua vnita, poſtquam propria ſemel depoſuerunt. 6.

Pro Dæmonibus hîc militant Sacræ Literæ, quæ Angelos omnes (quocirca & Dæmones) *Spiritus* compellant. Quid quòd Dæmon in Euangelio *immundus* dicatur *Spiritus* ? Lucæ *11*. 7.

Conſenſus eſt hic Doctorum, & Patrum Eccleſiæ, præſertim in Oecumenico Concilio Lateranenſi; vbi ſic legimus (habetur Cap. 8.

Digitized by Google

firmiter, de Summa Trinitate) *vnum eſt vniuerſorum principium; Creator omnium inuiſibilium & viſibilium, Spiritualium & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam; Spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, ex Spiritu & corpore conſtitutam.* Hæc Concilium. Quibus diſtinguit naturam corpoream à Spirituali; docetque Spiritualem, non corpoream, eſſe Angelos; & magis etiam ipſo homine Spirituales.

9. Nec pro hoc argumento deſiderantur rationes. Si corpora vel habent, vel ſunt Angeli; quomodo fieri potuit, vt in vno homine, quemadmodum S. Lucas c. 11. refert 6666 fuerunt Dæmones? potuitne vnus homo tot corporum eſſe capax? Rurſus; quomodo breuiſsimo temporis ſpatio, maxima conficiunt ſpatia? quemadmodum Iob 1. quidam circuiſſe dicitur & perambulaſſe totam terram? Et qui cælos mouent Angeli, ſi Spiritus non ſunt, ſed corpora; quibus antris & locis ſe continent? Præterea, qui in cælo creati, poſt peccata de cælo deiecti ſunt; quomodo ſine cæli ruptura ad Inferos penetrarunt? Et qui tanto tempore cælos mouerunt, quomodo non aliquando fatigantur? Hoc de Angelis.

10. Non minoribus præſidijs *docetur Animas hominum* à concretione corporea eſſe alieniſsimas. Primò, quæ hîc ſeruiunt Scripturæ, illæ ſunt, quæ animas Spiritus vocant. Quot verò ſunt illa? Eccleſiaſtici 12. dicitur: *Reuertitur puluis in terram ſuam, vnde exiuit; & Spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum.* Et Matth. 10. *Nolite timere, eos qui occidũt corpus; animam autem non poſſunt occidere.* Et Lucæ 23. *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Et Rom. 8. *Spiritus Sanctus reddit teſtimonium Spiritui noſtro.* Et Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum.*

11. Nec hic communis Eccleſiæ conſenſus deſideratur. Hoc, vt alia omittam, probat Concilium Lateranenſe, 1285 Patrum, ſub Innocentio III. vbi definitur hominem corpore conſtare & Spiritu. Hic quia *corpus* contra *Spiritum* diſtinguitur; hoc ipſo probatur animus eſſe Spiritus; quia negatur eſſe corpus.

12. Si rationes pro hoc argumento quæruntur, plures reddi poſſunt. Vna nos aut altera contenti ſumus. Poteſtné fieri, vt duo ſint in eodem loco corpora? At in eodem cum corpore loco eſt anima. Aut igitur corpus non eſt corpus, aut animus non eſt corpus. Præterea, ſi corpus eſt anima; nulla profectò extra ſe poſita corpora, qualiacunq; etiã illa ſint intelliget, propterea, quòd, vt Philoſophi loquuntur, *intus exiſtens prohibeat extraneum.* Cui verò hoc, vel per ſomnium in mentem venit?

Quæ

Quæ cùm ita ſint: cùm nec corpora ſint infeſtantes Spiritus; nec 13.
corpora habeant ſibi naturaliter vnita; cur nos gladijs atque fuſtibus, aduerſus ipſos, armamus? Non fugit Laconis lanceam Spectrũ, quod ex monumentis prodibat. Nec vmbræ terrebantur ferro Vlyſsis, aut Aneeę. Non gladios hodie fugiunt, qui nos moleſtant Spiritus. Si fugiunt; fugiunt, quia volunt; non quia fugere coguntur. Atque hoc Aeneam eundem aliquando docuit Sibylla: vt ob id prius ironicè locuta credatur. Sic enim de hac re Virgilius ſexto AEneid.

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamq́ aciem venientibus offert.
Et ni docta comes, tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ;
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet Vmbras.

Fugiunt igitur aciem ferri Spiritus; non quia coguntur, ſed quia volunt.

Voluntatis autem ipſorum aliæ atque aliæ ſunt cauſæ; pro vt alia 14.
atq; alia eſt conditio Spirituum. Propoſitum eſt *malis* ſimulata fuga adducere in errorem. Propoſitum eſt *bonis* errorem cauere: ibi ſubſidium non poſtulare, vbi ſubſidij conſequendi nulla ſpes eſſe videtur.

CAP. LVIII.

An igne incenſo, ſiue in ipſos proiecto abigantur Spiritus: & loca, quæ infeſta reddunt, cogantur deſerere.

IGnem ad Spiritus abigẽdos & proſcribendos plurimùm 1.
valere, quamuis (niſi fallor) nullus ſit, qui docuerit; ex duobus tamen quis, vt credat, poſſet induci. Alterum eſt, quòd igne Spiritus omnes, qui moleſti ſunt torqueantur. Alterum, quòd non rebus tantùm aduerſis; verùm etiam aduerſarũ rerum *ſignis* terreantur, illaq́; deteſtentur: vt ob hæc credendum ſit, vel fugere Spiritus, quod noſtro igne crucientur; vel ſi non crucientur, ad eius conſpectum non ſubſiſtere; quòd noſtro tanquam *ſigno* infernalis ignis in memoriam veniat.

Hæc confirmant, quæ de S. Ambroſio, in eius Vita ſcribit S. Paulinus. Miſerat ad Ambroſium internecandũ Dæmones Imperatrix Iuſtina. Sed fruſtra. Renunciarunt enim Spiritus Nequam, ſe non ſolùm ad ipſum minimè appropinquare potuiſſe; verũ etiam nec ad fores domus, in qua manebat Epiſcopus, habuiſſe acceſſum; propterea,

rea, quòd *ignis inſuperabilis* omne illud ædificium communiret, vt etiam longè poſiti vrerentur. Hæc Paulinus, teſte Cæſare Baronio 4. Annalium Tomo.

3. Ad hæc narrat lib 8. Trip. Hiſt. cap. 28. Sozomenus, Apelli, viro ſancto, cùm faber ferrarius eſſet, noctuq; ferrum accuderet, vt formoſiſsimæ muliires forma, vt ad libidinem eum prouocaret, Dæmonem apparuiſſe. Sed illum candens ilicò, è fornace ferrum extraxiſſe, in huiuſque faciem impegiſſe: ſicque hunc eiulantem, frementemque, dicto citius fugiſſe.

Poſſet argumentum hoc illudi; ſi dicatur; vel verum non eſſe apud inferos ignem, qui Spiritus torquet: vel ipſos illo igne non verè, ac propriè torqueri; vel certè extra infernum, igne infernali non torqueri.

4. Veruntamen nullum horum dici debet à veritatis ſtudioſo, & communioris Doctorum ſententiæ amante. *Verus eſt ignis*, quo torquentur Spiritus. *Verè* illo igne torquentur. Torquentur illo etiam *extra* communem damnatorum locum exiſtẽtes, & nobiſcum conuerſantes.

5. *Verum ignẽ eſſe* (vt in Patrum ſententijs recenſendis moleſtus non ſim) vel illud non leue eſt argumentum; quòd eius frequens, & ſub proprio *ignis* nomine, in Scripturis fiat mentio. Marci 9. damnati dicuntur *mittendi in ignẽ inexſtinguibilem.* Ioan. 15. Palmes, qui fructũ non fert, *conijcitur in ignem & ardet.* Apocal. 14. *Igne & ſulphure cruciantur*, qui adorauerũt beſtiam. Iſaiæ vltimo, præuaricatorum pœna docetur eſſe *ignis, qui non exſtinguitur.* Denique Dominus in tremendo illo iudicio, eos, qui à ſiniſtris eius ſtabunt, miſſurus eſt in ignem; qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Matth. 25.

6. Quòd autẽ *verè miſeros torqueat*, his ipſis, iam allatis locis doceri poteſt. *Cruciandos* hoc igne, & ſulphure docet ſanctiſsimus Ioannes: & *arſuros* Dominus ſimilitudine palmitis. Si verò *paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*; vt ex eo voluptatem capiant, paratus dici poteſt? illi ſcilicet, qui ob peccata grauiſsima grauiſsimis ſunt digni ſupplicijs? & in ignem, vt puniantur, mittuntur? *Miris*, inquit B. Auguſtinus, 20. de Ciuit. capit. 10 *ſed tamen veris modis pœna ignis corporei affligit Spiritus.*

7. An verò in inferno *tantùm* hoc igne torquentur? Torquentur; veruntamen *non tantùm.* Suum ſemper ignem ſecum circumferunt miſeri Spiritus; quia ſemper ſunt miſeri; etiam dum extra infernum exiſtunt: quemadmodum qui beati, vbicunq; etiam ſint, beati ſunt.

Hæc

Hæc cùm ita ſint, quidni noſtro igne fugantur Spiritus? Fortè infernalis torquet; noſter non torquet? quam ob cauſam? Alterius forſitan rationis eſt infernalis, alterius noſter? Alterius rationis nó eſt,& vt eſſet: in Spiritus ſaltem aliquid poterit,ſi non quantum infernalis, poterit. 8.

Fortè noſtro igne torquentur Spiritus;ſed tamen fugere nolunt. At mirum eſt,fugere nolle;qui non fugiendo graues patiuntur cruciatus; quos fugiendo poſſunt euadere. Fortè malum, quod ignis affert, tantum non eſt,vt delectationem,quam ex hominum moleſtia capiunt,ei velint poſtponere. At quæ & quibus de cauſis tanta delectatio? 9.

Videntur hæ aliquid probabilitatis habere,& pro igne aduerſus Spiritus pugnare; veruntamen veritatis habent nihil, *Igne noſtro, quantumcunq; maximo, Spiritus non abiguntur.* quia nec ignis noſter quicquam agit in Spiritus:nec ipſi ignem,tanquam *ſignum* infernalium pœnarum, exhorreſcunt. 10.

Nullis pro huius aſſertione præſidijs alijs opus eſt, quàm quibus hactenus demonſtratum eſt,nihil Spiritus pati à blaſphemis orationibus: à gladijs & lanceis. Quemadmodum hæc omnia nihil poſſunt in Spiritus; quod Spiritibus multo ſunt inferiores virtutis & conditionis;ita nihil ob eandem cauſam poteſt in Spiritus Elementium ignis. 11.

Neque huius ratio eſt, quod alterius rationis ſit *ille* alterius *noſter.* Siue alterius rationis ſit,ſiue non ſit;aliquid ipſum poſſe in Spiritus negari non debet; ſi *per ſe* plurimùm in Spiritus potaſt infernalis ignis. 12.

Cauſa, cur in Spiritus nihil poſſit *noſter*; poſſit autem *infernalis,* eſt; quod hunc Deus velit eſſe inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ; *noſtrũ* non velit: ab illo velit Spiritus affligi & pati, ab hoc non velit. Vt hîc ſimile quid eius ſit, quod in Sacramento Baptiſmi accidit, vbi aqua ad remiſsionem valet peccatorum, vinum vel alius liquor non valet. 13.

Habet hoc Deus Opt. Max. vt quemadmodum,cum rerum cõditione corporalia adminiſtrat per ſpiritualia; ita, præter rerum conditionem, agat in ſpiritualia per corporalia quæcunq; ille exexpedire iudicauerit. 14.

Non igitur fugiunt ignem idcirco Spiritus, quod igne torqueantur. An fortè ipſo, tanquam *ſigno*, terrentur? idcirco fugiunt aut deteſtantur; quia infernalem, cuius ſignum eſt, ad memoriam reuocat?Nec hoc dici debet. Neque enim quæcunque rerum inuiſarum 15.

ſigna, quocunq; modo, ſunt; inuiſa ſunt; ſed quæ ex ſe hoc habent, vt ſigna ſint: quod *noſter* ignis non habet. Timent Dæmones Crucē; non lanceam, qua Chriſti pectus transfixum; attamen vt Crux, ita lancea, Chriſti Domini, Dęmonū hoſtis ſignum quoddam eſt: ſed per ſe ſignum Crux eſt, lancea nō eſt. Ita ignis *noſter* per ſe infernalis ignis ſignum, aut imago non eſt; quemadmodum nec hominis homo imago, aut ſignum propriè.

CAP. *LIX.*

An accenſo lumine fugentur Spiritus, & ab ipſorum infeſtatione liberentur infeſta loca.

1. Qvemadmodum ſuperiùs diximus, quoſdam ſe gladijs & lanceis aduerſus Spiritus munire, ita alij ſunt, qui ſi noctis tenebras lumine depellant, nihil ſibi à Spiritibus metuunt; & omnia; ab ipſorum infeſtatione, tuta cenſent eſſe loca.

2. Horum inde profecta opinio, quòd obſeruarint, vt plurimum noctibus moleſtos eſſe Spiritus; quando tenebræ occupant omnia; interdiu verò vel nunquam, vel rariſsimè; & tunc quidem breuiſsimo tempore obſeruentur.

3. Tenebras autem amare Spiritus, & lucem fugere, ex eo ſibi perſuadent; quòd damnatorum ferè ſint, qui apparent: qui cùm malè faciant ſemper, & bene nunquam; lucem oderunt. quoniam, vt ait Dominus: *Qui malè agit, odit lucem.* Ioan. 3.

4. Qui ita philoſophantur, quamuis veritatem non per omnia aſſequantur; in multis tamen non omnino à veritate aberrant, quæ vbi iudicauerimus, quod Caput eſt controuerſiæ declarabimus.

5. Primùm, non errant in hoc, quòd credant eos, *qui malè agunt odiſſe lucē.* Domini hæc oratio eſt. Pro ipſius confirmatione dici poſſunt multa. Sed in re clara multis opus non eſt.

6. Deinde, nec in hoc errant, quod cenſent *frequentius nocturnis, quàm diurnis temporibus ad homines redire*, eoſdemq; moleſtare, Spiritus. Res ita prorſus ſe habet, & eius nos, aliâs, cauſas dedimus plures. Vide Caput 18. huius Diſput.

7. Tertiò, nec error eſt, quod doceant *damnatorum Spiritus benè agere nihil*; omnia agere nequitur. Et hoc, quia aliâs demōſtratum eſt, hîc repeti non debet. Vide 40. Caput.

8. At quod ex his vniuerſalem legem faciunt, & concludi volunt

Spi-

Digitized by Google

Spiritus omnes lucem fugere, & quærere tenebras, probari non debet. Nam
neque omnes Spiritus malè agunt: neque ſi malè agerent, neceſſa-
riò ad hoc fugerent lucem, & ſectarentur tenebras.

Quot nos exempla protulimus Spirituum, qui interdiu, etiam 9.
in frequentiſsima hominum turba, moleſti fuerunt? Neque ij tan-
tùm ex eorum fuerunt numero; qui Deo erant grati; & quas con-
traxerant in corpore maculas, ſupplicijs, quæ patientur ſuſtinent,
depoſuerunt; verum etiam ex genere damnatorum; qui, ſi aliqui,
lucem fugere debuerunt.

Nec omnes Spiritus malè agunt; vt hoc nomine lucem fugere di- 10.
ci debeat. Purgandi ſiquidem, qui frequenter rebus viuentium in-
terſunt, tantum abeſt, vt malè agant; vt etiam vix malè agere poſſe
videantur & Deum offendere. Dictum eſt hoc ſæpius.

Et vt malè agant omnes; non tamen neceſſe eſt lucem fugiant. 11.
Nonne reperiuntur, qui *gaudent, cùm malefecerint, & exultant in rebus
peſsimis*? Prouerb. 2. *qui peccatum ſuum, vt Sodoma prædicant*? Iſa. 3. qui-
bus *frons eſt meretricis? qui erubeſcere neſciunt*? Ierem. 6.

Quid igitur, dicet aliquis, Dominus *eos dicit odiſſe lucem qui malè* 12.
agunt? Reſpondeo ad Spiritus (de quibus nobis ſermo eſt) parum
hoc facere. De hominib' loquitur Dominus. Sed nec omnes omni-
no homines Dominus complexus eſt: ſed eos tantùm, qui non-
dum cum peccato fœdus pepigerunt: necdum verecundiam depo-
ſuerunt; timorem repudiârunt. Denique, quid vt plurimùm acci-
dere ſoleat, ſignificauit Dominus.

CAP. LX.

An obſeratis oſtijs, & bene munitis ianuis, quibus ad locum aliquem acceſſus patet, à moleſtia Spirituum contingat liberari loci incolas.

VNum quæſtione propoſita quæritur; ſed tale, vt eius reſo- 1.
lutio ſine multorum definitione, abſoluta & perfecta eſſe
nequeat. Nam & definiendum hic eſt, Vtrum ab *omnibus*
moleſtijs Spirituum ſint liberi, qui obſeratis oſtijs ipſorū
ad ſe ingreſſum prohibere conantur: &, Vtrum ſi non ab omnibus,
ſaltem à *pluribus* & quibuſdam certis: &, Vtrum *aliquando* accidat, vt
hac ratione omnis aditus Spiritus ſit intercluſus, & ad homines ac-
ceſſus nullus pateat.

2. Et initiò quidem certum eſt, *non omnes moleſtias hac ratione eſſe ſublatas.* Nam cùm moleſtiarum genera plura ſint, quemadmodum ſuperius, Capite 19. dictum eſt; & quædam percipiantur *viſu*, quædam *auditu*, quædam *tactu*; ſi oſtia obſerata prohibent, ne ſe oculis viuentium offerant Spiritus, verberaque infligant, aut alio modo tactum afficiant; certè non prohibẽt; quin, excitatis forinſecus tumultibus, graues eſſe poſsint, atque moleſtias afferre illas, quæ auribus percipiuntur. Aliquando cubiculi ſui fores obſerauit firma ſera Alexander ab Alexandro, quemadmodum ipſe teſtatur l. 5 Genialium dierum, ca. 2. ſed quas non videbat, audiebat horribiles Species foris tumultuari, & cubiculi fores manibus pulſare.

3. Sit illa ratio illorum, quæ viſu percipiuntur; vt directè ſimulachra ſua ad oculos tranſmittant, & interpoſitis opacis corporibus ſenſum afficere prohibeantur: poſtulet hoc ſenſus tactus, vt coniunctus eſſe debeat ijs, à quibus mouetur, obiectus ſonorum & tumultum, qui aures diuerberant, alia conditio eſt. Non directè ſuas ad aures ſpecies diffundunt: nec tantam cum ſenſu, quantam quę ſub tactũ cadunt, poſtulant coniunctionem.

4. Ab *omnibus* igitur moleſtijs ſecuri non ſunt viuentes, qui ſe includunt, & Spiritibus ad ſe aditum præcludunt. *An à pluribus?* Huius definitio ex *conditione* Spirituum, qui moleſtant, petenda videtur: qui vel in aſſumptis corporibus nos aggrediũtur; vel ſolum ſenſibus noſtris abſq; corporum aſſumptorum adminiculo illudunt, moleſtique ſunt.

5. Si corpora ſecum non circumferant Spiritus; *quid iuuabit contra eoſdem ſe obſeratis oſtijs munire?* Spirituum ea eſt cõditio, vt nullo corporum obiectu arceantur. Penetrare valent, quæcunq; denſiſsima; quęcunque duriſsima, abſque vel corporum, vel propria ſua ipſorum Spirituum læſione.

6. Quid ſi corpora circumferant? Vel aliunde hæc ſunt aſſumpta, atque ſolida, firmaque; vel ex aere, aliaque fluente materia, ipſorum induſtria, compacta: & non ſolida. Poſteriora hæc, vt ſubitò componunt, ita mox poſſunt diſſoluere, rurſusq;, quando libuerit, componere. Quocirca *nec hîc ſecura libertas eſt*: nec quicquam poſſunt aut oſtia concluſa, aut munitæ ianuæ, quin vel in ijſdem corporibus ſe intus exhibeant, quibus foris moleſti fuerunt; vel intus ex aere ſibi alia fingant; & moleſtias afferant.

7. Quod dicimus ſuo exemplo didicit, cuius ſuperius meminimus, Alexander ijs in ædibus, quę aſsiduis Vmbrarum illuſionibus, & tetris Imaginibus, ſingulis propemodum noctibus inquietabãtur. Poſt

alias.

alias enim, quas ſuſtinuerat recenſitas moleſtias, ſic ſubiurgit. Non omittam, inquit, miraculum ingens, quod mihi planè vigilanti, maiore aliquando trepidatione, haud multò poſt, euenit. Nam cùm tenebris obortis, cubiculi fores obſeraſſem firma ſera; iaceremque in lectulo, nulla adhuc quiete compoſita, lumine accenſo, horribilem illam Speciem foris iam tumultuari, & cubili forem manibus pulſare ſentiebam. Nec multò poſt Simulachrum illud opertis, additisq; foribus (vix credibile dictu) per commiſſuras & rimas in cubiculum ſe intromiſit: quod ſub lectulo meo iacens, cùm Marcus, alumnus & cliens meus (vt pote qui è conſpectu cubabat) dira & tetra facie aſpiceret, pauore ſubitò conſternatus, luctu & gemitu omnia opplebat, ipſamque intromiſſam non ſine formidine, clamabat: idque mihi cùm clauſum cubiculi oſtium aſpicerem, vix credibile videretur; interim dirum illud Simulachrum, quod ſub lectulo iacebat meo, manum & brachium portendere, lumenque quod iuxta aderat, extinguere, vidimus: quo extincto, libellos meos, & quicquid rerum erat, querula voce miſceri, ac omnia euertere nō deſtitit. Ita Alex.

Porro ſi aliunde aſſumpta ſunt corpora, atque ſolida; dubium eſt, Vtrum ad incluſos homines penetrare Spiritus tum valeant, moleſtiamque in ſimilibus corporibus afferre. Et quidam quidem nulla id ratione fieri contendunt: quidam admittunt, veruntamen non Spituum vi, ſed diuiniori aliqua virtute atque poteſtate. Nos, quod res eſt, quatuor Aſſertis concludimus. 8.

Primum ſit, *corporibus qualibuſcunq; aſſumptis non prohiberi Spiritus, cur minus moleſti eſſe valeant.* Quamuis enim corpora aliquando impediant, ne ad quoſuis acceſſus pateat, quia tamen illa pro voluntate poſſunt deponere, ſi moleſti eſſe volunt, corpora deferent, atque moleſti erunt, quacunque libebit ratione. 9.

Alterum eſt, *omnino eſſe veriſimile nunquam Spiritus, qui apparent, moleſtiasq; hominibus; in aſſumptis corporibus; afferūt, ita ſuis obiecta ſibi corpora penetrare quemadmodum & poſſunt, & penetrant, quando à corporibus ſunt expediti.* Penetratio hęc res prodigioſa eſt, Deique poſtulat omnipotentem manum. Quid verò opus prodigijs atq; miraculis in hac Spirituum infeſtatione? 10.

Tertium eſt, *nec illas Spirituum, quorumcunq; vires; vt poſſint in aſſumptis corporibus obiecta corpora penetrare:* quamuis penetrare deſiderent, Vt in eodem loco duo corpora reperiantur, quantitas corporum diuerſorum non permittit: quocirca quamdiu diuerſa duorum 11.

Hoc forſitan confirmat quod hiſtorijs proditum eſt, Tameſiam Italiæ vrbem aliquando à Spiritu, mirum in modum, vexatam eſſe; vt de illa deſerenda aliquoties cogitarint incolæ: eandem verò eſſe liberatam; poſtquam, ſecundum oraculum Apollinis, Virginem Dijs immolarunt. Hoc Aelianus lib. 8. de varia Hiſtor.

Nunc hîc duo, quæ definiamus, præſens argumentum poſtulat. Alterum eſt: An innocentium effuſus Sanguis, has vires habeat; vt Dæmonum moleſtias tollat. Alterum, An ſi alia ratione mortales non valeant, hac ſe poſsint, ab eorundem moleſtijs expedire.

Prius illud fortè quis credat; perſuaſus experientia, qua iam multis annis obſeruatum eſt, ad *infuſum innocentum, in lacum, ſanguinem*, omnes Dæmonum infeſtationes eſſe ſublatis. Verùm quamuis experientia haud leue argumentum ſuppeditet in ijs, quæ ratione atq; intelligentia deſtituta ſunt; in ratione tamen vtentibus firmum argumentũ prębere non poteſt, vt ex ipſa de rerum naturis certum atque indubitatum iudicium feramus. 3.

Ea eſt conditio illorum, qui ratione atque intelligentia pollent; vt quamuis à ſenſibilibus rebus affici quodam modo poſsint; rebus tamen ſenſibilibus ſemper maneant ſuperiores: vt ob id ſi quid per res ſenſibiles in ijs obſeruetur fieri; id non tam ſenſibilium virtuti, quàm voluntati eorum, qui ratione vtuntur, ſit aſcribendum. 4.

Commune rectè philoſophantium axioma eſt, *ea quæ inferiorum ſunt virium, in res virtute præſtantiores poſſe nihil.* Quàm verò viribus res corporeas vniuerſas ſuperant Spiritus? Et quorum virtus omni re corporea eſt ſuperior, rebus corporeis illi poterunt cogi, vt vel loca infeſtare deſinant, vel ſedes ſuas mutent? 5.

Quocirca *non hæc vis ineſt effuſio innocentium ſanguini, vt Spiritus coërceat.* Qui moleſti ſunt antequam ſanguis effunditur; moleſti eſſe poſſunt effuſo ſanguine. Sunt ſanguinis vires magnę ad Spiritus animantium in corporibus conſeruandis: at effuſi, quæ poſſunt eſſe ad Dæmonum Spiritus aut locis proſcribendos, aut potentiam reprimendam? 6.

Et innocentiũ ſanguis, cur potiùs has vires hîc habere dicitur, quàm *nocentium*? An inculpata vita vim aliquam ſanguini tribuit? & perditorum hominum mores ſanguini officiunt? vt quod hic non poteſt, ille poſsit? Rurſus cur hominum potius effuſo ſanguine tolluntur moleſtiæ; quàm brutorum animalium. 7.

Omnino Dæmonum hæc nequitia eſt. Nequam, vt grauiſsimorum criminum miſeris mortalibus ſint authores, moleſtias nullas effuſo ſanguine inferre volunt, quas alioquin poſſent. Hanc ob 8.

cauſam

cauſam hominum ſanguinem poſtulant;& hominum innocentium poſtulant; & contra omnia iura poſtulant nequiſsimi nequam.

9. Neque nouum hoc ipſorum eſt ſtudium. humano ſanguine recreantur plurimum ſanguinarij, & ab *initio mundi homicidæ*, Domino teſte Ioannis 8. Nonne hoc probant crudelia, quibus mundum propemodum vniuerſum dementârunt; ſacrifici? aritus impij & barbari? De his in hunc modum Alexander ab Alexandro. *Schitotauri*, inquit li. 6. Cap. 16. Genialium dierum, pro hoſtijs Dianæ aduenas immolabāt: Laodicei Palladi virginem: Arcades Ioui Lycęo puerum. Pleriq; iuxta Boryſthenem vecordi animo homines victimas dare,& in ſacrificijs Deorum humanis oſsibus adolere ſolebant. Blommyæ, Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani ſtatis diebus, humanis litant hoſtijs, & cruore captiuorum adolent aras; tunc propitiari Deum maximè arbitrati, cùm per cruciatum homines excarnificarent; ex pœnis hominum diuinitatem & auguria captantes.

Fuitq; apud Phœnices & Carthaginenſes nimium diu ſeruatum, vt infantes principali honore inſignes ſorte ductos,in Regio ornatu Saturno immolarent hoſtias: Et quem ſors morti deſtinarat, morti ſubtrahere non licebat. quare multorum ciuium largis fletibus deplorata funera fuêre. A quibus ſacris dum deſiuiſſent, poſtea victi ab Agathocle, Deos propterea ſubiratos arbitrantes, vt numen placarent, ducentos nobilium filios mactârunt ad aras.

A Rhodijs quoque & Cretenſibus factitatum comperimus;vt hominem epulis grauatum ac pueros impuberes feſtis diebus Saturno mactarent. In Chio & Salamine mos multa ſecula viguit;vt Diomedi & Dionyſio homines diſcerptos iugularent. Eiuſdem Dionyſij templum fuit in Arcadia, in quo puellæ ad aram diſflagellabantur ad necem: ſicut Spartæ in ara Mercurij, & Orthiæ Dianæ pueri.

Quin etiam alij ingenti ſimulachro viminibus intexto,& viuis hominibus oppleto,ac igne ſuccenſo, hominibuſq; fœdum in modum exanimatis, maximum holocauſtum offerri putauerūt. Boijs & Celtis purgato captiui hoſtis capite,caluariam auro celare,& in eo poculo in ſolennibus libare,religioſiſsimum erat.

Proditur Ariſtomenes Meſſenius Ioui,quem Ithometem appellant, trecentos ſimul homines,in quibus Theoponpus fuit, vno ſacrificio mactaſſe:& Lacedæmonios eo veſaniæ proceſsiſſe,vt Marti humana victima litarent, Galatę & Maſſagitæ non aliter Deos ritè conſuli arbitrati ſunt,quàm iugulato homine apud aras Deorū, ex cuiu

cuius caſu, tum ex membrorum laniatu & fluxu ſanguinis futura diuinabant.

Cimbri noxios homines ſeruatos, ſudibus affixos, Dijs pro hoſtijs dabant. Galli præter Heſum & Theutatem, Mercurium, quos humano cruore placabant, grauioribus morbis, aut periculis affecti, ad placandas Deorum aras, aut homines immolabant, aut ſe immolaturos vouebant: ad cuius aram etiam grandæuos ætate, pro victimis proſecabant. Luſitanis vetus mos erat, ex inteſtinis hominum exta proſpicere, atque inde omnia & diuinationes captare, abſciſſasque captiuorum dextras, pro munere, Dijs offerre.

Thraces Zamolſim, quem maximum Deum putant, non aliter fieri propitium æſtimarunt, quam ſi ad aram facili lancearum ictu homo concideret; eam optimam, & Dijs gratiſsimam victimam opinati. Germani quoque ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare religioſiſsimum putârunt. Idem fecêre Senones; qui, cæſo publicè homine, infanda ſacra ſtatis diebus anni celebrabant, his portentis delicta expiari opinati.

Perſis quoque ad habendas Dijs gratias viuentes iuuenes, eoſque ſpirantes, ſub terra defodere aſſuetum fuit: quem morem Græcis inoleuiſſe accepimus, vt in anniuerſaria celebritate Baccho viuos homines ſacrificent: quique ita fuiſſet immolatus maximam inter ſuos probitatis laudem ferebat.

Longum eſt exequi, qui Taurorum mores fuerint, vt apud aram hominem ſiſterent, & poſt ſolennes preces hominis caput clauo ferirent, illudque cruci affigerent: truncumque corpus ex ingenti rupe in præceps darent: quod cùm Leucadijs commune fuiſſe traditur, vt in Apollinis ſacro, auertendæ Deorum iræ, hominem de môtis ſpecula deijcerent, & in mare præcipitem agerent.

Fuitque apud Albanos vſurpatum, vt hominem ſacris initiatum, qui ſanctitate polleret, diu ſeruatum & opiparè ſaginatum apud aras ſiſterent, eumque furiali carmine excantatum, quibuſdam additis precationibus, cum alijs hoſtijs immolarent. Et Romani in foro boario, ad placandas Deorum iras, ſub terras viuos defodere veriti nô fuerût: licuitq; diu in ſacris hominem interimere, & Dijs immolare; adeò vt Saturnum & Latialem Iouem humana placarêt hoſtia: cuius ſimulachrû, dum ſacrificarent, humano ſanguine proluebant. Hæc Alexander.

Iiſdem miſerijs Satan populum Dei inuoluit olim, de quo Regius Propheta Pſal. 105 *Commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Et*

immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentẽ, ſanguinem filiorũ ſuorũ, & filiarum ſuarũ, quas ſacrificauerũt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum. Quid quòd & Chriſtianos quoſdam dementauit? Fuerũt anno Domini 1273. quidam Flagellantes dicti, qui non niſi effuſo humano ſanguine Deum placari crediderunt, & docuerunt. Itaque hęc Dæmonis carnificina.

10. Conſtitutum igitur hoc ſit vim ſanguini innocentum illam non ineſſe; vt Dæmonibus vel ſilentium imponat, vel neceſsitatem loco cedendi afferat. Sed ſi certum ſit moleſtias hac ratione tolli: & non tolli poſſe alia; *licebitne ſecuritatem effuſo ſanguine mercari*, & vexationẽ redimere?

11. Primùm, credi non debet, ad eas aliquando anguſtias Chriſtianum populum venire poſſe, *vt alia, quàm hac ratione ſibi prouidere nequeat*. Poteſt oratione ad Deum facta, qua omnia ſunt poſsibilia: Poteſt ſanctiſsimę Crucis ſigno: Poteſt exorciſmis: Poteſt alijs, quas ſequentibus Capitibus explicabimus, rationibus, ſe iuuare.

12. Et ſi alia non poſſet, *hac profectò non debet*. Non Dæmonum ſolùm moleſtiæ ſuſtinendæ; ſed aduerſa omnia, ipſa quoque præſentiſsima mors adeunda potiùs, quàm cum Innocentium ſanguinis effuſione Spirituum malignorum vexatione redimenda. & multis grauibusque de cauſis.

13. *Prima ſit*, quòd nullum amicum obſequium (quemadmodum procul dubio hoc eſt) Dæmonibus, Dei atque hominum hoſtibus iuratiſsimis fideles impendere, aut poſsint, aut debeant. *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum*, inquit Apoſtolus, 1. Corint. 10.

14. *Altera eſt*; quòd ſine ſuperſtitionis crimine hæc non peragatur: in eaque interueniat, ſi non expreſſum, profectò tacitum, cum Dęmonibus, pactum; quod ipſum quoque diuinis & humanis legibus Chriſtiano populo ſeueriſsimè interdictum eſt. *Et quis conſenſus templo Dei, cum idolis?* 2. Corinth. 6.

14. *Tertia eſt*, quòd grauiſsimum hîc Innocentium homicidium committatur: quod nec priuata cuiuſquam, nec publica Magiſtratus vllius authoritate aut pręcipi poteſt, aut probari. *Inſontem & iuſtum nõ occides*, dicitur Exod. 23.

CAP. XLII.

An odoribus quibuſdam, herbis & ſuffimentis, Spiritus Dæmoniorum pellantur, & loca ab ipſorum infeſtatione liberentur.

Me mi-

MEminit doctiſsimus Theologus, Toſtatus Abulenſis, in 2. 1.
Reg. cap. 16. quęſtione 43. opinionis cuiuſdam, qua credi-
tur ſuffimentis quibuſdam, Spiritus Dęmoniorum fuga-
ri. Hæc pręterquam, quod peruulgata eſt, eodem Abulen-
ſe teſtec;tiam duobus videtur niti fundamentis. Alterum eſt, quòd
contrarijs ſuffimentis ijdem Spiritus alliciantur; &, vt certis ſe locis
ſiſtant, prouocentur. Alterum, quòd ab Angelo edoctus ſit Tobias,
fumo cordis atque iecoris piſcis cuiuſdam, *omne Dæmoniorum genus*,
vt Scriptura loquitur (c. 6) *extricari*.

In Aſſertione hac, quamuis quæ ad ipſam ſtabiliendam afferun- 2.
tur, falſa omnia non ſint; non ſunt tamen omnia certa & indubitata:
ipſa verò cum veritate ſubſiſtere nequaquam poteſt.

Certum eſt, ex corde atque iecore excitato fumo fugatos Dæmo- 3.
nes. Tobię id habet ſacra Hiſtoria. Aſſeruit, qui mentiri non poteſt,
Angelus. probauit effectus ſiue euentus.

Sed vt hoc certum; *ita incertum*, imò falſum, ſuffimentis quibuſ- 4.
dam Spiritus delectari, allici, ad homines prouocari. Quæ enim illa
ſuffimenta? ex quibus odoriferis rebus? quomodo Spiritus afficiũt?
Qualiacunque ſuffimenta ſunt; oportet obiecta ſint olfactus. at quæ
olfactus obiecta, illa, quâ talia, non niſi olfactum afficiunt: & per ol-
factum eos, qui vim olfaciendi habent, alliciunt. An hęc in Spiritibus
locum habent?

Si verò nullis ſuffimentis recreantur Spiritus, *quomodo verum eſt*, 5.
quod Aſſertio habet, contrarijs fugari & abigi? Nonne eadem contrari-
orum potentia?

Et hæc ipſa, quibus Spiritus pelli dicuntur ſuffimenta, nonne ol- 6.
factus debent eſſe obiecta? Quomodo igitur à Spiritibus perci-
piuntur, qui nec olfaciendi virtutem habent, nec habere poſ-
ſunt?

Eandem ob cauſam, qua ſuffimenta atq; odores, reijcimus etiam 7.
herbas quaſdam; quas Dæmoniorum ſpiritibus quidam cenſent eſſe
intolerabiles. In harum numero ſunt Artimeſia rubea, Barba Iouis,
Solſequium, Leuiſticus, Iſopus, Saluia, Polegium, folia Sambuci,
&c. Omnis, quæ his ineſt, virtus corporea eſt: omnis quæ quippiam
poteſt, in corpora tantùm, non in Spiritus poteſt.

Atque hæc quæ diximus de ijs Spiritibus intelligimus, *qui loca in-* 8.
feſtant. Hi nullis herbis & ſuffimentis alliciuntur. Hi nullis her-
bis aut ſuffimentis proſcribuntur. At de ijs, *qui humana corpora*
obſident; non eadem ratio. Poſſunt his quædam herbæ & ſuffu-
menta eſſe contraria; quæ quamuis ipſos ſedibus ſuis non pellant;

Digitized by Google

impediunt tamen, ne quantam vellent, in mortales exerceant tyrannidem.

9. Impediunt verò, non *per ſe*, & *directè* in Spiritus agendo; ſed virtute ſibi ingenita, corpora, in quibus latent, afficiendo: qua affecta minus inſtituto Dæmonum ſeruiunt: tantumque de Dæmonum vexatione diſcedit, quantum contrariæ virtutis ipſis affertur.

10. Hæc verò aliena non eſſe, intelliget; qui attendet, primò, Dæmones ſæpe in humanæ vexationis ſubſidium humores hominum aſſumere, perq; eos citatos, maiores moleſtias afferre, deinde meminerit herbarum odorúmue quorundam eam eſſe virtutem, vt humores componere, reficere, & renouare valeant: adeoq; mortalibus voluptatem atque lętitiam conciliare. Quemadmodum igitur agentia tanto minus in ſubiecta poſſunt; quanto plura ſunt, quæ ijs reſiſtunt; ita tanto minus per humores in homines poſſunt Dæmones, quanto maior in humores contraria ipſorum inſtituto, per herbas & odoramenta allata virtus eſt.

11. Quocirca non malè dictum eſt à D. Hieronymo (quemadmodum Hieronymum citant Burchardus, Iuo, & Gratianus. *26*. q. 7.) *Dæmonium ſuſtinentibus licet herbas habere ſine incantatione.* Vide item Albertum Magnum, ſuper 9. Lucæ & Lyram, atque Paulum Burdegalenſem in *1*. Reg. *16*.

12. Ex dictis intelligimus non ſtatim *ſuperſtitioſis* damnandos eſſe Exorciſmos, in quibus *herbæ* etiam aſſumuntur. quoniam quamuis *per ſe* ad Dæmonum proſcriptionem non faciant: vires tamen eorum in corporibus impediunt. Quando verò ad eaſdem herbas *Benedictio* accedit, fit, vt ex duplici cauſa contra Dæmones valeat: virtute, inquam, ſibi ingenita; & ſanctificatione per verbum Dei facta.

13. Quod diximus de herbis: de *lapidibus* quoque dictum volumus. Neque enim minor quibuſdam virtus ineſt, quam ipſis herbis. Quocirca & idem Hieronymus, teſte Gratiano, non herbas tantùm, ſed petras quoque, ſine incantationis crimine permiſit Dæmonium ſuſtinentibus. ibidem 26. q. 7.

14. Idem iudicium eſt de certis quibuſdam *animalibus*, ſeu ipſorum *carnibus*; ſiue in cibum ſumuntur, ſiue corporibus Obſeſſorum adhibeantur; vt ob id non errare dicendi ſint, qui in Energumenorum curatione, operam Medicorum docent requirendam.

15. Idem de *Muſico concentu*, & Muſicorum inſtrumentorum melodia cum Boetio, in ſuo, de Muſica, libro dicimus. Quocirca quamuis

nis alijs atque alijs cauſis, alij atque alij tribuerint, quod pulſante citharam Dauide, melius habuerit Saul, non iudicamus tamen in errore verſari eos, qui concentui magnam partem eiuſdem requiei concedant.

Hæc igitur atque his ſimilia, quæ diximus, Dæmonum ſtudia impediunt; atq; efficiunt: ne quantā deſiderant; Obſeſſorum corporibus moleſtiam afferant; ſed tamen Dæmones ſedibus ſuis, id eſt, humanis corporibus non pellunt; propterea, quod in Spiritus hæc non agant; ſed Spirituum operationes retardent: & retardent eoſdē non *in ſe*, ſed *ſuis inſtrumentis*. cum quo conſiſtit, vt & alijs rationibus Spiritus moleſti eſſe poſsint miſeris mortalibus; & ſi nec hoc detur, poſsint in corporibus latere, quamuis nulla moleſtia corpora afficiant. Idem docent Soarez Tom. 3. Diſput. 15. ſectione 4. Abulenſis in Caput 16. 2. Regum, & alij plerique. 16.

SEQVVNTVR DVO FALSI MODI, quibus exiſtimantur loca purgari, à moleſtia Spirituum humanorum.

CAP. LXIII.

An Spiritus defunctorum hominum prohibeantur ad viuos redire, ſi ipſorum cadauera ſub foco ſepeliantur.

REiecimus duos modos, quibus cōtra Dæmonum infeſtationes quidam ſe muniunt: *duo* reſtant examinandi, quibus ab humanorum Spirituum moleſtia, libertas exſpectatur. Poſterior ſequenti, prior eſt hoc Capite diſcutiendus. Is Philapporum eſt. hi cadaueribus defunctorum ſub foco defoſsis, ipſorum ad viuos reditum, & quas afferre ſolent moleſtias, prohiberi credunt: quemadmodum Capite primo ex Beucero annotauimus. Verum *bene ne credunt*? Chriſtianisque hominibus *licetne* hoc modo contra defunctorum Spiritus pugnare? Res ſic ſe habet. 1.

Primum, *hac ratione nullum emolumentum ad defunctorum Spiritus accedit*. Nam ſi perpetuis ſupplicijs ob peccata ſua ſunt deſtinati; quēadmodum ex nulla re alia; ita neque ex hac ſubſidium aliquod capiunt. Quod ſi de ſalute ſua ſunt certi, ob defectus tamen quoſdam expiandi, priuſquam aditus ad cælorum regna pateat; & ipſi intelligunt fruſtra hæc fieri, & idem intelligunt viuentes, qui à ſanctiſsi- 2.

mis

Digitized by Google

mis Auguſtino atq; Gregorio inſtituti ſunt de ſubſidijs: quibus defunctorum Spiritus iuuantur.

3. Sic *nec detrimentum ex hac ſepultura capiunt defunctorum Spiritus*. Neque enim eos, qui piè in Chriſto defuncti ſunt, retardat, cur minus à pœnis, quibus expiantur, eripiantur. Neque grauioribus ſupplicijs illos implicat, quibus omnis ſpes ſalutis eſt adempta. Nullis defunctorum Spiritibus incommodare poſſunt viuentes. Aliquibus poſſunt prodeſſe.

4. Rurſus ſepultura hæc compedes non inijcit defunctis, *ne ad viuos redire valeant*. Defoſſa continentur ſub foco cadauera ne erumpant, & viuentes terreant: Spiritus à corporibus liberi, niſi aliunde ipſis, ne redeant, neceſsitas afferatur, cur redire nequeunt?

5. Quid quòd *iniuria quædam defunctis hic inferri videatur?* Omnibus quidem, quòd honeſta & Chriſtiana ipſis ſepultura negetur, quam meritò vniuerſi poſſunt poſtulare: Certis verò aliquibus, piè inquam in Chriſto defunctis, quod ne viuentium petant ſuffragia, prohibeantur.

6. *Nec ſine ſuperſtitionis crimine hic ſunt viuentes*, qui defunctorum corpora ſub foco recondunt. Quid quæſo, ne ad viuos aliquando Spiritus redeant, faciunt eorum ſub foco defoſſa corpora? An forſitan vim hãc focus habet; vt ſi defunctorũ corpora poſsideat, mox Spiritibus lex poſita ſit, ne loco ſe mouere valeant? Annon hoc focus habet, ſed Spirituũ illa eſt conditio; vt poſtquam è corporibus egreſsi, ſi ipſorum ſub foco concludantur corpora, ipſi certo loco debeant eſſe affixi? An fortè, ſi nec hoc eſt, nec illud, ita Deus conſtituit; vt quamprimum ſub foco continentur corpora; omnis ad viuos redeundi Spiritibus ſit ſublata libertas?

7. *Non vim hanc habet focus, vt facultatem Spiritibus redeundi adimat*. Neque enim per ſe hoc ipſe locus efficit; neque ignis, qui loco fouetur & continetur; neque quicquam, quod cum foco coniunctum eſt. Poſſunt hæc longiſsimo interuallo à Spiritibus diſtare, vt ob id in Spiritus valeant nihil. & quamuis diſtarent nihil; Spiritum tamen ipſa, quia corpora ſunt, non poſſunt afficere.

8. *Nec Spirituum eſt illa conditio, vt loca reuiſere atq; moleſtare nolint, quorum cadauera focus continet*. Si enim redire nolunt, id vel ratione detrimenti fiet, quod timent incurrere, ſi redeant. atqui nullum ipſis poteſt afferri: vel emolumenti, quod ſuo reditu metuunt amittere. Sed nullum eſt, quo priuari vlla ratione poſſunt.

9. *Dei fortè lege prohibentur?* At quæ illa? quibus reuelata? quo tempore?

poteſt vbi locorum? Et quas ob cauſas hac ratione Deus Spiritibus reditum voluit eſſe interdictum? Hæc niſi proferantur; dici poteſt, *lege Dei* Spiritibus reditum prohibitum, probari non poteſt; nec debet credi.

Experientia, dicet aliquis, edocti ſunt Philappi hanc ſepulturam focalem prohibere Spirituum moleſtias. Quid ſi negetur illam exceptione carere? Sed neque ſi exceptionem nullam admittat, Chriſtiano homini probari debet. Multa quotidiana experiētia fieri obſeruamus; quæ damnant docti & pij: quæ non Deum, ſed Dæmonē habent authorem. quid ſi ex horum genere ſit hæc defunctorum ſepultura? 10.

Et eſt profectò quod vehementer hanc rem, de ſuperſtitione, ſuſpectam facere debeat Chriſtiano homini. Cùm enim naturæ viribus reditus hic Spiritibus non prohibeatur: de Dei quoq; voluntate nullum argumentum extet; neque Eccleſiæ authoritate probetur: vix alio, quàm ſuperſtitionis loco, cum alijs multis habenda eſt. 11.

Dæmonum igitur ope fieri dixerim, vt plurimum, quod hi defunctorum Spiritus non redeant. Placet ipſis illudi mortalibus, vanis opinionibus: vtq; has foueant, ne Spiritus redeant, efficiunt; aut quod veriſimilius eſt, ipſi hominibus in Spirituum humanorum perſona moleſti eſſe nolunt. Quid mirum? Luculenta eſt D. Auguſtini ſententia, li. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 22. & 23. *Dæmones ſeducere homines vanitati deditos, rebus vanis.* Affectant verſipelles Dei ſimilitudinem etiam in hoc: quod quemadmodū Deus operatur effectus gratiæ, mediantibus Sacramentis ſenſibilibus, non tanquam cauſis, *ſuapte natura* ſufficientibus; ſed tanquam ſignis effectuum: ita ipſi quædam efficiant adhibentibus hominibus media, quæ reuera ad ipſos effectus nihil conferunt; quibus proinde vtuntur tanquam effectuum quibuſdam ſignis. 12.

Hinc iam manifeſtum eſt & Philappos in graui errore verſari, quando hac ratione Spirituum infeſtationibus obuiant: & Chriſti fidelibus hoc pugnæ & armorum genere, contra Spirituum moleſtias, pugnandum non eſſe. *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum,* inquit Apoſtolus 1. Corinth 10. *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuētio Chriſti ab Belial? quis conſenſus templo Dei, cum Idolis?* 2. Corinth. 6. 13.

CAP.

CAP. LXIIII.

An iactus fabarum nigrarum, contra moleſtias Spirituum defunctorum olim profuerit, tamque Chriſtiano populo permitti poßit.

1. ALter modus, quo contra defunctorum Spiritus ſe munierunt quidam, olim, apud Romanos maximè, in vſu fuit, & *Lemuralium* ſacrorum nomine eſt celebratus. De quo breuiter Alexander ab Alexandro lib. 3. Genialium dierum, cap. 12. *In Lemuralibus fabam noctu iacere vſurpatum eſt, Lemures ſe ex domo eijcere clamantes: quam nigram eſſe conuenit; ipſamq́; lotis manibus & pede nudo, per ora verſare, & poſt terga reijcere, æruq́; tinnitum facere: vtq; Lemures, fabis redempti, domo abirent. nouies orare, idq́; Maio menſe, tribus vicibus fieri, donec, ſolutis religione animis, Manes expiatos ducerent.* Ita Alexander. Sed eadem Ouidius longè ante ipſum his verſibus 5. Faſtorum:

Ritus erat veteris nocturna Lemuria ſacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat breuior, nec adhuc pia Februa norant,
Nec tu dux menſum Iane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri ſua dona ferebant,
Compoſitiq́; nepos buſta piabat aui.
Menſis erat Maius maiorum nomine dictus,
Qui partem priſci, nunc quoq́; moris habet.
Nox vbi iam media eſt, ſomnoq́; ſilentia præbet,
Et canis, & variæ conticuiſtis aues.
Ille memor veteris ritus, timidusq́; Deorum,
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.
Signaq́; dat digitis medio cum pollice iunctis,
Occurrat tacito ne leuis Vmbra ſibi.
Cumq́; manus pura fontana perluit vnda,
Vertitur & nigras accipit ore fabas.
Auerſusq́; iacit, ſed dum iacit: Hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meq́; meosq́; fabis.
Hæc nouies dicit; nec reſpicit: Vmbra putatur,
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.
Rurſus aquam tangit, Temeſæaq́; concrepat æra,

Et ro-

Digitized by Google

Et rogat, vt tectis exeat Vmbra ſuis.
Cum dixit nouies; Manes exite paterni:
Reſpicit,& purè ſacra peracta putat.

Fabarum vſus varius fuit apud priſcos;ſed qui cum *ſuperſtitione* cō-iunctus fuit, aut nullus prorſus, aut cum *maiore* nullus, quàm qui in Spiritibus proſcribendis obſeruatus fuit. 2.

Et *vnum* quidem, quem damnare nemo poteſt, habuerunt à Deo Opt. Max. cuius Sacræ literæ, ſecundo, meminerunt (2. Reg. 17. & Ezech.4 Hoc in hominum cibum cedunt: de quo ſic Plinius Naturalis hiſtoriæ, lib. 18. cap. 12. *Faba, inquit, multiplex eſt vſus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. frumento etiam miſcetur apud pleraſq; gentes & maximè panico ſolida, & delicatius fracta. Et quia hebetare ſenſus exiſtimatur, atq; inſomnia facere, Pythagorica ſententia damnatur: vnde illud. A fabis abſtineto. Quamuis alij aliam huius velint cauſam.* 3.

Alium habuerunt ex hominum inſtituto. Nam loco *calculorum* ſeruiebant in ſuffragijs. Quemadmodum enim olim Germani concilio coacto, ſi quid; quod minus placeret & propoſitum fuiſſet, murmurare & fremitu diſſentire, & ſententiam aſpernari: ſi verò quid conplacitum fuiſſet, frameas & tela concutere, ſonoque armorum & tripudijs ſe approbare ſignificabant, teſte Alexandro ab Alexandris lib. 4. Genialium dierum, cap. 11. ita Græcis & quibuſdam Gentibus ſuffragia *fabis* dabantur. Vſus hic *ex ſe* ſine crimine eſt, & reprehenſione vacat. 4.

Tertius illarum vſus fuit ex hominum quidem inſtituto ſed,tamē ſuggeſtione Diaboli, & cum graui ſuperſtitione coniunctus. Atque hic varius eſt. Nunc enim ad ſacrificium referri ſolebant domum, à ſegete: & dicebantur, teſte Feſto, *refrinæ*, atque ex ipſis facta puls, quę Dijs offerebatur, dicta à veteribus *fabacia*. Nunc in Auctionibus adhibebatur, & per ipſas concipiebatur ſpes maioris lucri. Græcis quoque earum vſus ſeruiebat ad iudicium. Nam alba apud ipſos in ſortibus auſpicata fuit, & boni euentus: nigra mali, eodem Alexandro teſte, lib. 3 ca. 5. 5.

Ad hunc tertium ſuperſtitioſum ipſarum vſum referendus *ille*, quo ad Spiritus domibus proſcribendos adhibebantur: *ſed tamen ſuperſtitionum magnitudine & multitudine reliquos hic ſuperare videtur; & ad rem nihil pertinere.* Quid enim ad fugandos Spiritus proiecta poſt tergum faba? & faba nigra? & in ore aliquoties prius verſa & ab eo proiecta, cuius lotæ manus; & pedes nudi? & cum æris 6.

innitu proiecta? & cum nouies, vt Spiritus domum deſerant, repetiti precatione?

7. Quia verò modus hic ſuperſtitionis pleniſsimus eſt, idcirco Chriſtianis hominibus, quibus omnis cum Dæmonibus communio prohibetur, eſt interdictus. *nec poteſt aut honeſtatis vllo colore, aut neceſſitate aliqua vrgente permitti, vel vſurpari.* Interdictus quoque eſt infidelibus, vt nec *iam* ſine crimine ſint, ſi fabarum iactu domibus Spiritus pellant; nec *olim* peccato caruerint; quando pepulerunt. Si à crimine aliqui, ſoli potuerunt illi eſſe, quos ignorantia excuſauit.

8. Cæterùm, quia poſt *fabarum iactum* Spiritus defunctorum viuentibus, vt plurimum, moleſti eſſe deſierunt, apud ſuperſtitioſas gentes; non immeritò quæritur, Vtrum hac re vel Spiritibus ſeruitum ſit; vt ob id moleſti eſſe noluerint: vel ipſis impoſita neceſſitas: vt non potuerint eſſe moleſti: & ſi horum neutrum, quas ob cauſas, poſt *fabacia ſacra* Spirituum ceſſauerit moleſtia. Quid igitur dicendum.

9. *Non ſeruitum eſt defunctorum Spiritibus fabarum iactu.* Quicunque apud Gentes, ex hac vita diſceſſerunt, ad illam alterius vitæ conditionem peruenerũt, in qua nec fabarum vſus, nec quicquã aliud ſimile, vllum ipſis ſubſidium, potuit afferre. Deſperata omnium fuit ſalus.

10. Viſne igitur illis allata, & diſcedere coacti? *Nec vis allata, nec coacti diſcedere.* Qua enim re vis allata? Ipſis ne fabis? An viuentium oratione diſceſſum imperantium? An ceremonijs cum fabarum iactu coniunctis? An his omnibus? Fabæ ſpiritus generant Pythagoricis, non Spiritus pellunt. Viuẽtes nullum habent in dictos Spiritus imperium. Ceremoniæ erant argumenta ſuperſtitionis. Simul omnia grauis idololatria.

11. *Cur igitur ceſſarunt Spectra?* Non *ſemper* ceſſarunt. Spectra quæ Pauſaniam Spartanorum Regem vexabant: & quę Neronem atq; Ottonem Romanorũ Imperatores ſequebantur (de quibus Cap. primo) etiam ſexcentis fabis & albis & nigris; etiam centies, & non tantùm nouies repetita oratione, proſcribi non potuiſſent. Quos Deus ob commiſſa flagitia, per Spectra & defunctorum hominum Vmbras, terrere, & punire decreuit; illi vtantur quot qualibuſue velint fabis, diuinam vindictam non effugient.

12. Moleſtare interim *Spiritus deſijſſe poſt fabarum ſacra profana* perſæpe, negari non debet. Neque enim fruſtra hic labor à Gentibus ſuſceptus fuiſſet. Veruntamen moleſtare deſierunt; quia moleſtare nolue-

noluerunt; qui moleſti eſſe potuerunt: & non quidem defunctorũ hominum Spiritus, niſi forſitan rarius (quamuis defunctorum hominum Spiritus haberentur) ſed Spiritus Dæmoniorum, qui voluptatem quandam ex hoc fabarum iactu venabantur; idq́; *duas* potiſsimum ob cauſas.

Prima eſt, quòd Dei creaturis mortales abuterentur: & quas hominiad vtilitatem, & Deo ad gloriam ſeruire oportebat, illę in profanos & impios Dæmonum vſus conuerterentur; dùm hiſce Dæmonibus quædam ſacra fiunt, maximo cum Creatoris omnium contemptu. 13.

Altera eſt, quòd hac ratione etiam impiæ & falſæ in hominum animis vel alerentur, vel insererentur opiniones. Neque enim clam eſt, perſuaſum Gentilibus fuiſſe defunctorum Spiritus in *fabas* tranſire. ob quam cauſam à fabis etiam abſtinendum quidam cenſuerũt, teſte *A*lexandro ab Alexandro, quem ſuperius citauimus. Quæ opinio non potuit non plurimum confirmari, quando miſeris perſuaſum fuit, poſt nouies repetitam orationem Spectra, quæ moleſtare viuentes ſolent, proiectas fabas colligere, quemadmodum Ouidius teſtatur. 14.

NOTATIO IN SEQVENTIA Capita.

Refutatis falſis modis, quibus loca à Spirituum infeſtatione liberari poſſe videbantur: nunc aßignandi & examinandi ſunt veri: Et primùm illi, quibus loca Per Se infeſta purgantur; tum quibus purgantur ea, quæ propter homines leguntur infeſta.

Priores duplicis ſunt generis, vel enim ſcitur conditio Spirituum: vel ignoratur. In priori illo tres ſunt diſcutiendi. primus eſt, quo Dæmoniorum Spiritus profligantur. Alter, quo ablegantur, & iuuantur boni, ſiue purgandi. Tertius is, quo contra damnatorũ hominum Spiritus pugnatur. de Primo primum.

Digitized by Google

CAP. LXV.

Varios eſſe modos, quibus loca à Dæmonum infeſtatione liberantur: & modorum eſſe varias differentias.

1\. MOdi, quibus contra Dæmones belligeratur, varij ſunt, ſed tamen ad *quinq;* præcipuos redigi poſſunt omnes, quorum vnus in oratione conſiſtit: alter ſanctiſsimæ Crucis vſu nititur: tertius rebus conſecratis: quartus Reliquijs: quintus Exorciſmo; cum quo coniungimus Inuocationem nominis Chriſti. Quod ſi quidam ſunt alij; vel ad hos reuocantur; vel rarius ſunt in vſu. Vt ille, cuius in Vita Simeonis Abbatis, qui Salus dictus eſt, fit mentio; quo ex vico quodam infeſto pulſus eſt Diabolus cantu tibiæ; teſte Leontio Epiſcopo Neapoleos, inſulæ Cypri. Ille quoque, quo ad præſentiam Sanctorum hominum ijdem quandoque in fugam conuerſi: quemadmodum Theſi 9. cap. 27. dictum eſt.

2\. Magna eſt inter hos modos, & multiplex *differẽtia. Prima eſt*, quòd quidam ex his ſine ſermone non perficiantur; quidam ſine eo conſiſtant; quidam ſolius mentis ſint exercitia. Primi generis eſt Exorciſmus; ſecundi, Res conſecratæ, Crux, atque Reliquiæ: tertij, Oratio; quamuis hæc aliquando vocalis ſit.

3\. *Hinc altera* differentia accipitur. Quidam enim cooperationem hominis requirunt, quinimò, ſine hominis cooperatione non conſiſtunt; ne dicam, quod hominis ſint actio: vt Oratio, Crux, atq; Exorciſmus. Quidam, quamuis aliquando cum cooperatione hominis coniuncti ſint, non tamen illam requirunt; vt Res conſecratæ; atque Reliquiæ; quas vel ſuſpenſas eſſe locis certis, ſatis eſt ad Spiritus abigendos.

4\. *Rurſus quidam immediatè* valent ad profligandos Spiritus; alij minimè. Oratio non directè ipſos Spiritus petit; ſed ad Deum contendit, cuius opera à Spirituum infeſtatione petimus liberari. At Exorciſmus, Crux, Reliquiæ, Res ſacræ, ipſos per ſe impetunt Spiritus.

5\. *Quarta differentia eſt*, quòd quidam *per ſe* efficaces videantur: alij omnem, quam habent, efficacitatem, aliunde accipiant. Huius generis ſunt Res conſecratæ: quæ, ſi conſecrationem dempſeris, à rebus naturalibus nihil differunt: reliqui omnes *ex ſe* ad Spiritus abigendos valent.

Huic

Huic *quinta differentia proxima eſt*. Quidã impetratorij tantùm ſunt purgationis locorum; non autem per ſe loca purgant; alij ſunt operatorij, vt ita dicam, & *per ſe* efficaces. Prioris generis Oratio eſt, qua à *Deo* & *S*anctis petitur, vt vel hi à *Deo* obtineant, vel ille præſtet libertatem. *P*oſterioris generis ſunt reliqui, qui directè ipſos aggrediuntur Spiritus. 6.

Præterea, quidam vnum tantùm vſum habent; alij plures. *E*xorciſmus ſolùm locis purgandis ſeruit, & Spiritibus proſcribendis. cæteri, præter hoc, alios habent fines, quemadmodum aliâs demonſtratum eſt. 7.

Item quoſdam modorum neceſſe eſt adhiberi *ipſis locis*, quæ *S*piritib⁹ infeſta ſunt, ſi Spiritus propfligari debeãt: quidã alijs quibuſcunque poſſunt: & tamen ad proſcribendos Spiritus valent. Oratio vt in infeſtis locis fiat, neceſſe nõ eſt. *A*t ſi Crux alijs fiat; alijs adhibeantur *E*xorciſmi; alijs ſuſpendantur vel ponantur Reliquiæ & Res conſecratæ, quàm infeſtis; parum promoueris. 8.

*S*ic quoſdam expedit *ijs ipſis temporibus* adhiberi, quando iam Spiritus moleſti ſunt: alij poſſunt adhiberi alijs. Illis vtiliſsimus eſt Exorciſmus, in quo cum Spiritibus in certamen deſcẽditur: Crux item præſentiſsimum aduerſus eoſdem telum: his oratio, Reliquiæ, ſacræ Res. 9.

Plures inter dictos modos poſſunt aſsignari differentiæ; ſed pluribus opus non eſt. Forſitan etiam aſsignatę, nimię ſunt. *M*odos igitur ſingulos diſcutiamus & probemus. 10.

CAP. *LXVI.*

De oratione, qua Dæmoniorum Spiritus fugantur, deque eius, præ reliquis bonorum operum generibus, in hoc negotio efficacitate.

ORationem *ad Spiritibus Dæmoniorum profligandos: & loca ab ipſorum moleſtia & infeſtatione liberãda plurimum valere*, exemplis plurimis clarum eſt. Superius, Cap. nos horum duo aſsignauimus. Primum eſt presbyteri, cuius *B.* Auguſtinus meminit; qui *oratione* atque ſacrificio Miſſæ domum Heſperij purgauit. Alterum Sacerdotum, qui à Moguntino Præſule, cum authoritate miſsi, aqua luſtrali atque *comprecationibus* profligarunt peſtilentem in agro Bingenſi Spiritum.

His addimus tertium, ex Vita Beati Gregorij, cuius hortatu,

Latanij, formidabile quoddam Dæmonis, quaſi cornuti, Spectrum, quod certo cuidam loco ita infeſtum erat, vt in eo commorari nullus poſſet, abactum tandem eſt, & expulſum. Ita in Vita Gregorij refert Ioannes Diaconus, lib. 4 ca. 93.

Addamus & quartum ex eiuſdem Vita, vbi (lib. 4. ca. 93.) refertur *oratione* in fugam conuerſum Nequam Spiritum, qui in forma cati Religioſo viro haud parum fuit moleſtus. Pluribus opus non eſt. Quotieſcunque ferè vel Cruce, vel Exorciſmis Dęmones profligati ſunt ſuas etiam partes egit *Oratio*: qua ſine nec Crux, nec Exorciſmus à fidelibus adhibita videntur.

2. His alia quædam adiungimus, quæ eiuſdem orationis, aduerſus Dæmones vim egregiè declarāt: Fortunati, inquam, Tudertinæ Eccleſiæ Epiſcopi; quem *oratione* Dæmones ex hominum corporibus eijcere ſolitum, li. 1. Dialog. ca. 10. ſcribit B. Gregorius. & D. Bernardi; qui continua vnius noctis *oratione* Cremonæ Dæmonem profligauit; vt in eius Vita habet Bernardus Bonęuallenſis. Et B. Hilarionis; qui in Cypro Inſula, à miſera Dæmonum vexatione, *oratione* ad Deum facta, ducentos propemodum, partim viros, partim mulieres, eripuit; teſte B. Hieronymo in eius Vita.

3. Verùm nec ſi hæc atque his ſimilia exempla deſiderarentur, de aſſertione dubium animum licebit habere; propter *tria*, quæ Sacræ literę inſignia ſuppeditant argumenta. Primum petitur ex promiſſione orationi facta: alterum ex vi orationis, ipſiuſque effectibus, quos admodum habet excellētes: tertium ex Domini ſermone, qui orationem plurimùm in Dęmonibus profligandis docet valere.

4. Primum tanto firmius eſt, *quòd promiſſio orationi ab illo ſit facta*, qui quod promiſit, & poteſt pręſtare, quia omnipotēs eſt: & debet præſtare quia fidelis eſt: & volet præſtare, quia benignus eſt, atque miſericors; ab illo, inquam, in cuius fœmore ſcriptum, *Rex Regū, & Dominus dominantium*, Apoc. 19. *Cui data omnis poteſtas in cælo, & in terra*: Mar. 16 *qui* (quod ad propoſitum noſtrum facit) *habet clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua*, vt loquitur ſanctiſſimus Ioan. *& apprehendere poteſt Draconem ſerpentem antiquum, eumq́; ligare & mittere in abyſſum, & claudere atque ſignare*, Apoc. 20.

5. *Sed quæ promiſſio?* quę? Primum ipſe docet voti compotes futuros, qui ſe ad Deum per *orationem* conuertunt. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis*. Matth. 7. Deinde dictis ſuis in eadem re iuramenti conteſtatione fidem facit: *Amen*, inquiens, *dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ioannis 16. Nec hoc contentus, multis rationibus

bus ad certam nobis ſpem faciendam vtitur. *Quis,*inquit,*ex vobis homo,quem ſi pitierit filius ſuus panem,nunquid lapidẽ porriget ei? aut ſi piſcem petierit,nunquid ſerpentem dabit ei? Si ergo vos,cùm ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs veſtris,quanto magis Pater veſter,qui in Cœlis eſt,dabit bona petentibus ſe.* Lucæ 11.

Alterum argumentum ab *Orationis effectibus petitur.* Tales *orationi* tribuuntur,vt omnino ex ipſis concludi poſsit,*Oratione,*loca, à quacunque,quorumcunque Spirituum,infeſtatione purgari. Qualia enim ſunt corporis languores ſanare?fluxam & caducam hanc vitam prorogare?pacem & trãquillitatem cõciliare ab hoſtibus & inimicis liberare?victoriam impetrare?ſoli vbertatem, & pluuiam obtinere? Atqui hæc omnia *Oratione* perfecta ſunt. *Infirmatur quis in vobis,* inquit S. Iacobus.capite 5. *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum,& oratio fidei ſaluabit infirmum.* En corporis ſanitas. Orauit Dominum Ezechias (*Iſaiæ* 38.) *Obſecro,*inquit, *Domine, &c.* & ſequitur: *Audiui Orationem tuam:ecce adijciam ſuper dies tuos,quindecim annos.* En prorogatio vitæ. *Obſecro,*ait Apoſtolus 1. Timoth. 2. *primum omnium orationes fieri pro omnibus,vt quietam & tranquillam vitam habeamus.* En pax. *Audiui Orationem tuam,*loquitur Deus Ezechiæ (*Iſaiæ* 38.) *& de manu Regis Aſſyriorum eruam te,& ciuitatem iſtam.* En ab hoſtibus libertas. *Cùm Moyſes leuaret manus,*dicitur Exod. 17. *vincebat Iſraël.* En victoria. *Multum valet oratio iuſti aſsidua. Elias homo erat,ſimilis nobis paſsibilis:& Oratione orauit,*inquit S. Iacobus (capite 5) *vt nõ plueret ſuper terram;& non pluit,annos tres,& menſes ſex. Et rurſus orauit, & cælum dedit pluuiam. & terra dedit fructum ſuum.* En vbertas ſoli, & pluuia. Quid multis? *Oratio* parit ſapientiam & intellectum; Iacobi 1. ſterili vtero fœcunditatem impertit; Geneſis 15. eruit à probro, & morte; Daniel. 13. placat iratum Deum; Exod. 32. Cœlum & Paradiſum aperit; Lucæ 23. Denique nihil ita arduum, nihil tam difficile; quod per *Orationem,*aut factum non ſit,aut certè fieri non poſsit, Hæc fieri *oratione* potuerunt: non potuerunt profligari Spiritus *Dæmoniorum?* 6.

Quòd verò *plurimum valeat ad Dæmones abigendos, & exigendos,* hæc Domini docet oratio: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur niſi Oratione & ieiunio,* Matthæi 17. Quid hac apertius? quid diſertius dici poteſt? quid accommodatius ad rem præſentem afferre? 7.

De vero enim Dæmonio erat Domini ſermo. Illud Apoſtoli 8.
ejicere nequibant,eiecerat Dominus, ad preces parentis filij, qui torque-

Digitized by Google

torquebatur. Apoſtolis ſuſcitantibus, cur non potuerint eijcere, qui tamen facultatem eijciendi accepiſſent; & Dæmonia, iam multa eieciſſent, reſpondetur: *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, niſi in ieiunio & Oratione.*

9. Sic de vera Oratione Dominus loqui intelligendus eſt. Hoc primò ipſa vox, *oratio*, inſinuat, quæ per ſe ſumpta, non niſi mentis in Deum eleuationem ſignificat: tum inde manifeſtum eſt, quod multus in *Oratione* fuerit Dominus (Lucæ 6.) & idcirco Dæmonium eijcere potuerit: Apoſtoli, qui minus in *oratione* fuerunt frequentes (quemadmodum de ipſis, Domino obijciebant Phariſæi, Lucæ 5.) eijcere nequibant.

10. Verumenimuerò in quo nos maximum præſidium ponimus, leue fortè quidam, in noſtra cauſa, exiſtimant: propterea, quod non de Dæmonibus ex *locis* exigendis, ſed ex *corporibus humanis* expellendis, Dominus loquatur. Deinde quod *certum* quoddam Dæmoniorum genus nominet, quod *Oratione* pellatur: vt ob id Oratio *communis quædam machina*, contra omnes Spiritus dici non debeat. Accedit tertium, quod non minus præſidij in *Ieiunio* ponat, quàm *oratione* (vtrunque enim coniungit) vt idcirco vel dici debeat æquè, orationem & Ieiunium valere ad Dęmones locis profligandos; vel non valere orationem.

11. *Tria* his tribus argumentis quęruntur: ad quæ, vbi breuiter reſpōſum fuerit, Caput concludemus. Primum eſt, An Domini ſententia demonſtrari poſſit, Dæmones *non ex hominibus tantùm, verùm etiam locis infeſtis* oratione proſcribi. Secundũ, An oratio ad *omnes Spiritus* profligandos valeat; at ad aliquos tantùm. Tertiũ, cur *potius orationi* tribuamus exilium atq; proſcriptionem Spirituum Dęmoniorum, quàm Ieiunio; cùm orationi Dominus Ieiunium coniunxerit, & vtriuſq; pares eſſe vires inſinuet.

12. Poteſtne igitur Domini ſententia doceri, etiam *locis*, & non tantùm *hominibus* per Orationem proſcribi Dæmones? *Poteſt omnino.* Quamuis enim de ſolo hominem inhabitante Dæmonio ſermo ſit; alia tamen, quæ loca infeſtant, non excludit. Hoc primùm inde clarum eſt, quòd *Oratione* docuerit, *omnia* obtineri poſſe. Tum deinde ex illo, quod non ita locis, quæ infeſta reddunt; ſicut hominibus, quos obſident, videantur coniuncta atq; vnita, vt idcirco difficilius multo homines, quàm loca relinquant. Deniq; propterea, quòd etiam in hominibus ſint, veluti in quibuſdam locis; vt ob id, ſi doceatur, *oratione ex hominibus* eijci, hoc ipſo demonſtratum ſit, oratione *locis* pelli poſſe.

De

Digitized by Google

Sic ad *omnes Dæmoniorum Spiritus* profligandos valet *oratio*. Eſto v- 13.
nius generis Dominus meminerit: ſed illud tale fuit, vt cætera om-
nia *oratione* in fugam conuerti, certum ſit; ſi demonſtratum ſit hoc
oratione pelli. Quomodo verò? Quia quod *oratione* docetur profli-
gari, cæteris omnibus onerosius eſt, & difficilius. Eijciebant paſsim
Diſcipuli Chriſti Spiritus verbo, & nomine Domini inuocato: ve-
rùm ad hoc Dæmonium nomen Domini inuocatum non ſufficie-
bat: aliæ pro hoc expugnãdo erant neceſſariæ machinæ, *Oratio atque
Ieiunium*. Nunc hinc argumẽtamur. Si quod difficilimè pellitur *Dæ-
monium*, *oratione* pelli poteſt; poterit pelli quodcunque cuius vires
ſunt inferiores. At pellitur *oratione*, quod difficillimè pellitur. Pote-
rit igitur quodcunque aliud Dæmoniorum genus.

Cur verò oratione, non Ieiunio Spirituum profligationem tribuimus? 14.
Ad hoc plurima eſſent dicenda. Nos pro inſtituti, & loci ratione,
multa paucis. Primùm eſt. Ieiunij hîc etiam vires magnas eſſe. *Alte-
rum*, non Ieiunium tãtùm, ſed & Eleemoſynas, & alia pietatis Chri-
ſtianæ exercitia poſſe permultum. Tertium, hæc per ſe ad *Dæmones*
profligãdos non valere. Quartum per ſe valere *orationem*. Quintum,
orationi potiſsimum tribuiſſe Dæmonũ eiectionem *Dominum*. Sex-
tum adiunxiſſe *Ieiunium*, quod hoc, vt mens ad *Deum* per *orationem*
veniat, efficiat.

Primum infinita declarant, quæ pro *Ieiunij* commendatione, partim 15.
in ſacris literis, partim in ſanctis Patribus, reperiuntur. *Docent* enim
peccata ne cõmittantur, impedire: commiſſa expiare: ad paradiſum,
vnde propter violatum Ieiunium, expulſi fueramus, reditum præ-
ſtare: mentẽ ad Deum eleuare: promerita ſupplicia redimere: impẽ-
dentes clades arcere: magna *Dei* beneficia impetrare: ſanitati demũ
vtriuſque hominis plurimum conferre. Omnia hæc breui oratione
complexus B. Hieronymus, Epiſt. ad *Euſtochium*: *Medicinale Ieiuniũ*,
inquit, *omnem aufert languorem*, *& omnem tribuit virtutem & gratiam.*
Cæterùm vim eius aduerſus Dęmones disertè exprimit Athanaſius
lib. de Virginitate. *Quiſquis*, inquit, *immundo Spiritu vexatur*, *certum ha-
bere debet*, *Spiritus malos Ieiunio afflictos abſcedere*, *vim Ieiunij metuentes.*

Sic *de Eleemoſynæ præſtantia dubium nullum eſt*. Et hanc agnoſcit, qui 16.
in Sacris literis mediocriter eſt verſatus. *Docet* Tobias (ca. 4.) *Elee-
moſynam à morte liberare*: *peccata purgare*; *& non pati animam ire in
tenebras.* Idem Regius Propheta, Pſal. 40. *Beatus*, inquit, *vir*, *qui intel-
ligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus
conſeruabit illum*, *& viuificabit eum*, *& non tradet eum in animam inimico-
rum eius*. Docet Saluator ad cæleſtis gloriæ præmium, per Eleemo-

Digitized by Google

ſynam peruenire. *Facite*, inquiens, (Lucæ 16.) *vobis amicos, de mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula.* Docet Salomon, præter hæc, etiam promouere bona externa, & fortunæ caſibus obiecta. Notum eſt illud Prouerb. 28 *Quid dat pauperi, non indigebit.*

17. *Nec parua ſunt vires quorumcunque pietatis Chriſtianæ exercitiorum. Pietas*, inquit Apoſtolus (1. Timoth. 4.) *ad omnia vtilis eſt* Et Salomon (Sapient. 3) *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Non ignorarunt has Ezechias Rex, atque item ſanctiſſimus Paulus. Vnde ille in extremo vitæ periculo conſtitutus, auſus eſt dicere: *Obſecro Domine, memẽto quæſo, quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & corde perfecto,* (4. Reg. 20.) Hic verò: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* 2. Timoth. 4

18. Quod verò tertio loco dicebamus, *opera hæc ad Dæmones profligandos instituta non eſſe, nec per ſe eò tendere*, dubium non eſt. Ieiunium corporis afflictioni ſeruit, & vt Spiritui caro ſubijciatur, inſtitutum eſt: Eleemoſyna ad proximi miſeriam ſubleuandam facit. Reliqua pietatis exercitia ad futuræ vitæ gaudia obtinenda conferunt. At *Oratio per ſe valet ad profligandos Dæmones.* Ipſam generale quoddam mortalium voluit eſſe præſidium Deus Opt. Max. ad *omnia* omnino bona obtinenda: ad *omnia* omnino mala propulſanda, etiam immundorum Spirituum moleſtias: quemadmodum, quam Dominus orandi formam reliquit, quæque ab ipſo, quod *Dominica* dicatur, nomen obtinuit, egregiè demonſtrat & explicat.

19. Quòd *Orationi potiſſimum Dominus Dæmonum eiectionem tribuat*, multis hoc loco oſtendit doctiſſimus Toſtatus Abulenſis. Nec de hoc dubitat, qui & *Orationis* vires agnoſcit, & quid ieiunium orationi coniunctum efficiat, attendit.

Denique *Orationem Ieiunio iuuari cui dubium*? Nonne duæ eius alæ? altera, qua cælum conſcendit, & ad Dei conſpectum peruenit; altera, qua à Deo, quod poſtular, obtinet? Et ad illud iuuat Ieiunium: ad hoc Eleemoſyna. Vt optimè dixiſſe credendum ſit B. Chryſoſtomum, quando Hom 71. ad Populum, *orantem leuem vocat & alatum.*

20. Sed tamen *Eleemoſynæ Dominus nõ meminit; nec aliorum pietatis operum:* propterea, quod non ita cum *Oratione* coniuncta ſint, nec tanta ipſorum ad bene orandum neceſsitas, quãta Ieiunij, omnino neceſſe eſt, vt per *orationem* in Deum eleuetur; ad quod iuuat Ieiunium: vt verò, quod petit, obtineat (ad quod proſunt pietatis opera) neceſſe non eſt.

CAP.

CAP. LXVII.

De Reliquiarum vſu in profligandis Dæmonibus, quasq́ue ob cauſas Dæmones Reliquias non ſuſtineant.

VNa omnium propemodum tam Catholicorum, quàm Hæreticorum ſententia eſt, *Dæmones Reliquias Sanctorum fugere.* Ex Hæreticis, poſt alios, hoc admittunt Magdeburgẽſes, Centuria 4. ca. 13. col. 1446. Pro Catholicis ſunt Hieronymus & Chryſoſtomus: Hieronymus lib. contra Vigilantium: Tu, inquit, (Dæmonem alloquitur, qui per os Vigilantij Reliquias Sanctorum viliſsimum puluerem appellauerat) *ſæpe viliſſimo hoc tortus es puluere.* Chryſoſtomus docet eos fugere, quemadmodum fures, qui fugam capeſſunt, ſi quando in ſupellectilem incidunt regiam. Verba eius hæc ſunt, Homilia ſeptima, de ſeptem Machab. *Vt audaces latronum duces, ſiue impij ſepulchrorum effoſſores, ſi fortè dum prædas agunt, aut ſpolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum, tamen agnitis Regiis inſignibus deterrentur; vt fugiant, nec comminus accedere, vel attingere audeant: ita profectò & Dæmones, qui verè & latronum principes ſunt, & Magiſtri; vbi coronatorum Martyrum viderint corpora poſita, longè illico à conſpectu eorum pauidi fugiunt, & abſiliunt.* 1.

Nec temerè tam hi, quàm illi, in hanc opinionem venerunt. Exempla pro hac re tot ſunt, & tam clara; vt omnino in luce meridiana cæcutire dicendus ſit, qui hæc velit negare. Neque primis tantùm illa ſunt temporibus data; ſed noſtris quoq;: & non ab ijs conſcripta, quorum fides ſuſpecta ſit; ſed ijs, de quorum fide dubitare parum honeſtum. 2.

Ex multis aliquot produximus Diſputatione de Dæmoniacis hîc contenti ſimus *ſemicinctijs & ſudarijs* D. Pauli; de quibus S. Lucas cap. 19. hiſtoriæ Apoſtolorum, in hunc modum: *Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli; ita vt etiã ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia; & recedebãt ab ijs languores, & Spiritus Nequam egrediebantur.* 3.

Addimus ſequens ex Theodoreto, ipſius Theodoreti verbis: quod quemadmodum argumentum noſtrum confirmat, ita pluribus locis, in hac Diſputatione poteſt ſeruire. *Execrandas*, inquit,

Marcion, multas ſpinas impietatis ſeminauit in Regione Vrbis Cyri. Eas cùm conarer euellere radicitus, noctu venit quidam Dæmon exitialis, clamans, & lingua vtens Cyriaca; Cur, inquiens, tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam aduerſus eum ſuſcipis? Quanam is te vnquam affecit moleſtia? Deſine belligerare: deſine à maleuolentia: aut diſces experientia, quantum bonum ſit quies. Scias, quod te iam pridem confodiſſem, niſi chorum Martyrum te cuſtodientem vidiſſem, cum Iacobo. Hęc ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat: Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille verò, omnia, inquit, audiui. & cùm vellē ſurgere, & reſpicere, & ſcire quis loqueretur, tui cauſa quieui; quia te putarē quieſcere. Ambo itaque ſurgentes, reſpeximus: neque vllum, qui moueretur, vidimus nec qui loqueretur, audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiſcum habitabant, audiuerunt. Intellexi igitur, quod Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum, qui cum à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus; qui quouis clauſtro adamantino fuit mihi validior. Ita Theodoretus, Hiſt. Sanct. Patrum, cap. 21. & ex ipſo Cæſar Baronius Tomo 5. Hiſt. Eccleſ. circa annum Domini 424.

Sed illuſtrius exemplum refert Beda lib. 3. Hiſt. Anglorum, ca. 11. quod quia etiam pluribus locis huic Diſputationi poteſt ſeruir, e etiam ipſius verbis aſſcribimus: Monaſterium nobile fuit in prouincia Lindiſsi: nomine Beardanum. Huc quodam tempore hoſpes venit; qui ſolebat nocturnis ſępius horis repente ab immundo Spiritu grauiſsimè vexari. Cùm igitur benignè ſuſceptus, poſt cœnam in lecto membra poſuiſſet; ſubitò à Diabolo arreptus, inclamare, dentibus frendere, ſpumare, & diuerſis motibus cœpit membra torquere. Cumq; à nullo vel teneri, vel ligari potuiſſet; cucurrit Miniſter; & pulſans ad oſtium nuntiauit Abbatiſſæ. At illa aperiens ianuam, exiuit cum vna Sanctimonialium fœminarum ad locum virorum: & euocans Presbyterum, rogauit ſecum venire ad patientem. Vbi cùm venientes, viderent multos affuiſſe, qui vexatum tenere, & motus eius inſanos comprimere conati, nequaquam valebant; dicebat Presbiter Exorciſmum: & quæcunq; poterat, pro ſedando miſeri furore agebat. Sed nec ipſe, quamuis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumq; nihil ſalutis furenti ſupereſſe videretur, repente venit in mentem Abbatiſſæ puluis ille præfatus (intellige cineres S. Oſuualdi Martyris) ſtatimq; iuſsit ire miniſtram

ſtram,& capſellam,in qua erat,adducere. Et cùm illa afferens intraſſet atrium domus; in cuius interioribus Dæmonioſus torquebatur, conticuit ille ſubitò; intentiq; ora tenebant reliqui,quem res exitũ haberet ſolicitè exſpectantes. Et poſt aliquantum horæ ſpacium reſedit,qui vexabatur & grauiter ſuſpirãs. Modò,inquit, ſanum ſapio. recepi enim ſenſum animi mei. At illi ſedulò ſciſcitabantur; Quomodo hoc contigiſſet.quibus ille: Mox vt virgo hæc cum capſella, quam portabat,appropinquauit atrio domus huius, diſceſſerunt omnes,qui me premebant,Spiritus maligni,& me relicto nuſquam comparuerunt. Hactenus Beda.

Habet quoque hic locum quod de peſte inguinaria à ciuitate Treuirenſi depulſa ſcribit Gregorius Turonenſis, in libello Vitæ S. Nicetij. Verba eius hæc ſunt. Cùm lues inguinaria Treuericum populum in circuitu ciuitatis valde vaſtaret,& ſacerdos Dei (Nicetius)pro ouibus commiſsis Dei miſericordiam imploraret aſsiduè: factus eſt ſonus de nocte magnus, tanquam tonitru validum ſuper pontem amnis;ita vt putaretur, vrbs ipſa abſorberi.Cumq; omnis popuꝉs exterritus in lectulis reſediſſet, letiferum ſibi interitum operiens; audita eſt, in medio,vox vna cæteris clarior dicens: Et quid hîc ò ſocij faciemus?ad vnã enim portam Eucharius ſacerdos obſeruat: ad alteram Maximinus excubat: in medio verſatur Nicetius: Nihil hîc vltra præualere poſſumus; niſi ſinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hac audita voce ſtatim morbus quieuit,nullusq; ab eo vltra defunctus eſt. Quæ autem & quanta hæc peſtis inguinaria fuerit, docet Paulus Diaconus. Vide Baronij Tom. 7. fol 502.

Verùm quamuis in hoc Aduerſarij nobiſcum conſentiant; negant tamen *Reliquias* ad Dæmones profligandos adhiberi poſſe; quod, conſtantiſsimè admittunt, agnoſcunt, & confitentur Catholici. Hinc illi *Reliquias* proſcribunt, abijciunt, Vulcano tradunt, in cineres redigunt, &, vt omnino extra omnem mortalium ſint conſpectum, procurant. Hi eaſdem ſtudioſè conquirunt, diligenter conſeruant,religioſè venerantur, & magno habent in honore. 4.

Si ab illis cauſam ſuæ opinionis & facti ſciſciteris, reſpondent vſum *Reliquiarum*, qui in Dæmonibus profligandis poſitus eſt,ſuperſtitioſum eſſe, & cum ſumma Creatoris contumelia coniunctum. Quocirca docent non idcirco Dęmones *Reliquias* non ſuſtinere; quòd illas oderint, deteſtentur & fugere cogantur; ſed vt fuga homines ad *Reliquiarum* cultum,& impiam ſuperſtitionem in- 5.

Digitized by Google

uitent. *Fingunt*, inquiunt, *fugam; non coguntur fugere, nec fugiunt inuiti.*

6. Contraria Catholici ratione ad contrariam opinionem, & factũ inducuntur. Credunt Dæmones non fugam fingere, ſed fugere coactos. *Reliquiarum* eam vim eſſe & poteſtatem, vt in ipſarum præſentia nequeant conſiſtere verſipelles Spiritus.

7. Et profectò, quamdiu in ea cogitatione atque ſententia hærent Aduerſarij; vt credant ſuperſtitioſum eſſe *Reliquiarum* vſum, *Reliquiæ* ad Dæmones profligandos vti nec poſſunt, nec debent: quamuis etiam certum eſſet, vſu *Reliquiarum* ipſos à maximis Dæmonum poſſe liberari moleſtijs; & aliter liberari non poſſe: propterea, quòd *Omne quod ex fide non eſt, peccatum ſit*; & *Omne, quod contra conſcientiam eſt, ædificet ad gehennam*; peccatum autem ob nullius, vel boni conſecutionem, vel mali depulſionem permiſſum ſit.

8. Sed vt hunc errorem deponant cæci: intelligant etiam, quàm procul à ſuperſtitionis crimine abſint Catholici, *duo* demonſtranda ſunt. Primum, *Reliquias reuera moleſtas eſſe Dæmonibus*, eoſdemq; torquere; vt ob id ipſos non fugam fingere, ſed coactos fugere credendum ſit. Deinde dici non poſſe, *Dæmones fuga ſua, ad Reliquiarum cultũ homines allicere*; quamuis etiam reuera (quod tamen falſum eſt) non torquerent. Vbi hæc duo, in gratiam Aduerſariorum, demonſtrata fuerint, noſtra proſequemur.

9. *Torqueri ad Reliquiarum præſentiam Dæmones*, primò deſerta Patrũ, ſanctiſsimorum hominum, ſententia eſt. Vnius nobis ſufficit auctoritas Chryſoſtomi. *Reliquiæ Sanctorum*, inquit ille (Homil. 66. ad Populum Antiochenum) *Dæmones ſiſtunt & torquent: & vinctos ab illis ſoluunt ſæuiſsimis vinculis.* Et libro contra Gentiles, de Vita S. Babilæ, Antiocheni Epiſcopi & martyris; *Ea*, inquit, eſt Sanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum Dæmones, ne Vmbras quidem, aut Veſtes: vita autem defunctorum, & Loculos quoq; reformident. Rurſus, Sermone in adorationem catenarum S. Petri: Has Catenas, inquit, potentiarum, quæ ab ipſo defecerunt, Princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret & multo cum timore illas ſubterfugiens, comprimitur. Has aerea Spirituum multitudo metuens ac tremens, iaculiſq; inde emiſsis percuſſa, longius profugatur, &c.

10. Deinde, idem, vt cætera omittam, docent *Reliquiæ S.* Babilæ Martyris. Nonne ob eius ſepulchri viciniam, oraculum Apollinis ſiluit? Nonne vt loquelam Idolum reciperet, arcam Martyris remoueri iuſsit Apoſtata Iulianus? Volunt Centuriatores Diabolum de induſtria ſimulaſſe ſe impediri à Martyre; vt vſum *Reliquiarum* ſcili-

Digitized by Google

ſilleret venerationis induceret: ſed quam id præter omnem rationem dicant, ſequens miraculum clarè oſtendit: quod, vix arca Martyris abducta, ignis de cœlo deſcendens, Idolum, vnde Diabolus oracula reddebat, totum conſumpſerit. *Vide* Bellar. Tom. 1. Cont. vltima lib. 2. cap. 2. Vetus hoc exemplum eſt, quod produximus.

Recens eſt illud Thomæ Fazelli, libro 10. prioris Decadis Rerum Sicularum, cui tanquam oculato teſti fidem meritò abhibere licet. Eſt, inquit, Agyræ, D. Philippi (Petri Apoſtolorum principis hic diſcipulus fuit, Siculis ab eodem ad Chriſti Euangelium prædicandum miſſus) templum miraculorum frequentia celeberrimum. Hic anno ſalutis 1541. ſolemni D. Philippi feſto ducentas penè arreptitias offendi. Hæ vt diui Imaginem exhibitam conſpexerunt, mox ac ſi hoſtis capitalis adeſſet, illius aſpectum formidantes, voce ſublata, veſtimenta ſcindere, crines vellere, vinculisq́; quibus ſtrictiſsimè impediebantur, diffractis, quædam etiam è cuſtodum manibus elabi cœperunt: quorum deinde inuſitati clamores, omniq́; gemitu maiores, veluti rugitus immanes, ita toto templo viciniſq́; agris perſonuere, vt è propinquo bellum ingens ac ſæuum, cruentiſsimumq́; prælium committi videretur. Ita Fazellus. Quomodo eædem ibidem liberatæ, quomodo & alijs rationibus vis Reliquiarum ibidem confirmata, pluribus oſtendit: quæ hic referre noluimus. Commodiorē locū habent illa de Dæmoniacis Diſputatione.

Si vox mentis indicium eſt, *etiam ex voce*, quam Dæmones effingunt, aliquod argumentum, pro ipſorum tortura accipitur. Neque enim maligni Spiritus ad *Reliquiarum* præſentiam voces excitāt, quæ hilaris atq; exultantis animi indicium ſunt, ſed quę anguſtias mentis, & ſummas moleſtias produnt. De ijs ſic Sanctus Hieronymus Epiſtola 27. (loquitur de S. Paula) Cernebat varijs Dæmones rugire cruciatibus; & ante ſepulchra Sāctorum, vlulare homines more luporum; vocibus latrare canum; fremere leonum; ſibilare ſerpentū; mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſq́; pede fœminis veſtes defluere in faciem. Ita *Hieronymus*. 11.

Dubium non eſt, quin Dæmonibus moleſti fuerint Sancti Dei homines *dum viuerent*, quorum iam mortuorum *Reliquias* fugiunt. At cur viui moleſti fuerunt, mortui non item? Neque enim tantùm, quod in ipſis viuebat, Dęmonibus moleſtiam afferebat: afferebat moleſtiam, atque adeò torquebat, quod cum viuis erat coniunctum: *ſemicinctia*, verbi gratia, atque *ſudaria* S. Pauli. Si verò 12.

hoc-

Digitized by Google

hoc viuorum poterant ſemicinctia atque ſudaria; in quibus tamen viuorum animus nunquam reſedit;non torquebunt,inuiſaque erūt oſſa;in quibus Spiritus aliquando ſedes ſuas habuerunt?

13. Naturale omnibus eſt, vt quos *inuidia atque odio* proſequuntur, eorum nec aſpectum ferant,nec præſentiam: deteſtentur etiam imagines,mores,amicos.Ipſorum quicquid eſt;graue eſt, moleſtum eſt,tortura eſt. An odio SS.homines non proſequuntur Dæmones? non ijs inuident?Si verò proſequuntur & inuident; poſſunt ęquis oculis intueri cadauera?ſuſtinere *Reliquias*? veſtes, imagines?

14 Difficile eſt mortalibus,& non,niſi perfectorum hominum opus, vt eos mortuos ament,& non perſequantur atque deteſtentur;à quibus *viuis* graues iniurias ſuſtinuerunt.Plerique omnes in mortuis vlciſcuntur,quorum viuorum ſuſtinuerunt potētiam: At quanta quidam Dęmonum à Sanctis viuentibus paſsi?Et quod vix optimus aliquis; harum iniuriarum ipſi nequiſsimi Nequam obliti,mortuos nō deteſtabuntur?non odio proſequentur?non cum moleſtia ſuſtinebunt?

15. Dubium non eſt tortos eſſe *Chriſti* præſentia Diabolos. Ipſorum in promptu eſt confeſsio.*Veniſti*,inquiūt quidam illorum,*ante tempus torquere nos*.Matth.8.Verùm cur de tortura conqueruntur?quia ſcilicet,verebantur,ne *ſedibus ſuis* pellerentur. Quàm porrò debuit Dominus torſiſſe iam eiectos,quando ſolus timor, quòd eijciendi eſſent,torſit? At plurimi Sanctorum,Dæmones locis ſuis,& ſedibus eiecerunt.Non igitur non poſſunt ijs graues & moleſti eſſe Sancti.

16. Hinc clarum eſt ineptè dici *Dæmones fugam ſimulare*:ad fugam nulla vi cogi.Si torquent Sanctorum *Reliquiæ*; ſi moleſtę ſunt & inuiſæ: quomodo Spiritus fugam ad ipſarum præſentiam ſimulant? quomodo non fugere coguntur? Nonne ab ijs qui moleſti eſſe ſolent,ſi poſſumus,quàm citiſsimè nos expedimus? Nonne apud ipſos ſumma cum difficultate retinemur?

17. Sed ad Alterum caput.Doceamus dici non poſſe *Dæmones ad Reliquiarum cultum fuga ſua inuitare atque allicere mortales*. Hoc verò ex illo certum eſt, quòd cultus *Reliquiarum* in earum rerum genere ſit:quæ per ſe bonæ ſunt:Dæmonum autem hoc ingenium, vt ad bonum inuitent neminem. Quid enim hîc dubium?quid non certum?

18. Clarius propoſitum noſtrum oſtendunt partim *mala*,quæ *Reliquiarum* intuitu mortales declinant;partim *bona*,quæ cum *Reliquiarum* cultu coniuncta ſunt. Ab illis enim Spiritus Nequam non poſſunt

Digitized by Google

ſunt auocare mortales. Ad hæc non poſſunt inuitare. Sed quæ *mala* declinantur?

Mala hæc plurima ſunt. Nos ſumma capita referimus. Eſt *ſuperbia*: quę hoc nomine mortalibus diſplicere incipit, quod etiam corpora atque cineres eorum in honore habeantur, qui hoſtes ſuperbię, & humilitatis ſtudioſi ſectatores fuerunt. Eſt *amor congerendi diuitias*; quas intelligunt ijs contemnendas, qui arduum atque difficile ad cælum iter ingrediuntur. Eſt *luxuria*: cuius illecebras tãto magis deteſtantur, quanto maiori in honore ſunt, non apud Deum ſolum, verum etiam homines; qui corpora ſua mortificauerũt propter Deum. Eſt *Ira*: cuius non poſſunt non frangere impetus, quando in memoriam venit (venit autem ad *Reliquiarum* intuitum) ſumma Sanctorum manſuetudo: qui etiam pro perſecutoribus ſuis Deo ſupplicarunt. Eſt *Gula*; à qua ſibi cauendũ cenſent, ipſorum exemplo, quorum cùm pignora vident, has voces audire videntur: *Vſq; in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus.* Eſt *Inuidia*; quam deteſtantur, recordatione charitatis, quæ in ijs flagrauit, quorum coram intuentur & venerantur *Reliquias*. Eſt *Acedia*; quam cane peius & angue putant fugiendam, ſi ad cælum peruenire cupiunt, exemplo eorum, quibus vnum hoc præcipuum fuit ſtudium, vt cum Deo eſſent quàm ſæpiſsimè, ſedula & ardenti oratione, rerumq; diuinarum contemplatione. 19

Sed non ad *mala* ſolùm declinanda *Reliquiarum* cultu vrgentur mortales; etiam inuitantur ad facienda *bona*. Quæ verò? Ad omnium propemodum virtutum exempla. Quarum quæſo? Ad *contemptum diuitiarum*; quas Reliquiarum honori potius, quam ſibi ſeruire volunt. Ad *afflictiones corporum*, quibus nunc ſuſceptis peregrinationibus, nunc abſtinentia & ieiunio, nunc alijs rationibus vis infertur. Ad *humilitatem*: cuius maxima indicia ad Sanctorum ſepulchra & *Reliquias* exhibentur. Ad *caſtitatem*; quæ ſæpe hoc nomine ſuſcipitur, quia illorum *Reliquiæ* in honore habentur, qui ob caſtitatem Deo placuerunt. Ad *orationis ſtudium*: quæ ad Sanctorum Reliquias propemodum eſt continua. Omitto, breuitatis ſtudio, reliquas. 20

Hæc cum Reliquiarum cultu cõiuncta. An hæc propoſita ſunt Dæmonibus in *Reliquiarum* fuga, quam diſsimulare dicuntur? Quærunt Nequam, vt caſtra vitiorum deſerant, & ad virtutum arces cõfugiant Mortales? id eſt, ſua caſtra relinquant, & ad hoſtium, id eſt, Dei, properent? 21

Non quærunt hoc nequiſsimi. Placet ipſis *Superbia*; omnium 22

vitiorum mater & origo. Placet *Auaritia*; qua plurimos illaqueant. Placet *Luxuria*; quā in omni ætate, cuiuſlibet improbitatis, & turpitudinis nouerunt eſſe eſcam. Placet *Ira*; vt quæ homines *ſenſibus integris*, vt B. Chryſoſtomus loquitur, (Homilia 18. in *Matt.*) *facit inſanire*. Placet *Gula*; quæ eodem Chryſoſtomo authore (Homil. 58.) homines efficit ſues, imò ipſis ſuibus deteriores. Placet *Inuidia*, quæ fraternę charitatis apertiſsimè iura violat.

23. Et qui miſeros mortales cupiunt in Vitijs excellere; illis fortè placebunt Virtutum exercitia? placebit ijs contemptus diuitiarum; qui diuitiarum laqueis omnes cupiunt inuolutos? Afflictio corporis; qui mox conditū hominē ad corporis oblectamenta inuitârunt? Humilitas; qui ob nimiā ſuperbiam de cælo deiecti fuerunt? Caſtitas; qui locis delectātur humidis, & virtutem habent in vmbilico & renibus? Studiū orationis; qui iuratiſsimi illius ſunt hoſtes, ad quem oratio dirigitur.

24. Forſitan negantur virtutum *exercitia* eſſe, quæ diximus; propterea, quòd *ex fine*, qui in ipſis propoſitus eſt malus, vitium contrahant omnia. Ea ſiquidem finis mali conditio eſt, vt cùm ad opera accedit, etiam præſtātiſsima inueniat, deprauet ipſa atq; corrumpat. Sed hoc examinemus.

25. Primum omnium, quod obijcitur, in omnibus locū non habet. Nòn hoc propoſitum eſt in *vitiorum* fuga. finis qui opus deprauet, oportet opus accedat: at ſine opere eſt vitiorum fuga. Vel igitur ob hoc Dęmones fugam diſsimulare nō debent; quòd multa mala, quæ alioquin committerentur, omittuntur.

26. Deinde, dicendum non eſt, opera *omnia*, quæ fiunt, à fine deprauari. Cùm enim ipſa ex ſe bonā ſint; ſi deprauántur, non ipſis inſito fine deprauantur; ſed alio aliquo, qui ex agentium volūtate accedit. At quis vnquam ex ijs, qui *Reliquias* in honore habuerunt, aliud ſibi propoſitū fuiſſe dicat, quam Dei atq; Sanctorum honorem? Vtrum verò hîc malum? Dei, an Sanctorum? Num vtriſq; ſuus honos debetur?

27. Tribuitur fortaſsis Dei honor Sanctis. Et hoc quis cogitauit? quis dixit? quis ſcripſit? quis fecit? *Infinitis partibus* honor, qui Sanctis tribuitur, inferior eſt illo, qui debetur & tribuitur Deo. Deum, vt boni omnis authorem & conſummatorem honoramus; Sanctos, vt Dei amicos, noſtroſque apud Deum patronos, & interceſſores.

28. Sed nimium excreſcit oratio. Nimis multa cum Aduerſarijs. Noſtra repetamus. Igitur, cùm certum ſit, non ſimulare fugam

Dæmo-

Digitized by Google

Dæmones, ſed inuitos fugere, & *Reliquias* non ſuſtinere; *Cauſam*, cur fugiant, inquiramus. Quæ igitur illa? *An Deus*; qui ipſos cogit ad præſentiam *Reliquiarum* fugere? An *Sancti*, quorum *Reliquiæ* habentur, in fugam conuenrunt? *An* ipſis *Reliquijs* vis illa inſita eſt, vt locis atque hominibus nequam Spiritus pellant? An *homines* ſunt; qui vt alijs rebus, ita adhibitis Reliquijs, eoſdem proſcribunt? An denique horum nihil, ſed ipſi *Dæmones* ſunt, qui quamuis nullam à *Reliquijs* vim patiantur, ipſas tamen ſuſtinere ex odio nequeant.

Quinq; hîc modos inſinuamus, quibus *Reliquijs* Spiritus pelli, poteſt intelligi: *quem*, vel *quos* probemus, inquirendum eſt; antequam Caput concludemus. 29.

Deum ad Sanctorum Reliquias Dæmonibus exilium, aut fugam imperare poſſe, extra contrauerſiam eſt. Quid non poteſt Deus, *cuius nomen omnipotens*? Exodi 15. Dubium item nullum, frequenter *imperauiſſe*, quãdo difficiles Nequam Spiritus eſſe potuerunt: & ipſe hac ratione Sanctorum ſuorum voluit gloriam illuſtrare, & mundo innoteſcere. Veruntamen non ſolo hoc nomine, neque ſemper hoc, Dæmones fugam capeſſere credendi ſunt. Poteſt Deus Dæmonibus diſceſſum & fugam non imperare, & tamen ipſos ad fugam cogi certum eſt. 30.

Sanctos, quorum Reliquiæ habentur, propriè Dæmones fugare dici non debet, quoniam, vt ipſi per ſe miracula non perpetrant; ita neque Dæmones in fugam per ſe conuertunt. Magna fuit ipſorum in Dæmones poteſtas quamdiu communem nobiſcum in terra vitam egerũt: mortui iam, & cum Chriſto in cælo regnantes in *Dæmones* per ſe poſſunt nihil. Si quid poſſũt, peſſunt oratione, quemadmodum reliqua, ita Dæmonum fugam impetrare. 31.

Reliquijs poteſtas aliqua, quæ in Dæmones agat, eoſq; ſedibus pellat, non ineſt. Si ineſt, qualis quæſo illa eſt? Spiritualis, an corporea? Spiritualis in re corporea, vt *Reliquiæ* ſunt, ineſſe non poteſt. Corporea ad Spiritus profligandos, quales ſunt Dæmones, nihil facit. 32.

Suntne igitur *homines*, qui *quemadmodum rebus alijs, ita adhibitis Reliquijs Dæmones proſcribunt?* Sunt vtiq;, quoniam penes homines hãc poteſtatem futuram, diſertè Chriſti probat oratio. Marci vltimo, &c. vt ergo illi Dæmones in fugam conuertunt vſu nominis Ieſu; ita vſu *Reliquiarum*, vſu Rerum aliarum. 33.

Sed præter hanc, alia ratio eſt, quam quinto loco inſinuamus, *quòd Reliquias etiam per ſe ferre nequeunt Spiritus*; ita, vt quamuis ho- 34.

Digitized by Google

mines aduerſus Dæmones Reliquijs ſe non arment, & his armis inſtructi eos non impugnent: ſi tamen ipſas alicubi Nequam Spiritus deprehendant vel obſeruent, mox fugam capeſſant. Hoc pulchrè B. Chryſoſtomus ſimilitudine oſtendit, quam initio huius Capitis attulimus.

35. Duobus igitur modis ad profligandos Dæmones *Reliquiæ* faciunt. primò *per ſe*, ſecundò *ex vſu* eas Dæmonibus adhibentium. In priori modo ſimplex eſt ratio, cur fugiant; in poſteriori duplex ſiue bipartita. Ibi *per ſe* fugere dici poſſunt, ob odium, quo erga *Reliquias* flagrant, maximum: hîc præterea compelli exorcizantium authoritate. Ibi *Reliquiæ* veluti obiecta quædam Dæmones mouent, vt fugam ineant: hîc ſunt quædam quaſi inſtrumentales cauſę, quibus Exorciſtæ (quibus diuinitus in Spiritus hos collata poteſtas) vtuntur.

CAP. *LXVIII.*

De Crucis aduerſus Dæmones efficaci vſu: & quod hic nullum ſapiat ſuperſtitionem.

1. QVemadmodum de Reliquijs communis eſt, tam Catholicorum, quàm *Hęreticorum*, ſententia, quod ad profligandos Dęmones valeant; ſic communis conſenſus de *Cruce*. Ex Hęreticis inter alios ita ſentit *Brentius*, teſte Alano, Dialogorum lib. 4 ca. 3. Ex Catholicis omnes omnino: vt non ſine cauſa in Prouerbium abierit, *Dæmones fugere Crucem*.

2. Iiſdem etiam rationibus vtrique inducti ſunt; multitudine ſcilicet exemplorum, quæ omnis ætas ſuppeditat. Nos aliâs duplicis generis protulimus, quorum quædam oſtendunt *Cruce* ex hominibus Dęmones eſſe exactos; quędam alijs locis profligatos. Vide Diſput. de Dæmoniacis.

3. Prioris generis ſunt, quòd Gregorius, Lingonicus Epiſcopus ex Energumenis ad ſe adductis, *ſigno Crucis* iuſſerit Dæmonia diſcedere; vt loquitur Gregorius Turonenſis, in Vita Patrum, quod eodem ſigno, eadem à muliere exegerit Albinus Andegauenſis Epiſcopus, quemadmodum teſtatur Vincentius, li. 23. ca. 143. quod idem præſtiterit Ioſephus quidam, nondum Chriſtianus; vt habet Epiphanius Hæreſi 30.

4. Pro poſterioribus ſeruit Gregorius Neocæſarienſis; quam ſæpe contra Dæmones his armis depugnaſſe teſtatur Gregorius Nyſſenus, in Vita eius. B. Antonius; qui hoc armorum genere omnibus Dæmo-

Dæmonibus fuit terribilis. S. Margareta; quæ *Cruce* Dęmonem in forma Draconis ſibi appropinquantem profligauit, teſte Metaphraſte, in eius Vita. Iulianus Apoſtata; qui dum ſe *Cruce* ſignat, Dæmones, quos euocarat, fugat; quemadmodum Oratione in eundem ſcribit Nazianzenus.

His addimus, quod vtriſque plus ad propoſitam Diſputationem facit; & in Anaſtaſio Imperatore refert Glycas, parte 4. Erat, inquit, his temporibus Rex Perſarum Coades, qui cum in caſtello quodam gemmas magni pretij didiciſſet; ac quo minus potiretur, ab incolis loci genijs, impediretur; omni genere præſtigiarum vſus eſt. Nam & Iudæos, & quoſuis alios accerſitos adhibebat: neque tamen illorum quiſquam aliquid efficere potuit. Tandem Antiſtes eius loci, ſolo Crucis ſigno expulit. Hæc Glycas.

Quocirca optimè Paulinus Natali octauo S. Felicis.

Nos Crucis inuictæ ſignum, & confeſſio munit.
Armatiq; Deo mentem non quærimus arma
Corporis: & quamquam membris videamur inermes.
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra Incorporeos animi decernimus Hoſtes.

Eodem quoque *modo* de Dæmonum ingenio loquuntur Aduerſarij, & Catholici. Volunt illi Dæmones hic nequiter agere, & fuga ad ſuperſtitioſum honorem *Crucis* mortales inuitare. Aſſerunt hi ex *Crucis* odio, & deteſtatione, fugere. Nos quamuis de hoc aliâs aliqua; hîc tamen pro Catholicorum opinione pauca, ex iam allatis exemplis argumenta addemus; tum noſtra proſequemur. 5.

Et principio quidem *eos, qui exempla literis conſignata poſteritati addiderunt*, in illa ſententia non fuiſſe; vt putarent Dæmones *fuga* ad Crucis cultum ſuperſtitioſum allicere, certum eſt. Res geſtas ita narrant, vt ſignificent, & tortos eſſe Dæmones, & Crucem fuiſſe coactos. 6.

Deinde, *qui Cruce contra Dæmones ſunt vſi*, id de ingenio Dæmonum nec ſuſpicati ſunt, nec ſuſpicari potuerunt. An putarunt hoſtem pelli rebus hoſti gratiſsimis? aut ad Dęmones pellendos, animo non pellendi acceſſerunt? Omnino quia prodigioſos effectus *Crucis*, priorum, & ſuorum temporum exemplis deprehenderunt; eandem ad Dæmones, *vi pellendos* valere, credere & potuerunt, & debuerunt. 7.

An in eadem cum Aduerſarijs ſententia fuerunt, *qui nos præceſſerunt*, & vel hæc ad *Crucis* ſignationem fieri viderunt, vel facta audie- 8.

audierunt? Vix de vllo hoc legimus; de pluribus verò, quòd ad Dęmones profligandos *Crucem* valere crediderint.

9. Quid quòd *omnium* hæc fuerit ſententia? omnes hanc *Crucis* virtutem agnouerint? Poſſet hoc aliunde doceri; ſed vnius *Apoſtatæ* Iuliani ſuffecerit exemplum. Ille ex vſu atque conſuetudine, quæ apud Chriſtianos vigebat receptiſsima; *Cruce* ſe aduerſus Dæmones muniens, conſeruatus eſt.

10. Hæc cùm ita ſint; cùm, pro ſe, Catholici habeant tot, & tam varia exempla: cùm ſequantur eorum, qui *Cruce* Dæmones profligârunt; eorum, qui profligatos viderunt & audierunt; eorum, qui hęc poſteritati tradiderunt, ſententiam; cùm ſequantur totam antiquitatem, damnari iuſtè poſſunt? argui ſuperſtitionis? Idololatriæ? præſertim, quādo diuinis literis edocti ſunt, vt *Maiores ſuos audiant & ſequantur?* Deut. 4.

11. *S*ed hæc ex hominum *opinione* argumenta deſumpta ſunt. Ita eſt. Nulla igitur ſunt? Non ita eſt. Ex *rebus ipſis* deprompta hîc non deſiderantur. Primùm, tam variorum hominum opinio plurimum valet. *Quod enim vniuerſa tenet Eccleſia*; & (vt B. Auguſtinus loquitur li. 4. contra Donatiſtas, ca. 24) *omnibus retro ſeruatum eſt temporibus, non pro hominum tantùm opinione bonum eſt, minimeq́; deteſtandum; ſed reuera quoque bonum eſt, & nullo modo damnandum.*

12. Præterea, quando ad Crucem, à *Iuliano* factam, euanuit Dæmon, annon *Crucis* vim ſenſit? Aut rurſus ad honorandam *Crucem* voluit inuitare perditum Apoſtatam; quem à *Crucis* honore ſemel auocauit? Voluit perſuadere, vt Chriſtianus fieret, quem antea ad deſerenda Chriſtianorum caſtra, cum ſpe maximi lucri, induxerat? quid poteſt fingi ineptius? dici abſurdius? Si vnquam fugam diſsimulauerūt Dęmones, ad effictam *Crucem*: profectò, cùm ſe ſigno *Crucis* Apoſtata ſignauit, fugam diſsimulare non debuerunt.

13. *Ioſephus*, Iudæus adhuc, *Crucis* vim obſeruauit, in Dæmonum eiectione; quādo mox ad *Crucem* ab ipſo productam obſeſſos relinquebant impoſtores; hacq́; re commotus ille animum ad Chriſtianam religionem adiecit. An fortè, vt Chriſtianus fieret Ioſephus, adlaborarunt Dęmones?

14. Cùm *Coades*, Perſarum Rex, cuius iam meminimus, ſpe gemmarum conſequendarum, omnis generis ſuperſtitiones, aduerſus infeſtos Dæmones admiſiſſet; quî fit, vt ad ſolam *Crucem* factam omnis Dęmonum vis abacta ſit? An ſuperſtitiones non fuerunt, quibus fruſtra Dæmones tentârunt Gentiles, atque *Iudæi*? & ſola fuit ſuperſtitioſa

tioſa *Crux* ab Antiſtite facta? Cui hoc, vel per ſomnium venit in mẽ-
tem? Aut ſuperſtitioſi non fuerunt Iudæi, atque Gentiles; aut omni
ſuperſtitionis ſuſpicione caret Antiſtes cum *Cruce*.

Si in *ſola* Dæmonum *fuga Crux* vires ſuas demonſtraſſet; forſitan 15.
vis *Crucis* poſſet eſſe ſuſpecta: Iam verò tam ſunt multa, tam ſunt va-
ria, tam ſunt magna, per *Crucem* perpetrata; vt vel ex ijs virtutem e-
ius in Dæmonum eiectione omnino oporteat aſtruere.

Sed *ex Cruce Crucis* vim contra Dæmones cognoſcamus. *Crux* ſig- 16.
num eſt rerum Dæmonibus maximè exoſarum. Quas igitur res ex-
oſas Spiritus Nequam habent, & deteſtantur; earum ſignis gaudent?
afficiuntur? recreantur? Et *rebus*, & rerum *ſignis* cruciantur Dæmo-
nes.

Dubium non eſt, quin odio perſequantur Nequam *illa*, quæ mag- 17.
no in honore habet Deus. Contrariorum enim ſunt ingeniorum;
contrariorum ſtudiorum. Quanti verò *Crucem* facit Dominus? In
ſummo illo & ſupremo die; in ſummo ſuo triumpho; quando ven-
turus eſt *cum poteſtate magna & maieſtate*, *Crucem* vult eſſe pręcipuum,
& illuſtriſsimum inſigne. Matth. *24*. Num. igitur non poſſunt de-
teſtari *Crucem* Diaboli?

Dubium non eſt, implacabili odio Dæmones *deteſtari Deum Opt.* 18.
Max. Dubium nullum, quin quæ Dei honorem promouent, abomi-
nentur. Quantum verò promouet *Crux*? *Crux*, in qua Chriſtianis
gloriandum cenſet Apoſtolus? Galat. *6*.

Omitto mortales ex *Cruce* occaſionẽ ſumere *bonorum* multorum; 19.
quæ ipſi faciunt; & deteſtantur verò Dæmones; ſumere occaſionem
multorum *malorum*, quæ ipſi fugiunt, deſiderant verò Dæmones. An
hoc ipſo ergo, quo ad *Crucem* fuga ſua alliciunt Dæmones, ſuadent
bona? diſſuadent mala?

Denique, ipſam *in ſe Crucem* inſpiciamus, quidnam in ea ſuperſti- 20.
tioſum eſſe poſsit, inueſtigemus. Duo in ipſo ſunt, motus quidam
manu in aere factus, & exſpectatio fugę Dęmonum. Vtrum horum
ſuperſtitioſum? Prius illud, an poſterius? Prius res naturalis eſt; alte-
rum efficium pietatis aut charitatis.

Fortè nec hoc, nec illud damnatur; ſed quòd fuga Dæmonum ex 21.
tali manus motu exſpectetur. Cur hoc? An quia effectus ſpiritalis,
& quaſi diuinus, à re ſperatur corporea; quæ cum illa affinitatem
habet nullam? Verùm ſimile quid in Sacramentorum vſu obſerua-
mus; quæ tamen ad ſuperſtitionem reuocare extremæ eſſet demen-
tiæ.

Dici-

22. Dicitur forſitan Sacraméta diuinam habere inſtitutionem. Quid ſi eadem niti dicamus *Crucem*? quomodo quod aſſeretur, refutabitur? Si Scripturæ poſtulantur; poſtulabuntur eædem pro ſacraméntis; quæ cùm hîc in quibuſdam deſiderentur; vel illorum authoritas eleuabitur, vel *Crux* non idcirco reijcietur, quòd pro ſe diſerta non habeat Scripturarum teſtimonia.

23. Sed nec neceſſe eſt omnia diuinam habeant inſtitutionem, quæ ad Spirituales effectus producendos vſurpantur, & corporea ſunt. Ab Apoſtolicis Apoſtolicisq; viris quædam probata & vſurpata eſſe potuerunt; quædam à primitiua Eccleſia recepta; quę vel hoc nomine non damnari, ſed probari; non contemni, ſed in honore haberi debent. Quid ſi ex horum genere ſit ipſa Crux?

24. Omnino verò rem ita ſe habere, ſequentibus docemus; & eò breuius, quo magis ad finem properat oratio.

25. Primùm hîc pro nobis eſt *antiquiſsimus Scriptor* Tertullianus, qui, Libro de Corona militis, *Traditiones Apoſtolicas* enumerans: Ad omnem, inquit, progreſſum atque promotum: ad omnem aditũ & exitum: ad veſtitum & calceatum: ad lauachra: ad menſas: ad lumina: ad cubicula: ad ſedilia: quacunq; nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.

26. Secundò, ſeruit *Regula* Beatiſsimi Auguſtini, qua, libro 4. contra Donatiſtas capite 24 id cenſet: *Apoſtolicam habere traditionem*, & inſtitutionem, *quod in vniuerſa Eccleſia, & omnibus retro temporibus ſeruatũ eſt; quamuis ipſum etiam tale ſit, vt Eccleſia potuerit inſtitui.* Quid verò? Annon in vniuerſa Chriſti Eccleſia omnibus retro temporibus fuit vſus *Crucis*?

27. Tertio, valet hîc *Regula*, qua vſi ſunt Irenæus, atque Tertullianus. Ille libro 3. capite 3. hoc libro de Præſcriptionibus Hæreticorum. Vbi docent ex *Apoſtolica deſcendere Traditione, quod pro tali habetur in ijs Eccleſijs, vbi eſt integra & continuata ſucceſsio ab Apoſtolis.* An in noſtris Eccleſijs illa non eſt? an pro Apoſtolica Traditione à nobis non habetur *Crucis* vſus?

28. Addimus, pro his, quartum pro noſtra cauſa argumentum, quod communi Eccleſiæ *Doctorum conſenſu*, vſus *Crucis* pro Apoſtolica Traditione habeatur. An hic errare poteſt aut fallere? Si poteſt, nónne neceſſe eſt totam Eccleſiam errare? vt quæ Doctores ſuos atque Magiſtros, non poſsit non ſequi?

29. Conſtitutum igitur ſit *Crucem* ad Dæmones profligandos & proſcribendos valere. Sed *qua Crux? & quomodo?* Hoc definiamus, & capiti finem imponamus.

Primum

Digitized by Google

Primum verò, ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, haud obſcurè cognoſcitur, illam *Crucem intelligimus, quam manu in aëre formamus:* illam, quam *Tranſeuntem* vocauimus. Alia veruntamen eſt, quæ in Imaginum conſtituitur genere. & *Permanens*, ſiue *Conſtans* dicitur: & vel in plano pingitur, vel in ſolida aliqua materia effingitur; quam ad Dęmones pellendos valere, quamuis exemplis probari non poſsit: ratione tamen non minus certum eſt, quàm illa Dæmones pelli, quæ manu formatur. 30.

Cùm enim *Crucem* deteſtentur Dæmones; quidni hanc *Conſtantem* deteſtarentur, quæ & *Crucis* nomen habet, & non minores, quàm *Tranſiens* illa, & in aëre formata, vires habet? 31.

Quid, quòd plus hæc contra Dęmones ſeruire poſſe videatur? Etenim cùm ad *Crucis* conſpectum Dæmones fugam capiant; illa *Crux* hîc melius ſeruit, quæ perſeuerat; quàm quæ mox, poſtquam manu facta eſt, euaneſcit: propterea, quod hac pulſi, mox poſsint redire, illa ita pelli videantur, vt reditus omnino ſit prohibitus. 32.

Hoc attendiſſe videntur Maiores noſtri; cùm olim profanis Idolorum delubris, quæ Dæmonum erant domicilia, deſtructis, mox *Crucis* vexillum erexerunt. Hoc, qui Maiores hodie in Indijs æmulantur. Neque enim *Cruce* Chriſti erecta, tantùm voluerunt reuocari ad memoriam Chriſti, quos pertulit, cruciatus & paſsionem; aut ſignificare loca illa, quibus *Crux* erecta, Chriſto ſeruire; verùm etiam hoc ſigno ad ipſa Dęmonibus omnem accędendi aditum prohibere. 33.

Fortè etiam hinc profecta Catholicorum conſuetudo, vt in ædibus, *Crucis* Chriſti, atque Crucifixi habeant Imagines. Cùm enim ædes à Dæmonum infeſtatione cuperent eſſe liberas: *Crucis* autem atque Crucifixi Imagines ſcirent ipſis eſſe exoſas; hoc ipſo exiſtimauerunt Dæmonibus ædes ſuas interdictas, quo *Crucis*, Crucifixique eſſent inſtructæ & ornatæ Imaginibus. 34.

Optandum eſſet, vt quæ Maiorum noſtrorum in hac re fuit pietas; eadem noſtris vigeret temporibus. Nunc proſcriptis ex domibus Chriſti, Sanctorumq; Imaginibus & inſignibus; cùm Veneris atque Priapi, alijsq; fœdis & profanis ſplendeant omnia, nonne Dæmonibus aditum ad ædes atque domicilia noſtra patefacimus? 35.

Patefacere oſtendit exemplum puellæ; quæ cùm in balneis Veneris imaginem fuiſſet impudentius intuita, & ad eandem ſe compoſuiſſet; mox à Dęmone obſeſſa eſt, vt habet grauiſsimus Author Proſper Aquitanicus, li. 6. de Promiſsionibus. 36.

37. Quemadmodum non decet in familia audire ſermonem laſciuum, ita nec tabulas habere conuenit impudicas. Loquax res eſt pictura tacita,& ſenſim irrepit in animos hominum. Lingua loquitur auribus, pictura oculis; multoque loquacior eſt pictura, quàm oratio,&,

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus; & quæ
Ipſe ſibi tradit Spectator.

Ariſtoteles adeò putat picturas, ſtatuaſque laſciuas ad morum corruptelam facere, vt velit per Magiſtratum publicis legibus caueri, ne quid Imaginum ſit in ciuitate, quod admoneat turpitudinis.

38. Quocirca bene Canon 100. ſextę in Trullo: Oculi tui recta aſpiciant,& omni cuſtodia ſerua cor tuum, iubet Sapientia. Corporis enim ſenſus ſua facilè in animum effundunt. Picturas ergo, quę oculos perſtringunt,& mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum mouent incendia, nullo modo deinceps imprimi iubemus. Si quis autem hoc facere aggreſſus fuerit, deponatur. Bene quoq; Clemens Alexandrinus, poſtquam Paganos reprehendit, quòd in cubili decumbentes Venerem nudam reſpiciant in tabellis depictis: habeant quoq; Paniſcos & nudas puellas, & ebrios Satyros, &c. tandé concludit: *Horum non ſolùm vſus, ſed etiam aſpectus & auditus deponendam eſſe memoriam, vobis annuntiamus.*

39. Intellexerunt hæc Græci: de quibus ſcribit V Vilhelmus Durantus, Mimarenſis Epiſcopus, li. 1. ca. 3. Rationalis diuinorum Officiorum, quòd Imagines ſolùm ab vmbelico ſupra, & non inferius pingant; vt omnis ſtultæ cogitationis occaſio eſſet ſublata.

40. Sed *quomodo* Crux Dæmones fugat? Reſpondemus breuiter; Aliter fugat illa *Tranſiens*, aliter *Permanens*. Illa, vt obiectum atq; efficiens; hæc, vt obiectum tantùm. Breuiter hoc, ſed obſcurè. Explicandum igitur.

41. Conſtanti atque *Permanenti Cruci* non aliqua vis ineſt; vt in præſentes Dæmones agat; quemadmodum ſuus ineſt calor igni, quo calefacit circumſtantem aerem. Hoc ipſo fugare dicitur, quod illam ferre Dæmones nequeant; illam deteſtentur, odio proſequantur.

42. Idem odium efficit, vt fugiant *Tranſeuntem*. Nam & ipſa *Crux* eſt. Verumtamen hoc maior illis vis infertur: quod ad odium, quo per ſe *Crucem* fugiunt Spiritus, accedat imperium, in virtute, & cum virtute *Crucis*, diſceſſum imperantium, atque ipſos cædere cogentium:

vt hic.

vt hic cum *Cruce* etiam homines agant in Dęmones;ibi ipſa per ſe in eoſdem agat *Crux*.

CAP. *LXIX.*

De Rebus conſecratis: quibus ſine vllo ſuperſtitionis crimine,docetur Catholicos vti,ad loca à Dæmonum infeſtatione & moleſtia purganda: docetur item,quæ res hic præcipuum locum obtineant: & quomodo hæc præſtent aperitur.

DE *Rebus conſecratis* multa ſatis in illa,de Dæmoniacis, Diſputatione. Omnia nobis in præſenti negotio ſeruiunt, alia *directè*;alia *indirectè*. *Indirectè* illa,quibus demonſtratum eſt *res illas* valuiſſe ad morbos pellendos; catenas diſſoluendas:abigendas locuſtas:intumeſcentis maris fluctus frangẽdos: aliaque his ſimilia: *directè* verò,quæ docuerunt iiſdem vim Dęmonibus eſſe allatam. 1.

Et hoc quidem egregiè præſtant, quæ pro Dæmonum ex humanis corporibus eiectione dicta ſunt;ſed maximè exempla, quibus eoſdem locis pulſos,& in fugam conuerſos docuimus;exempla, inquam, Sicæonum Archimandritæ, Theodori; qui benedictæ aquæ aſperſione,domum à Dæmonum infeſtatione liberauit: & Sacerdotum,qui ex Moguntinenſi agro Dęmonium,quod iam tribus annis magnas attulerat moleſtias, eadem luſtrali aqua profligârunt. 2.

Poterant hæc ſatis eſſe pro præſenti argumento. Quia tamen hic etiam quædam difficultatem habent;illa non prætereunda; ſed diſcutienda exiſtimamus. In his primum eſt; An hic Dæmones fugam ſimulent;an potius cogantur *Rebus conſecratis*, vt inuiti, diſcedant. Alterum eſt;Quænam *Res conſecrata*, maximè ad Dæmones locis proſcribendos valeant. Tertium, *Quomodo* illæ Spiritus in fugam conuertant;an vno atque eodem omnes;& rurſus *eodem*, quo Crux atq; Reliquiæ,de quibus præcedentibus Capitibus. 3.

De primo illo ſic ſtatuimus: *Dæmones non hîc fugam ſimulare, & ad ſuperſtitionem fuga inuitare*; ſed *Rebus ſacris*, inuitos pelli, & in fugam 4.

Digitized by Google

conuerti. Docemus duabus rationibus. Prima ſumitur ex rebus, quę vſu Rerum conſecratarum ſunt perfectę: altera ex modo, quo res conſecrantur.

5. *Primam ſic formamus.* Non minus eſt veriſimile, *Rebus conſecratis*, verè, & non tantùm, pro Dæmonum voluntate, Dæmones locis proſcribi, & in fugam conuerti; quàm iiſdem, & non pro Dæmonum voluntate, res aliquas præclaras, & vires naturæ ſuperantes, eſſe perfectas: Sed aliæ multæ præclaræ res, *Rebus conſecratis* perfectæ ſunt, quæ pro Dæmonum voluntate fieri non potuerunt; Non igitur, pro ſua voluntate, Res ſacras fugiunt; ſed inuiti in fugam conuertuntur Dæmones.

6. Tria hîc, tanquam certa, conſtituimus. quartum ex his, pro noſtra ſententia inferimus. Ponimus res magnas vſu *rerum conſecratarũ* eſſe perfectas. Ponimus illas nec Dæmonum opera, nec pro Dæmonum voluntate eſſe perfectas. Ponimus non aliam eſſe rationem fugę Dæmonum, & operum, quæ Rerum conſecratarum vſu ſunt perfecta. Ex omnibus concludimus, Dæmonibus vim rebus conſecratis afferri, dum fugiunt; & à locorum infeſtatione deſiſtunt. Docemus ſingula.

7. *Primum probant innumera propemodum*, aliâs à nobis allata. qualia ſunt, quòd *oleo conſecrato* plurimis infirmis ſanitatem reſtituerit Sãctiſsimus Hilarion; vt in eius Vita refert B. Hieronymus; quod *conſecrato ſale* idem præſtiterit S. Monegundis, teſte Gregorio Turonenſi; in eius Vita: quod *luſtrali aqua* Aphrates quidam, cuius Theodoretus vitam, resq́; geſtas deſcribit, innumerabilium locuſtarum multitudinem abegerit; fregerit *eadem* intumeſcentes maris fluctus S. Germanus, quemadmodum Venerabilis Beda teſtatur, lib. 1. ca. 17. hiſtoriæ Anglicanæ: & catenas, quibus quidam conſtricti tenebantur, diſſoluerit Euernoldus, Rateburgenſis Epiſcopus, vt ſcribit Krantius lib. 5. Vandaliæ: & tantùm non mortuum priſtinæ ſanitati reſtituerit B. Chryſoſtomus, teſte Metaphraſte 13. Nouembris, &c.

8. *Quod verò hæc pro voluntate Dæmonum, eorumq́; opera facta ſint*, quis dixerit? Ea eſt ratio miraculorũ, vt viribus Dęmonum nulla ratione fieri poſsint. Vel Dæmonum igitur opera hæc nõ ſunt; vel miracula non ſunt.

9. Miracula forſitan Dæmonum opera fieri poſſunt? Non poſſunt. Hic Theologorum omnium ſenſus eſt, & conſenſus. Naturæ vires illa ſuperant. Naturali igitur virtute, qua ſola inſtructi ſunt Dæmones, fieri nequeunt.

Mira-

Digitized by Google

Miracula fortè non ſunt, quæ recenſuimus? Quidni eſſent? Totius antiquitatis opinione; totius Eccleſiæ ſententia, pro miraculis habita ſunt. Et non niſi diuina virtute illorum pleraque (ne omnia dicam) fieri potuerunt: Illa igitur, ſi non omnia, miraculi loco habenda. 10.

Poſsint Dæmones locuſtas abigere: poſsint intumeſcentes maris fluctus frangere: poſsint catenas diſſoluere: An poſſunt cæcis reſtituere viſum? ad vitam reuocare mortuos? mox priſtinæ ſanitati reſtituere ægros? Non ſit in terris poteſtas, quæ cum ipſorum conferri queat; tanta tamen non eſt, vt omnia, quæ vſu *Rerum ſacratarũ* perfecta ſunt, poſsint. 11.

Cùm igitur hæc *Rebus conſecratis* perfecta ſint; ſimiliaq; fiant quotidie, cur negatur *earundem Rerum* virtute fugari Dæmones? *An non in eodem prodigiorum genere* (quod tertio loco probandum eſt) *ſunt omnia?* An maius opus, Dæmonum proſcriptio; quàm aut vinculorum diſruptio, aut mirabilium morborum curatio? aut mortuorum ad vitam reuocatio? 12.

Maius opus non eſt Dæmonum profligatio. multo illa ſunt maiora. Et ſiue maius ſit, ſiue minus; in eodem certè cum illis genere eſt. Quemadmodum illa naturalibus rerum viribus non perficiuntur; ita nec Dæmonum proſcriptio. 13.

Profectò, quemadmodum amens neceſſe eſt ſit, qui dum prodigia hæc vſu *Rerum conſecratarum* fieri videt, non agnoſcit *Rerum conſecratarum* virtutem; ita poteſt non eſſe amens, qui cùm illa virtuti *Rerum conſecratarum* tribuit, ſolam Dęmonum proſcriptionem excipit, & ad hanc nihil credit valere *Res conſecratas*, quæ tamen, vt ad hunc finem valeant, ſingulari ſtudio benedicuntur & conſecrantur. Hæc pro primo argumento. 14.

Secundum argumentum ſic cõſtituimus. Nullus poteſt, aut debet ſuperſtitioſum exiſtimare, ſi quod à Deo petitur obtineatur, & effectum ſuum conſequatur: At à Deo petitur, vt *Res conſecratas* valere velit ad Dæmones profligandos: atque mox obtinetur: Non igitur ſuperſtitioſum exiſtimare Dæmones *Rebus conſecratis* proſcribi. 15.

Hic dubium non eſt, peti *à Deo*, vt Res, quas in vſum generis humani condidit, *velit valere ad profligandos Dæmones.* Quid habet aliud orationis forma, qua benedicuntur? *Oramus*, inquit Sacerdos, (in conſecratione ſalis & aquæ) *vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens; ad abigendos Dæmones, morboſq; pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum.* Et, in conſecratione Agnorum Dei, *Vt à te benedicti, virtutem accipiant, contra omnia diabolica tentamenta*, &c. 16.

17. Dubium item non eſt, effectus, quos ad *Res ſacras* fieri oratione à Deo contendimus, *ad Rerum ipſarum vſum plerumq́ʒ conſequi*. Adhibetur aqua non conſecrata infirmis; & non ſequitur ſanitas: adhibetur Dæmonibus; mouentur nihil. Adhibetur *eadem*, oratione Sacerdotis, *benedicta* iiſdem infirmis; & ſequitur ſanitas. Adhibetur Dæmonibus; & rugiunt, magniſque clamoribus editis, in fugam conuertuntur.

18. An verò poteſt ſuperſtitioſum eſſe, vel credere Rebus *conſecratis* hæc fieri? vel ad hos effectus producendos *res conſecratas* adhibere? Cui vel per ſomnium hoc in mentem venire poteſt? Quoniam cũ rogatus eſt Deus, vt *Res conſecratas* velit valere ad Dæmones profligandos, quando iam conſecratis Dæmones proſcribuntur; omnino credendum eſt, & Deum *velle* ipſas ad hoc valere, & nullum peccatum eſſe, *credere valere*.

19. Nec vlla hic ſuperſtitionis ſuſpicio potuit in mentem venire Catholicis, dum in hunc finem *Res* conſecrant. quoniam Res ſenſibiles, etiam ad effectus Spirituales, atque ſupernaturales valere poſſe, Sacrarum literarum authoritate inſtituti nouerunt. Sciebant in veteri lege *aquam à ſacerdotibus maledictam* prodere, miris modis, crimen adulterij. Hoc à Deo Iudæorum gens inſtituta obſeruabat. Numer. 5. Sciebant in noua reperiri *piſcinam*, quæ ab Angelo mota, ſanitatem priſtinam, primum ipſam ingredienti reſtituebat. Ioan. 5. Sciebant *radicem à Salomone monſtratam* valuiſſe ad expellendos ab obſeſſis corporibus Dæmones. Sciebant ad idem valuiſſe *fumum à piſcis iecore* excitatum: quod ab Angelo didicerat Tobias. Tob. 6.

20. Promiſit Deus diſcipulis ſuis; quòd, *ſi quid in nomine eius peterent, voti fierent compotes*. Ioan. 16. Ponamus nullam promiſsionem factã diſcipulis; rogauerint ipſi Dominum; vt ſi quid in Chriſti nomine peterent, conſequerẽtur. An ſi poſtea in Chriſti nomine quid *petiuiſſent*, & obtinuiſſent; fuiſſent ſuperſtitioſi? Fuiſſent ſuperſtitioſi, *& credidiſſent* preces in *nomine Chriſti* factas, eſſe efficaces? poſtquam etiam earum efficaciam rebus ipſis eſſent experti? Annon ſimile eſt, quod de *Rebus conſecratis* credimus?

21. Similius eſt, quod de Gedeone legimus; Iudicum 6. Huic occupato in excutiendo frumenta, apparuit Angelus, libertatem populo Iudaico promittens, *ſe duce futurã*. Ille de promiſsione fieri certior petiit Sacrificio, Angelo offerendo. Quæritur, An poſtquã quod oratione optabat fieri, conſecutus eſt, peccauit, vel quando *credidit* per ſe victoriã obtinendã; vel quando victoriam *obtinuit*? Quis peccaſſe dicet?

Magis

Magis ad rem facit, quod addimus. Piſcina fuit Hieroſolymis, 22.
quæ ſanitatem primum ipſam ingredientibus præſtabat, eo, quo ipſam Angelus mouiſſet, tempore. Ponamus ita eſſe, vt hanc virtutem aliorum oratione obtinuerit (neq; enim hoc impoſsibile) quęrimus nunc, Vtrum criminis rei fuiſſent, qui vel credidiſſent ſanitatem hoc ſe baptiſmo conſecuturos, vel ad ſanitatem obtinendam aquas fuiſſent ingreſsi? Quod peccatum? Et in *Rebus conſecratis* peccatum?

Addimus quartum, quod proximè accedit ad *Res conſecratas*. Sa- 23.
lomon monſtraſſe dicitur radicem, quę naribus obſeſſorum admota, quoduis Dæmonium pellebat. Ponamus Regem hoc à Deo obtinuiſſe. Neque enim virtus illa radici ineſſe potuit. Quid inde? Omneſné, qui vel radice poſtea vſi ſunt, vel vſum radicis crediderunt eſſe licitum, fuerunt ſuperſtitioſi? Quis credet? Et ſuperſtitioſi ſumus Catholici, dum *Rebus conſecratis* vtimur, & vtendum cenſemus?

Non poteſt non omne peccatum in Deum redundare, ſi quod à 24.
Catholicis hic committitur. ſiue *credant Rebus conſecratis* Dæmones pelli; ſiue iiſdem Dæmones pellant. Ipſi omnino extra omnem ſunt culpam. Omnis quæ hic eſt, Dei eſt. Quid ita? quia antequam Res conſecratę eſſent, ijs vti noluerunt, quod non ignorarent talem vim rebus naturalibus non ineſſe: poſtquam conſecratæ fuerunt, & vt ad Dæmones profligandos valerent, à Deo petiuerunt, vſi ſunt: quid potuerunt aliud concludere, quàm orationem ſuam apud Deum locum habuiſſe? placere Deo, vt contra Dæmones *conſecratis Rebus* vtantur? placere, quod hanc de Rebus conſecratis habeant opinionem?

Fortè dicitur, orationem ipſorum apud Deum locum habere; 25.
Deumque eſſe qui *per ſe* ad ipſorum preces Dæmonibus diſceſſum imperat, nihil ad hoc conferentibus *Rebus conſecratis*. At dici hoc non debet, omnino enim, ſi ſine crimine, de *Rebus conſecratis*, quod ſentiunt, ſentire nequeunt; omnino ſi *rebus conſecratis* quod faciunt, facere nequeunt; omnino, inquam, oportet Deum ipſorum deſiderio non ſatisfacere. Quare? quia cùm per *Res conſecratas* illa ſibi tribui poſtulauerint; aliter, quàm per ipſas fieri, non poſſunt non ſibi perſuadere.

Fortè dicitur, hîc, vt aliâs, aliquando, malorum deſiderio 26.
Deum facere ſatis; & mala permittere petentibus mala. At quis vnquam, quod vniuerſa Eccleſia poſtulat, peccatum dixerit? Quando etiam Deus prauo alicuius communitatis deſiderio ſatisfecit?

Sed

Sed & quando prauis quorundam deſiderijs ſatisfecit; non ita ſatisfecit;vt ipſos ad peccandum inducat;in peccato confirmet; ad peccatū promoueat;quę tamen hic neceſſe eſt confiteamur,ſi malo noſtro voto,in profligatione Dæmonum,ad *Rerum cōſecratarum* vſum ſatisfecit.*Hactenus de primo*.Nunc *quæ res* ad Dæmones profligandos faciant, videamus.

27. *Rerum conſecratarum genera ſunt*, varia, ſed ad *Tria* prima reuocari poſſe videntur.Quædam ad cultum diuinum pertinēt, & ad hunc finem conſecrantur; quædam vſum habent in Sacramentorum adminiſtratione:quædam vſibus hominum,extra Sacramētorum adminiſtrationem,deſeruiunt.

28. Poſteriores hæ duplicis generis ſunt. Aliæ pro hominum incolumitate,& ad pellendos morbos conſecrantur:aliæ, vt aduerſus Nequam ſpiritus ſint arma,atque præſidia.Hæ rurſus,vel arcent Spiritus,ne accedant & moleſti ſint;vel ipſos inde,vbi ſunt & moleſtiam pariunt,abigunt.

29. Hæc *Rerum conſecratarum* genera. ſed quæ ad Dæmones proſcribendos faciunt?Reſpondeo, *Omnes Dæmonibus exoſas eſſe:alias tamen alijs magis:*quamobrem alijs,præ alijs, contra Dæmones confligendum.

30. Exoſæ ſunt, *quæ ad diuinum pertinent cultum.* Primùm hoc nomine, quòd *conſecrata* ſunt. Rerum ſacrarum hoſtes ſunt Dæmones. Deinde quòd harum vſus ipſis ſeruire non poſsit;qui ante cōſecrationem ipſis liber eſſe potuit. Tertiò quod diuinus honor ijs perficitur; cuius non minores, quàm ipſius Dei, ſunt aduerſarij.

31. Exoſæ ſunt,*quarum vſus eſt in Sacramentis:*ob eaſdem cauſas;veruntamen non ſolas.Hoc etiam nomine diſplicent, quòd inſtrumenta quædam ſint,& pharmaca;quibus cæleſtis Samaritanus vulneribus mortalium medetur,animarumque ſalutem (quam impedire ſemper deſiderant Dæmones)promouet.

32. Exoſæ ſunt illæ tertij generis,*quas petimus à Deo prodeſſe nobis,ad incolumitatem & morbos pellendos*.Quia præterquam,quòd conſecratæ ſint,& Dæmonibus ſubtractæ;etiam ſuos effectus ſæpiſsimè conſequuntur;quos quia ægrè conſpiciunt Dæmones, meritò cauſas deteſtantur,& execrantur à quibus illi proficiſcuntur.

33. *Poſtremæ deniq;* non poſſunt non exoſæ eſſe Cùm enim in hunc finē conſecratæ ſint,vt aduerſus Dæmones arma ſint, poſſuntne Dæmonibus eſſe gratæ?

34. Quin verò, quia hoc *fine* conſecrantur, his maximè in lucta, contra

contra Dęmones, vtendū cenſemus; non ſimiliter reliquis. Hę proprium ſuum hic videntur habere vſum: reliquæ non item. vt ob id non *tantum* in his, quàm illis, præſidij ponendum ſit.

Et inter has præferendas exiſtimamus; in præſente negotio, illas; quibus, vt Dęmones ijs, quibus locis degunt, diſcedant, rogatus eſt Deus. Ex quarum genere ſunt *Aqua benedicta*, atque *Cereus*, qui Purificatę Virginis Matris feſto conſecrari ſolet. *Has* maximè in hac, contra Nequam Spiritus pugna, ſeruire docent formæ, quibus conſecrantur. Cùm cōſecratur Aqua, rogatur Deus, vt Elemento huic virtutem ſuæ benedictionis velit infundere: vt creatura myſterijs eius ſeruiens, ad abigendos *Dæmones*, diuinæ gratiæ ſumat effectum; vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: Non illic reſideat Spiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici: & ſi quid eſt quod aut incolumitati inhabitantium inuidet, aut quieti; aſperſione huius Aquæ effugiat: vt ſalubritas per ſui nominis inuocationem expedita, ab omnibus impugnationibus ſit defenſa. In benedictione autem Cerei petitur; vt, per Ceræ ſanctificationem, Dominus conterat Diabolum, & diſperdat de cunctis habitationibus colentium Deum: de baſilicis, de domibus; de angulis, de refectorijs, de lectulis, de vniuerſis locis, in quibuſcunq; Deo famulantes habitant, & requieſcunt; dormiunt, vigilant, ambulant & conſiſtunt. Nec audeat ille malignus Spiritus inquietare amplius, vel pauorem immittere, ſuper eos quos Sancti Chriſmatis ſui vnctione fecit eſſe munitos. Ita libri Rituales. 35.

Hinc fuit, vt *harum Rerum* frequentiſsimus vſus ſit apud Catholicos, ijs *locis atq; temporibus*, quibus plerumque Dæmones moleſti eſſe ſolent. apud morti vicinos, vbi tempeſtates excitantur: vbi Spectra locis ſunt infeſta, &c. 36.

Sed ad *modum* veniamus, quo *Res conſecratæ* contra Dæmones valere exiſtimantur. Hic primum quæritur, Eodemne valeant, quo Crux atque Reliquiæ, de quibus præcedentibus Capitibus? an alio aliquo? Deinde, Vtrum ipſæ inter ſe, vna atque eadem ratione? 37.

Ad prius dicimus, has *directè*, atque *per ſe* aduerſus Dæmones valere; illas non item. Non hic Reliquiarum vſus eſt, vt Dæmones profligant: non Crucis; ſunt illæ pignora Sanctorum, quos Deus honorat, Eſt hæc index beneficij, nobis in ipſa comparati. At *per ſe* ad Dæmones profligandos *Res conſecratæ* inſtitutæ ſunt; conſecratæ ſunt. 38.

39. Alterius ex *Rerum conſecratarum* diſtinctione pendet ſolutio. Sed & inter has, illæ, quas maximè ſeruire hîc diximus(*aquam benedictā cum Cereis intelligo*) non eodem modo contra Dæmones valent. ſeruit aduerſus ipſos *Aqua* tanquam inſtrumentum virtutis diuinæ. ſeruiunt *Cerei*, vt inſtrumenta, atque ſigna; quemadmodum alio loco docebitur.

40. Et quia vtraque, vt inſtrumenta ſeruiunt; hinc ſi effectus ſuos conſequi debent, vſus ipſarum neceſſarius eſt: atque ipſa *per ſe propriè* non ſufficiunt. Quia verò *Cerei* etiam ſigna ſunt, oportet vt ardeant, ſi perfectè id, cuius ſigna ſunt, debent ſignificare. Sed de hoc aliâs.

CAP. *LXX.*

De Exorciſmis, & Conſecratione, atque Benedictione locorum aduerſus malignantium Spirituum infeſtationes atque moleſtias.

1. DE Exorciſmo, qui ad profligandos Dæmones adhibetur, duo potiſsimum examinari poſſunt. Primum, An reuera ad Dæmones, locis ſuis pellendos valeat. Alterum; An quæ in ipſo à Catholicis aſſumuntur, ſuperſtitioſa ſunt & pernitioſa. De vtroque plurima dicta ſunt in illa, de Dęmoniacis, Diſputatione, quæ quia hoc loco ſeruire poſſunt omnia, nihil hîc de *Exorciſmo*. Verùm, quoniam præter Exorciſmum, alia ratio eſt, Dæmones partim à locis arcendi: partim ex locis proſcribendi: quæ ad Exorciſmum proximè accedit, operę precium fecerimus, ſi vires eius inquiramus, atque ipſam ab Aduerſariorum calumnijs vindicemus.

2. Illam quidam Rituales libri continent, & *quinq;* partibus concludunt. Hæ ſunt, diuini auxilij Imploratio, Pſalmorum, vt vocant, Gradualium recitatio: lectio Euangelij; Thurificatio, ſiue incenſum; & Concluſio.

BENEDICTIO DOMVS NOVAE aut Dæmonibus infeſtæ.

℣. Adiutorium noſtrum ✠ in nomine Domini.

℞. Qui fecit cælum & terram.

Oremus

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis, præ cæteris, tantam gratiam contuliſti, vt quicquid in tuo nomine dignè perfecteque ab ijs agatur, à te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam; vt quod modo viſitaturi ſumus, tu viſites; & quicquid benedicturi, bene✠dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: ſitque ad noſtræ humilitatis ingreſſum & introitum Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum; & Angeli pacis ingreſſus, Amen.

Hic quod damnetur nihil eſt. Dubium non eſt *Sacerdotibus, præ cæteris hominibus, gratiam eſſe collatam.* Docet B. Chryſoſtomus lib. de Sacerdotio, *Sacerdotes Principibus atque Regibus magis eſſe reuerendos. Nihil eſſe purpuram, nihil diadema, nihil veſtes aureas: Omnia hæc vmbras eſſe, & vernis floſculis leuiora, ſi cum Sacerdotij dignitate conferantur.* 3.

Dubium non eſt credi poſſe, *à Deo agi, quidquid in Dei nomine à Sacerdotibus dignè perfecteq́, agitur.* Diuina id probant hæc eloquia. *Non vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, loquitur in vobis.* Matth. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit; qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. *Saule, quid me perſequeris?* Act 9. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* 2. Cor. 13. &c. 4.

An malum fortè, quod Deum rogamus, vt *viſitare* atque *benedicere* dignetur, quod nos viſitamus atque benedicimus? Si hoc facit; quod malum eſt, ſi vt faciat, rogamus? Facere verò iam dicta docent. 5.

An malum, quod *fugam poſcimus Dæmonum?* At dedit poteſtatem fugandi; docuitque fugandi modum. At igitur hic nullum crimen, aut non ſine crimine Deus. 6.

An malum, quod *Angelorum petimus ingreſſum?* At hunc petimus, vt Dæmonum conatibus illi obſiſtant. Aut igitur fuga Dæmonum petenda non eſt; aut, vt nobiſcum ſint Angeli pacis, licet petere. Si, quemadmodum Pſal. 33. dicitur, Deus *immittit Angelos in circuitu timentium eum: & eripit eos,* quod malum, ſi Angelorum auxilium poſcimus? Si *Angelis ſuis* (Pſal. 90.) *mandauit de nobis, vt cuſtodiant nos in omnibus vijs noſtris,* vt cuſtodiãt in certis locis petere non 7.

 poſſu-

poſſumus? Perpetuum bellum contra malos Spiritus gerunt Angeli boni, teste Origene, ſuper illud Chriſti, *An putas*, quia non poſſum, &c. & peccamus, dũ vt noſtri cauſa hoc ſuſcipiant, rogamus? Deniq; quantum & hic & in alijs rebus Angeli poſſint, nemo ignorat. Nota eſt B. Auguſtini ſententia: *Vnaquæq;*, inquit ille (lib. 83. qq. quæſt. 79. *res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi propoſitam*. Et (8.) ſuper Geneſin ad literam ca. 24) *Angelis*, inquit, Deo ſubditè fruentibus, & Deo beatè ſeruientibus, ſubdita eſt omnis corporea creatura; omnis irrationalis vita; omnis volũtas vel infirma, vel praua, vt hoc de ſubditis vel cum ſubditis agant, quod naturæ ordo poſcit in omnibus, iubente illo, cui ſubiecta ſunt omnia.

8. Diſplicet fortè, quòd *Sanctorum meritis* hęc petuntur Verùm diſplicere hoc non debet. Quanta, & quot beneficia genti Iudæorum Deus contulit, propter merita Patriarcharum, Abraham, *Iſaac*, & Iacob? An Sanctorum noui Teſtamenti merita cum horum non conferenda?

9. Diſplicet, quòd benedictionem diuinam poſtulando *Crucem formemus?* At Crucis vſus in omnibus benedictionibus iam olim fuit receptus. *Hoc ſigno Crucis*, inquit B. Auguſtinus, Serm. 119. de Tempore, conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons Baptiſmatis: initiantur etiam Presbyteri & cæteri gradus. Idem, Tract. 118. ad finem c. 10. Ioannis: Signum Crucis, inquit, niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, qua regenerantur; ſiue oleo, qua Chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur; nihil eorum ritè perficitur. Sed de Crucis ſigno aliâs plura.

10. *Verſus verò, qui Orationi præponitur*, & qua *Adiutorium Dei, qui fecit cælum & terram petitur*; nullo modo poteſt diſplicere. Tanto iuſtior eſt, quanto certius nobis conſtat, & ſine Dei auxilio nihil nos poſſe, & opem Dei non defuturam omnibus eandem, in quacunque neceſſitate, implorantibus Quid, quod in hunc optimè conueniat; quod de ſimili (*Deus in adiutorium meum intende*) habet Caſſianus? Coll. 10. c. 10. Ad omnem ſtatũ, inquit, ad vniuerſos incurſus propriè ſatis & competenter aptatur. Habet ſiquidem aduerſus diſcrimina inuocationẽ Dei, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſolicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuę, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis ſemperque adſtantis præſidij Hæc Caſſianus. Apud quem plura, quæ ad eius commendationem faciunt, licebit legere.

11. Quod autem Verſus hic *diuidatur*, & priorem eius partem Sacerdos dicat, poſteriorem circumſtans populus, nihil ipſi detrahit.

Nec

Nec in nobis id debet reprehendi. Exemplum Seraphim Angelorũ in hoc ſequimur, de quibus Iſaias Propheta c. 6. quod *clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Probamus inſtitutum S. Ignatij, à quo Orientalis primùm, deinde Occidentalis Eccleſia habet, quod & Pſalmi & Dei laudes per Antiphonas *alternatim*, dicantur, teſte Nicephoro, l. 13. c. 8. Atque hactenus de prima parte.

SECVNDA PARS.

Hæc tres, vt ita dicam, habet proceſſus: quorum ſinguli *quatuor* potiſsimum abſoluuntur actibus. Recitatione quinque Pſalmorum Gradualium; Oratione dominica: Poſtulatione; & aquæ benedictę, per domum, vel locum Aſperſione. De quibus ſic liber Ritualis. *Deinde Sacerdos incipiat Pſalmos Graduales, & proſequatur quinq; primos; aquam benedictam aſpergendo per loca domus, quibus finitis dicatur:*

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Pater noſter. Et ne nos. Sed libera nos.

Oremus.

DOmum tuam, Domine, clementer ingredere; & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam conſtrue manſionem: & præſta, vt in hac domo nulla malignorum Spirituũ dominetur nequitia. Per Dominum, &c.

Deinde incipiat Pſalmum, Qui confidunt, *&c. cum Reliquis quatuor, & vt prius ſpargat domum aqua benedicta. quibus finitis: dicat.*

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Pater noſter, Et ne nos. Sed libera nos.
Domine exaudi, &c. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuę totus aſſiſtis, totus operaris: adeſto ſupplicationibus noſtris; vt huius domus ſis protector, & nulla hîc nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat; ſed virtute Spiritus ſancti, & operatione, fiat tibi hic primùm ſeruitium, & deuota libertas exiſtat. Per Dominum noſtrum, &c.

Poſtremum incipiat Pſalmum, De profundis; *& proſequatur ipſum cum alijs Gradualibus Pſalmis; interimq; aſpergat domum aqua benedicta, quibus completis dicat.*

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Pater noſter. Et ne nos. Sed libera nos.
Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuę dedicator aſſiſtis; exaudi nos, quæſumus; vt inuiolabilis huius domus permaneat bene✠dictio: & beneficia tui muneris vniuerſitas, quæ ſupplicat, mereatur. Per Chriſtum, &c.

10. An hic aliquid ſuperſtitioſum, & Chriſtiano homine indignum? *Pſalmorum* vis magna eſt. *Pſalmus*, ait Baſilius in Pſal. animarum eſt tranquillitas, arbiter ineundæ pacis; cuius annutu exundantes ac tumultuarię cogitationes ſe contrahunt, & conquieſcunt. *Et* poſt. Pſalmus eſt amicitiæ conciliator, vnio diſsidentium, pacis inter hoſtes ſtabiliendæ ſequeſter. Et rurſus. Pſalmus eſt profligandis Dæmonibus, & depellendis, quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator.

11. Et quamuis ad id ſolum valere videantur, quod poſtulant; dubium tamen nullum, etiam ad Dęmonum profligationem valere: vel propterea, quod Spiritu ſancto dictante ſint conſcripti; quem, & cuius orationem non poſſunt non declinare, & deteſtari Nequam Spiritus.

12. Sed cur hi (*Graduales*) ſumuntur, & non alij? Quæro ego, cur alij ſumerentur; & non hi? Non dubium, quin magnis grauibusque rationibus permota Eccleſia, *hos* prę reliquis, in hoc negotio elegerit; cur *quindecim* aſſumpſerit: cur in *tres* claſſes diſtinxerit: cur *quinq;* in quolibet actu acceperit. *S*ed tamē ſi rationes nobis deeſſent; res hæc iuſtè damnari non poſſet; quoniam, vt Origenes, homilia 5. in Numeros: *In Eccleſiaſticis*, inquit, *obſeruationibus ſunt nonnulla huiuſmodi, quæ omnibus quidem facere eſt neceſſe, nec tamen ratio eorum omnibus patet.*

Pſalmos ſequitur repetitum *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon* Sed cur hac precandi vtimur formula? cur eadem *repetitur*? cur repetitur *tertiò*? cur *græco* idiomate? cur in *hoc negotio*? cur *ante* orationem Dominicam?

13. *Vtimur*, inſtituti exemplo BB. Iacobi & Marci: quorum ille Sanctiſsimus Chriſti Apoſtolus; hic eiuſdem Euangeliſta. Eadem enim iſti in ſuis Liturgijs vſi leguntur. Ab his autem per totas Orientis atque Italiæ prouincias *dulcis, & nimis ſalubris* (vt loquitur Concilium Vaſenſe ſub Leo. 1. can 3.) *conſuetudo intromiſſa eſt, vt frequentius*

Kyrie-

Kyrie eleyſon cum grandi affectu ac compunctione dicatur.

Repetitio eiuſdem ab iiſdem. Magni autem affectus & compunctio- 14.
nis argumentum eſt, quemadmodum Concilium inſinuat. Fuſtra verò non fieri, & Domini in horto docet ſæpius repetita oratio: & Cæcus, cuius importunam, & ſæpius repetitam orationem præteriens reprehendebat turba. Lucæ 8.

Trinam repetitionem S. Thomas 3. p. q. 83. a. 4 putat pertinere ad gloriã 15.
Myſterij Trinitatis. aut ad triplex malum deprecandum, ignorãtię, culpæ, pœnæ. Amalaricus Fortunatus, li. 4. c. 1. hanc eius dat cauſam. Dum imploramus, inquit, diuinam miſericordiã per Kyrie eleyſon, & Chriſte eleyſon, & iterum Kyrie eleyſon: tres articulos, aliquo modo, diuinæ Maieſtatis & Trinitatis celebramus in Eccleſia. Primus eſt ante aſſumptam humanitatem; quando Trinitas inuocabatur ſine copulatione humanę naturę. Secundus eſt poſt aſſumptum hominem; quando Chriſtus videbatur in terra, & nihil minus à ſuis credebatur Deus & filius Dei. Tertius articulus *eſt ex eo tempore, quo voluit clarificare illum aſſumptum hominem plus quàm eſſet, quam diu mortalis erat.* Ita Fortunatus.

In forma *Græcum idioma retinemus.* quia illo recepimus. Nec malè. 16.
quoniam, vt habet B. Auguſtinus, Epiſt. 278. contra Paſcentium, *ſicut Græca lingua, quod eſt Omouſion, vna creditur vel dicitur à fidelibus Trinitatis omnino ſubſtantia: ſic vna rogatur, vt miſeriatur, à cunctis Latinis & barbaris vnius Dei natura: vt à laudibus Dei vnius nec ipſa lingua barbara ſit, vt à Latinis, aliena.*

Sed quorſum *hoc loco, vbi cum infeſtantibus Spiritibus nobis eſt bellum?* 17.
Quorſum alijs omnibus propemodum, vbi diuina imploratur miſericordia? Non malè olim ſtatuit Vaſenſe Concilium, can. 3. vt ad Matutinum, ad Miſſas, ad Veſperam dicatur ſæpius *Kyrie eleyſon.* Non malè modò faciunt Chriſtiani, quando idem nunc repetunt in horis Canonicis; nunc in defunctorum Officijs; nunc in publicis priuatisque Litanijs; nunc ante atque poſt cibum ſumptum. Non malè facit Exorciſta, cum Spiritus moleſtantes locis eſt expulſurus. *Kyrie,* inquit, *eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.* Quemadmodum alibi non parua eius vis, ita nec parua ſperatur hoc loco.

Et vim eius cum alia, tum duo exempla egregiè produnt. Notum eſt Theodoſio Iuniore Imperante, Proculo Patriarcha cum clero, & maxima vrbanę multitudinis parte ſupplicantibus, puerum in aërem ſublatum fuiſſe: populo vero obſtupefacto, & longo tẽpore vociferante *Kyrie eleyſon,* rurſus dimiſſum dixiſſe, ſibi pręceptum, ne in cantico ter ſancto adderetur clauſula: *Qui crucifixus eſt pro nobis,* ita Zo-

Ita Zonaras, & Abbas Vrſperg. in Theodoſio. Paulus Diaconus li. 14. Hiſto.

Idem Paulus, libro *16.* auctor eſt Iuſtiniano imperãte, terræ motu concuſſa Antiochia, ciues qui remanſerant, diſcalceatos omnes Litanias feciſſe clamantes *Kyrie eleyſon*: tumq́; apparuiſſe in viſu homini Dei cultori, qui diceret, omnibus reſiduis ſignificandũ: ſuperſcriberẽt in liminaribus ſuis: *Chriſtus nobiſcum, ſtate.* & hoc facto iram Dei ſtetiſſe. Hæc Diaconus.

18. Optimè verò Dominicę *orationi*, (vt aliâs propemodum ſemper) *in Exorciſmo præponitur*. Oratione enim Dominica ſumma rerum petendarum à Deo, continetur. humilium autem Deo placuit ſemper deprecatio. At humilis animi cõfeſsio eſt *Kyrie eleyſon.* Eo ipſo igitur Dei animũ nobis deuincimus, & de rebus ſperatis piè præſumimus, quo ſæpius hanc vocem ingeminamus. Quocirca & iuſtiſsimè *Kyrie eleyſon* vſurpamus.

19. Ridetur fortaſsis, quòd *oratio Dominica* dicatur: petatur *fiat voluntas Dei: regnum eius adueniat: detur panis quotidianus &c.* cùm omnis cogitatio noſtra eſt de Dæmonio expellendo. At voluit Dominus vt precaturi, dominicam orationem dicamus: *Cùm oratis*, inquit, *dicite Pater noſter.* Deinde oratione Dominica non *hæc tantùm* petuntur: petitur etiam, vt *liberemur à malis:* vt *non inducamur in tentationes.*

Deinde quamuis ſolùm Dæmonum petatur proſcriptio; *tota* tamen Oratio Dominica rectè recitatur: primò, quia reuerentia, qua Deum proſequimur, efficit, vt in oratione eius nihil mutatum velimus eſſe, nihil omiſſum, nihil additum. Tum deinde, quia omnes orationis partis etiam quodam modo ad depulſionem Spirituum faciunt. *Sanctificatur* melius Dei nomen; quo pauciores ſunt, qui nos à bono impediunt, hoſtes. Facilius Dei *regnum* aduenit; ſi regnum eius apud nos non habeant Dæmones. Facimus promptius Dei *voluntatem*: ſi nullis moleſtemur Dei hoſtium inſidijs. *Panis* verò *quotidiani* nomine, nonne bonum omne continetur? aut bonum non eſt immunitas à Dæmonum moleſtia? Reliqua per ſe clara ſunt.

Iuſtiſsimè verò, quemadmodum in alijs neceſsitatibus; ita in hac, orationem Dominicam dicimus, quod hanc plurimum apud Deũ poſſe credamus: *Cognoſcit Pater Filij verba*, inquit Chryſoſtomus, Ho. 14. in Matth. Et B. Auguſt. li. 50. Homil. Hom. 42. *Spem*, inquit, *habemus obtinendæ cauſæ noſtræ, quando talis Iuriſperitus nobis preces dictauit, qui ſedet ad dextram Patris.*

An diſ-

An diſplicet *Numerus*: quod tertiò oratio repetatur? At pro diſtin-ctione Pſalmorum in *tres* claſſes, ter dicitur oratio Dominica. Deinde ſi oratio ſemel dicta bona, cur repetita mala? Chriſtus nonne tertiò in horto eſt ad orationem conuerſus? Quid ſi honor ſanctiſ-ſimæ Trinitatis hîc ſit propoſitus? 20.

Sed & Chryſoſtomus, Euthymius, atque Theophilactus, in 26. Matthæi, docent hunc numerum rei veritatem, perfectionem atque conſtantiam ſolere declarare, quod ſequentibus Sacrarum literarum exemplis verum eſſe probat Maldonatus, in 26. Matthæi. Vas, inquit, illud plenum omnis generis animalium, quod Petrus vidit, ter de cælo demiſſum eſt, Act. 10. D. Paulus ter Dominum ſe rogaſſe dicit, vt Spiritum Satanę à ſe tolleret, 2. Corinth. 14. Petrus Chriſtum ter negauit: Matth. 26. Chriſtus Petrum ter interrogauit, Diligis me plus his? Ioan. 20.

Deinde pro diſtinctione Pſalmorum *triplex* ſubiungitūr *poſtulatio*. Prima, *tria* petuntur à Deo. Velit clementer *ingredi domum*: Velit in cordibus fidelium cōſtituere *perpetuam manſionem*: Velit in domo nullam *dominari Spirituum nequitiam*. Omnia *digna Deo, nobis vtilia pulchro ordine*. Digna Deo: *quia deliciæ eius eſſe cum filijs hominum*. Pro. 8. ſeruantibus ſermones ſuos promiſit fore, vt cum *Patre apud ipſos manſionem faciat*. Ioan. 14. Et hoſtem idcirco vicit, ne pro libidine nobis dominetur. Quàm verò omnia hęc nobis *vtilia*? Quàm etiam *pulchro ordine*? Nō poteſt *manſionē* in nobis facere, niſi prius ad nos ſit ingreſſus. An verò poſtquam iam ingreſſus, & habitationem fecit; poteſt nobis dominari malignorum Spirituum nequitia? 21.

Secunda petuntur propemodum eadem: ſed prætereà, vt in locis, quæ benedicuntur, *ipſi ſiat ſacrificium, & exiſtat deuota libertas*. Libertas hęc mentem reuocare debet ad Deum, à quo locus ipſam obtinuit: vnde deuota dicitur. Seruitium, vt exhibeatur, dignißimū eſt etiam locis profanis, cùm vbiq; Dei, erga humanum genus, exiſtāt beneficia. Intelligebat hoc, qui dicebat: *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino*. Pſal. 102. 22.

Eadem complectitur ferè tertia oratio. Nec malè *ſæpius* eadem petuntur, quia efficaciter, & pluribus petendum: quòd ſeriò expetitur. Addit hoc, quòd rogatur Deus, vt *inuiolabilis permaneat benedictio domus, & vt mereatur vniuerſitas bona, quæ poſtulat*. Hoc petitur bonorū operum exercitium: illo perſeuerantia. Quia verò vtrumq; bonum; vtrumque petere non malum; ſed bonum. 23.

Vna, quæ in hac parte adhibetur, diſplicet *Aqua luſtralis*. Hæc omnia, quæ hactenus commendauimus, corrumpit & deprauat. ita Aduerſarij. 24.

Digitized by Google

uerſarij. Sed pro hac Aqua aliàs in illa de Dæmoniacis Diſputatione tum à nobis dicta ſunt multa; vt pluribus opus non ſit. Tertiam igitur partem accedamus.

25. Euangelium S. Lucæ continet Tertia pars, non quodcunque, ſed quo hiſtoria Zachæi deſcribitur. de quo ſic liber Ritualis. *Poſtea in principaliori loco domus legatur ſequens Euangelium.*

Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.
Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.
Gloria &c.

IN illo tempore. Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachęus: & hic Princeps erat Publicanorum, & ipſe diues, & quærebat videre Ieſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcēdit in arborem ſycomorum, vt videret eum: quia inde erat trāſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciēs Ieſus, vidit eum, & dixit ad illum: Zachęe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcēdit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum; Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eò quod & ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

26. *Euangelium* hoc, præter alios, hîc duos vſus habet. Primò, hoc confirmantur Chriſtiani, non malas eſſe ſuas, quas ad Deum, pro immunitate *domus aut loci*, dirigunt orationes: tum deinde, ad Dæmonum valet profligationem. Docemus vtrumque.

27. Septem in vniuerſum, quaſi à Deo iam *dictis orationibus* petita ſunt. Hæc inquam, velit domum clementer ingredi; velit perpetuam in nobis conſtituere manſionem: pellere nequitias malignorum Spirituum: concedere hîc ſibi ſeruitium: deuotam hîc exiſtere libertatem: permanere ſuam in ea benedictionem: hęcq; contingere, etiam noſtris interuenientibus meritis. Omnia hæc fieri poſſe, & bene fieri docet:

docet dictum de Zachæo Euangelium: ingreſſu, videlicet, Chriſti in domum Zachæi, quod ſignificet ſe in ea oportere manere: attuliſſe ſua præſentia ſalutem: in alium virum commutatum Zachæum: & ad hæc, hisque ſimilia valuiſſe Zachæi pietatem.

Ad *Dæmonum* verò *profligationem* valet, *tribus de cauſis*. Primò, quia ipſius lectione in audientium animis excitantur actus virtutum quarundam, quarum iurati hoſtes & aduerſarij ſunt Dæmones. Deinde, quia ſtudia & pietatem orātium accendit, quando per Chriſti in Zachæi domum aduentum, intelligunt non Dæmonia ſolùm pelli; ſed mirabiles quoque fieri animorum, cum ingenti mortalium lucro, mutationes. Tertiò, quia, quæ in Euangelio dicuntur, partim filij Dei ſunt verba, partim Spiritus ſancti oracula. Poſſuntne Dæmones ęquo animo audire eius verba; qui *verbo* ipſos, dum communem nobiſcum vitam ageret, eijciebat? qui in mundum venit, vt *opera Dæmonum* diſſolueret? ad cuius conſpectum olim ſe *torqueri*, magnis clamoribus teſtabantur? 28.

Valere ad Dæmonum eiectionem Euangelij verba, etiam inde inſinuatur, quod nedum ſacra verba, ſed & codices, & chartæ miracula ediderunt. Narrat Gregorius Turonenſis, de Vita Patrum, ca. 6. quod cum Auerna ciuitas incēdio conflagraret, S. Gallus Eccleſiam ingreſſus, diutiſſimè antè ſanctum altare Deum exorauit; ſurgensq; apprehenſo Euangeliorum codice, eoque aperto, obuiam ſe igni obtulerit, ſubitoque incendium extinctum ſit; vt ne fauillæ quidem remanerent. 29.

Sic S. Martianus, cum iam flamma ſerpens Eccleſiæ Sanctæ Anaſtaſiæ appropinquaret, accepto in manus ſacro Euangelio, per tegulas in tectum conſcendit, precibusque & lachrymis illæſam ab incēdio ſeruauit. Ita Nicephorus, l. 5. c. 22. Rurſus Zonaras in Baſilio Macedone ſcriptum reliquit, Rhodos libro Euangeliorum ab igne erepto illæſo, fidem Chriſti amplexos eſſe. Quid pluribus opus?

Hinc non malè in Conſtantinopolitano 8. Can. 3. Patres, Sacram, inquiunt, imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & omnium Saluatoris æquo honore, cum Libro Euangeliorum Sanctorum, adorari decreuimus. Sicut enim per ſyllabarū eloquia, quę in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & ſapientes & idiotę cuncti ex eo, quod in promptu eſt perfruuntur vtilitate. Quę enim in ſyllabis ſermo; hęc & Scriptura, quę in coloribus prædicat & commendat. 30.

Quarta pars Thurificatione, ſiue incenſo perficitur, de quo ſic 31.

Digitized by Google

liber Ritualis. *Deinde benedicitur incenſum iſto modo.*

Per interceſſionem Michaelis Archangeli, ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium Sanctorum Angelorum, incenſum iſtud digneris Domine benedicere ✠ & in odorem ſuauitatis accipere. Per Dominum, &c.

Poſtea Sacerdos ponat incenſum ſuper ignem in thuribulo, & incenſet domum dicendo.

℣. Incenſum iſtud à te benedictum aſcendat ad te Domine.

℟. Et deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus, &c.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus, pro hac domo; & pro habitatoribus eius; vt eam benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris: vt ſint promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: tribue etiam ijs de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ ſubſidium; & deſideria eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas; & ad introitum noſtrum hanc domum benedicere ✠ & ſanctificare digneris; ſicut benedicere dignatus es Abraham, Iſaac, & Iacob; vt inter parietes eius, & angulos eius inhabites. Per Chriſtum, &c.

Oremus.

VIſita, quæſumus, Domine habitationem iſtam; & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: & Angeli tui ſancti habitent in ea; qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper: In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus Sancti. ✠ ℟. Amen.

31 Iuſtitiam *benedictionis incenſi* hoc loco non probamus. Res ſenſibiles ſine ſuperſtitione poſſe benedici copioſiſsimè probat Diſputatio de Dæmoniacis. An peccatum, quòd ad interceſsionem *B. Michaelis; & ſanctorum Angelorum* benedici petimus? At ſi malum non eſt nobis intercedentibus benedici, cur malum benedici intercedentibus

bus Angelis? ſi verò neutrum malum eſt;quomodo malũ eſt, quod vel noſtra,vel Angelorum interceſsione benedici poſtulamus? Malumne eſt bonum petere?

Sed non ſolùm crimine vacat incenſi vſus: verùm etiam ad Dæmonum valet profligationem,& quidem *quintuplici* nomine.Primò, quia rogatus eſt Deus(an fruſtra?) vt velit illud ad hoc valere. Secũdò, quia incenſum eſt in genere Rerum conſecratarum, quæ ex ſe exoſæ ſunt Spiritibus.Tertiò,quia per interceſsionem S.Michaelis, atque Angelorum eſt conſecratum; quorum ob id, huius rationem habere, & cum ipſo ad Dæmonum expulſionem concurrere credendum eſt. Quartò, quia fumus, qui inde excitatur; in vaſe tali, quod ad Dæmonum profligationem valet, excitatur; vt probat oratio, qua thuribulum conſecratur. Hæc ita habet. Domine Deus, qui dum filios Iſrael, in deſerto murmurantes, ob rebellem ſuam audaciam durum vaſtarat incendium; Aaron tunc orantem arrepto de igne altaris thuribulo tibi incenſum ponentem,ex audire,eoſque de incendio liberare dignatus es, benedic quæſumus hoc thuribulum:& præſta, vt quoties thus in eo adolebitur, votum populi tui tibi boni odoris efficias, ſitq; Fuga Dæmonum, repulſio Phantaſmatum,& immundarum abſceſsio cogitationum. Per Chriſtum, &c. Quintò denique, quia vtrunque ſignum eſt rerum Dæmonibus inuiſarum. Thus quidem orationis Sanctorum,quę,velut thus, ad conſpectum Dei,conſcendit(Pſalmo 140)Thuribulum verò corporis Chriſti. Pulchrè enim B. Aug, Hom. 6. in Apocal. Thuribulum aureum corpus Chriſti ſanctum interpretatur. Ipſe enim Dominus, inquit,factus eſt thuribulum,ex quo Deus odorem ſuauitatis accepit,& propitius factus eſt mundo; quia obtulit ſe ipſam in odorem ſuauitatis. Vide Innocentium III. libro 2. Myſteriorum Miſſæ, Capite 16. 32.

Oratio; quæ poſt benedictum incenſum adhibetur, *duplex* eſt: vtraque tam iuſta; quàm, quæ vtraque petuntur, iuſta. Niſi fortè diſpliceat, quod in tali loco, & non in conſecrato habeatur. Sed aures Dei ad preces ſupplicum attentæ, quocunque etiam loco illæ fundantur. 33.

Concluſio breui benedictione conſtat: de hac ita Liber Ritualis. *Poſtea domum & omnes in ea habitantes benedicat dicens.*

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠, & Filij ✠ & Spiritus Sancti, ✠ deſcendat ſuper hanc domum,& omnes habitantes in ea,& maneat ſemper. ℟. Amen.

35. Hîc damnari poteſt nihil. Chriſtum hîc imitamur, & ſanctum veteris legis Patriarcham Iacob. Ille, quando ferebatur in cælum, *eleuatis manibus diſcipulis ſuis benedicebat*, Marci vltimo. Hic *benedictionis dandæ gratia* extendens manũ; dextram poſuit ſuper caput Ephraim; ſiniſtram ſuper caput Manaſſes, Geneſ. 40.

Adde quòd Dominus populo ſuo benedici aliquando, ſub Sacramento trinæ Inuocationis iubeat. Num. enim 6 ſic habetur. *Sic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis illis. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem tuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Et hactenus de benedictione.

36. Hac vel certè ſimili forma vſus videtur Theodorus Archimandrita, qui rogatus à Theodoro, regio duce, vt domum à moleſtãtibus Spiritibus liberaret; illã dicitur ingreſſus, & totam noctẽ pſallendo, & Deum obſecrando traduxiſſe: atque aqua, cui benedixerat aſperſiſſe: atque ſic à Spirituum moleſtia liberaſſe. Vide Metaphraſtem in Vita Theodori, apud Surium, Tom. 2.

SEQVVNTVR MODI, QVIBVS LICITVM EST contra impugnationis & moleſtias Spirituum purgandorum agere.

CAP. LXXI.

Eſſe aliquam rationem atque modum, quo viuentes poßint ſe liberare à moleſtia, quam ipſis purgandi Spiritus afferunt.

1. EXpoſitis rationibus, quibus à Dæmonum infeſtatione loca liberantur; proximum eſt, vt modos explicemus, quibus ne moleſti ſint *hominum purgandi Spiritus* efficitur. Et breuiſſimè dici poteſt *vnum eſſe*: & quidem eundem cum illo, quo à moleſtia liberamur mendicorum, atq; pauperum, qui ſtipem atque eleemoſynam importuniùs petunt. Quis ille? *Satisfiat Spirituũ deſiderio.* Quod verò deſiderium? Noſtra vt opera iuuentur à miſeria? Qua opera? Quæ miſericordiam ſpiret; non quæ pietatis habeat atq; beneuolentiæ nihil.

2. Breuibus hic multa complector; & quia multa breuibus, explicanda, & comprobanda. Omnia verò vel ad conditionem pertinẽt Spirituum, qui moleſti ſunt: vel ad noſtrum officium; vel ad opera, quibus ipſorum inopiæ ſubuenimus.

Condi-

Digitized by Google

Conditio Spirituum illorum inſinuatur eſſe miſera; quæ aliorum auxi- 3.
lio indigeat, & poſſit ſubleuari. *Officij noſtri ratio*; vt ipſis ſubueniamus; *Opera*, media ſunt, quibus ſubleuantur. Primum hoc Capite perſequemur, reliqua ſequentibus.

Et quidem eſſe quoſdam Spiritus, qui hoc ſolùm nomine mole- 4.
ſti ſunt, vt in miſerijs, quas ſuſtinent, aliquod leuamen, accipiant, extra controuerſiam eſt; nec hoc loco probandũ. quòd verò *aliorum opera iuuari poſſint*, quis dubitabit?

Si iuuari non poſſunt; cur, vt iuuentur, moleſti ſunt? An fortè te- 5.
meritatis arguendi, atq; imprudentiæ? quaſi, qui tentent, quod, cõſequi eſt impoſsibile? At procul à purgandis Spiritibus omnis temeritas: procul imprudentia. Et vt temerè *poſſint* agere ipſi; vt tamen temerè quicquam agant, Deus non permittit, cuius prouidentia fit, quod ad nos redeant; noſtris rebus interſint; nos moleſtare poſsint.

Si ſubſidium ipſis nullum poteſt afferri; ex ipſorum ne hoc eſt 6.
conditione, quæ poſtulet, vt errent ſolùm, & viuentibus moleſti ſint? An ex viuentium impotentia, quibus facultas, vt ſubſidiũ præſtare valeant, negata eſt? Prius illorũ conditio non poſtulat: ſed potius vt certis, definitisq; locis, quas meruerunt, pœnas luant, idque non in aſſumptis corporibus quibus illę nequaquam debentur; ſed in ſe ipſis, quæ cauſa peccatorum fuerunt. Si verò facultas illa viuẽtibus diuinitus conceſſa eſt, vt ab *immundorum* Spirituum vexatione ſe vindicare valeant: negata erit, qua ſe ab *humanorum* Spirituũ moleſtia liberent?

Vnum quoddam corpus eſt Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus. 7.
Vnio igitur erit, & membrorũ inter ſe, & cum ſuo capite Chriſto. quoniam, vt pulchrè Apoſtolus loquitur 1. Corinth. 12. *pro inuicem ſolicita ſunt membra: & ſi quid vnum membrũ patitur, compatiuntur omnia.* At defuncti iuſti, qui nobis moleſti ſunt, huius corporis mẽbra quędam ſunt, atq; nexibus fidei, ſpei, atq; charitatis nobiſcum colligati: (neq; enim inquit B. Auguſtinus li. 20. de Ciuitate Dei, ca. 9 *piorum animæ defunctorum ab Eccleſia, quæ regnum eſt Chriſti, ſeparantur*) poſſumus igitur ipſis compati: poſſumus auxiliari: poſſumus miſeriam ipſorum ſubleuare.

Sanctus Ephrem Syrus, cum iam moriturus eſſet, & viuentium 8.
pro ſe poſtularet ſuffragia, pulchrè oſtendit defunctos viuentium ſuffragijs iuuari, duplici ſimilitudine. Videtis, inquit, exemplum ex particularibꝰ Dei creaturis: veluti in fœtu vitis. Vna acerba in agro, & vinũ quod in dolijs poſitũ eſt, quãdo igitur racemus in vite viget,

tunc

Digitized by Google

tunc de ſtatu ſuo mouebitur, quod eſt immobile in domo. Vinum (ſubiungit) mei ſimile intelligitur. Cæpa etiam, quæ poſita eſt in agro, cùm tempore ſuo vireſcere incæperit; arida quæ in domo eſt germinat. Si igitur rerum fœtus ſic inter ſe conſentiunt, quantò magis mortui in memorijs veſtrarum oblationum oblectantur?

9. Cùm *mortui poſſint prodeſſe mortuis*, vt ſuo exemplo docent Eliſæus atque Abraham, quorum hic Lazarum ſinu ſuo excepit; Lucæ 16. ille mortuum excitauit, 4. Reg. 13. Cùm viui viuis, quemadmodum Apoſtolus inſinuat, dum vult *alterum alterius onera portare*, Gal. 6. Cum *mortui viuis*; vt defuncti Onias atque Hieremias probant, dum pro Iſraelitarum orant populo, 2. Mach 15. quidni *viui* poterunt prodeſſe *mortuis*?

10. Ad Epheſ. 5. ca. vult nos Apoſtolus ambulare in dilectione, ſicut Chriſtus dilexit nos, *qui tradidit ſemetipſum pro nobis*. At Chriſtus multis modis dilectionem ſuam demonſtrauit: *Viuens in terris profuit viuentibus*. Nam præterquam, quòd corporis ſanitatem pluribus reſtituit, etiam à peccatis abſoluit Magdalenam, Lucæ 7. Paralyticum, Matth. 9. Zachæum, Lucæ 19. Petrum, Lucæ 22. Latronem, Lucæ 23. Idem *mortuus profuit mortuis*; deſcenſu ſuo ad inferos, quo plurimos ſoluit ab inferni doloribus, Actu. 2. vt illos prætercam, quos ad vitã reuocauit, & quorum aperuit ſepulchra. Matth. vltimo. Idem *mortuus profuit viuis*: morte ſiquidem vitam nobis promeruit ſempiternam: & iam noſter pro nobis, apud cęleſtem Patrem in cęlis non deſinit eſſe aduocatus atque patronus. Denique & *viuens profuit mortuis*: quando nunc puellam in domo, Matth. 9. nunc adoleſcentem in via, Lucæ 7. nunc Lazarum in ſepulchro ad vitam reuocauit. Et nos igitur *viui*, ad Chriſti exemplum, quod Apoſtolus poſtulat, non tantùm viuis; ſed & *mortuis*, poſſumus (ſi nõ debemus) dilectionis argumenta exhibere, atque ipſorum neceſsitatibus, quas patiuntur, ſubuenire.

11. *Amici veſtri* ſunt dicti Spiritus. Nihil mali cupiunt viuentibus: quin potius cupiunt bona omnia. Tantum igitur abeſt, vt fruſtra moleſti eſſe velint, vt potius de moleſtijs nobis inferendis nihil cogitarent, niſi ſpes ſubſidij certa ipſis eſſet propoſita.

12. Pluribus ad hanc rem confirmandam opus non eſt. Ipſa, quæ hîc ſuppetunt, exempla magnam fidem faciunt; *Exempla*, inquam, illorum, qui ad viuos redierunt; ſua deſideria verbis atque rebus aperuerunt, & ſe viuentium opera adiutos fuiſſe, magna grati animi ſignificatione, teſtati ſunt. Gregorius Magnus, vrbis & orbis ſanctiſsimus Pontifex, refert (4. Dialog. cap. 40.) animam Paſchaſij, quæ in

Thermis

Thermis Puteolanis apparuit S. Germano; ipſius Germani precibus eſſe liberatam. Alter Gregorius Turonenſis, lib. de Gloria Confeſſorum, ca. 5. docet, ſanctam quandam Virginem, nomine Vitalianã, iam defunctam, ſignificaſſe S. Martino, ſe ob leue quoddam peccatum purgatorio igne expiari, à quo eiuſdem precibus ſit erepta.

De S. Seuerino teſtatur Petrus Damianus, in Epiſt. ad Deſiderium, quòd poſt mortem cuidam presbytero, eiuſdem cum Seuerino Eccleſię, apparuerit; ſignificaritq; ſe ob horas Canonicas, non ſuis temporibus recitatas, ſuſtinuiſſe pœnas purgatorias, & tandem beatorũ collegio aſſociatum.

In Vita S. Malachiæ ſcribit Sanctiſsimus Bernardus ſororem precibus ſancti, à pœnis purgatorijs liberatam, à quibus, vt eius precibus interuenientibus liberaretur, aliquoties ante, per viſum admoneri Sanctus vir videbatur. De Bernardo verò ſcribit VVilhelmus Abbas, c. 10. lib. de Vita Bernardi, eiuſdem precibus adiutum quẽdam, & ſocietate Sanctorum in cœlo adiunctum, qui iam annũ integrum pœnas eaſdem purgatorias ſuſtinuerat. Et Arnulphus presbyter quidam S. Remberto; Archiepiſcopo Bremenſi apparuit; ſeq; ieiunio quadraginta dierũ, quod ille pro ipſo, atq; ab ipſo rogatus, perſoluerat, à pœnis purgatorijs ſolutũ, & felicitate Sanctorum donatum teſtatus eſt. Surius Tomo. 1. Sanctorum. Omitto alios plures, quorum mentio ſit capitibus 75. 76. 78. &c.

CAP. LXXII.

Multis, magniſq; de cauſis conuenire, vt purgandis Spiritibus viui ſuccurrant, quando excitatis moleſtijs ipſorum auxilia poſtulant.

CONditionem purgandorum Spirituum expoſuimus, quidque moleſtia ſua quærant. Nunc quamuis libertas à moleſtijs, quã expetimus, nos per ſe vrgere poſsit, vt ijs ſubueniamus & libertate fruamur; non tamen ſola illa mouere debet. Plurimæ cauſę ſunt, & grauiſsimæ; quæ, vt his Spiritibus, quibuſcunq; poſſumus modis, ſubueniamus, nos impellunt. 1.

Et aliæ quidem ab ipſis Spiritibus ſumuntur: aliæ ex noſtra viuẽtiũ perſona: aliæ ex malis, quæ Spiritus illi patiuntur: aliæ ex diuina prouidentia: aliæ ab exemplo Maiorum: aliæ ex ratione honeſtatis: aliæ ex fructibus, qui cum hoc pietatis ſtudio ſunt coniuncti. 2.

Digitized by Google

Spirituum illa conditio eſt, vt omnino miſericordia digni ſint, & omnibus modis opera noſtra debeant iuuari. Neque enim aut Dei, aut vllorum viuentium ſunt hoſtes: quinimò Deum diligunt ſuper omnia, nihilq; eius honore prius habent: hominum verò & diligũt, & expetunt, &, quibus modis poſſunt, promouent ſalutem atq; incolumitatem. Qui igitur digni ſunt beneficio; indignè illo priuabuntur.

4. *Summa eorum eſt neceſsitas.* Nam & plerunq; grauiſsimè plectuntur, & decretas pœnas, niſi aliunde ſubleuentur, vſq; ad nouiſsimũ quadrantem dependere compelluntur. Vnde & dici ſolet huiuſmodi extrema neceſsitate premi. Nec malè. Pauper eſt enim, qui parũ habet. Pauperior, qui nihil habet. Adhuc miſerior, qui nihil habet, nec quæſtum vllum, vlla omnino ex re, facere poteſt. At omnium eſt miſerrimus, qui nihil in bonis habet; & nihil quicquã amplius lucrari poteſt: & multa præterea debet, & eius ſeueritatis creditorem ſuſtinet, qui dilationem nullam, nullas concedit inducias, ſed ſeueriſsimè illud vſurpat: *ſi non habet in ære; luat in pelle.* At hęc conditio eſt Spirituum horum, qui ad nos redeunt.

5. Quid, quòd vel hoc nomine noſtra ſuffragia opemq; mereantur, quòd in pœnis conſtituti, *pro noſtra ſalute ſint ſoliciti, illamq; Deo ſuis orationibus commendent?* digniq; ſint noſtra oratione, qui nos dignos cenſent ſua oratione? Scio eſſe, qui hoc inficientur; verum vtrum bene, vehementer dubito. Quid quæſo, cur minus pro nobis orent impedit? An quia Deum nondum vident? At orabant olim pro Iudæorum gente Onias atq; Ieremias. 2. Machab. cap. vltimo; qui nec ipſi Deum videbant. An quia longè inferioris conditionis ſunt viuentibus? Verùm hoc nihil impedit. quia etiam minimus quiſq; ſine crimine, imò cum laude, orat pro ſummis Eccleſiæ capitibus. An quia grauitas ſuppliciorum, quæ patiuntur, ſic mentem occupat, vt omnem de alijs rebus cogitandi occaſionem adimat? At epulo in inferno maiora tormenta ſuſtinebat; qui tamen pro fratribus orabat, Lucæ 16. Et in maximis tormentis conſtituti Martyres, pro aliorum ſalute fuerunt ſoliciti; quemadmodum ſuo exemplo docet B. Stephanus, Actuum 7. Non eſt illa ſuppliciorum pœnarumque, quas defuncti patiuntur, acerbitas, vt vel rationis vſum impediant, vel pium voluntatis affectum perturbent, quemadmodum vel ipſa, quam pro ſe faciunt, oratio demonſtrat.

6. Nos ipſos penitius introſpiciamus. *ex nobis quid illis debeamus,* intelligemus. Membra quædam ſumus illius corporis, cuius caput Chri-

Chriſtus eſt. an ſoli? Nequaquam. Et illi ſunt eiuſdem corporis membra, qui in cœlo cum Chriſto regnant, & qui alicubi purgatorijs pœnis, ob defectus, quos commiſerunt, expiantur. Quod igitur membrorum in noſtro corpore officium erga ſe mutuo, natura docente, diſcimus, id ijs præſtemus, qui eiuſdem corporis, ſub Chriſto Capite, ſunt membra. Quid illud? *Compatiuntur ſibi mutuo*, inquit, Apoſtolus, *membra:* viciſsim aliorum, qua poſſunt, ratione miſeriam ſubleuant. Quidni igitur purgandis Spiritibus ſubueniamus.

Mala, quæ patiuntur hi Spiritus, etiam nos impellere debent ad hoc officium ipſis præſtandum. Tanta enim ab ijs, qui partim viderunt, partim experti ſunt, ea quorundam eſſe predicantur, vt humana oratio illorum magnitudinem aſſequi nequeat. *Illum tranſitorium ignem*, inquit B. Gregorius in Pſalm. 3. Pœnitentialem, *omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorem.* Et B. Auguſt. in Pſalm. 37. *Quamuis*, inquit, *ſalui fiant per ignem, grauior tamen ille ignis erit, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Et Beda in eundem Pſal. *nulla putat eſſe ſupplicia Martyrum, vel latronum cum purgatorijs pœnis conferenda.* Similia docent Anſelmus in 1. Corint. 3. & D. Bernardus, ſermone de obitu Humberti. Igitur ſi in hac vita mortali naturaliter condolemus reis, alioquin nobis infeſtis, in quos publica iuſtitia ſeuerius animaduertit; vel cani quoque, vel alteri beſtiæ indignius tractatæ; magna nos ratio vrget; vt Spiritibus illis magno ſpiritus affectu compatiamur; operamq́; quam à nobis efflagitant, fideliter impertiamur. 7.

His accedit, quòd hoc officij genere *diuinæ voluntati ſatisfieri* credi debeat. Cùm enim non niſi ſingulari diuinæ prouidentiæ conſilio Spiritus ad viuos redeant; & hoc fine; vt viuentium ſubſidia impetrent, atq; à pœnis, quas ſuſtinent grauiſsimas, eripiantur, redeant: an non, qui ipſorum miſeretur, diuinæ voluntati ſatisfacere credi poteſt? 8.

Maiorum ſtudium hic multis & magnis argumentis ſe prodit, & nos vrget. Res luce meridiana clarior eſt: tantoq́; plus ponderis apud nos habere debet; quantò iam pauciores ſunt, qui Maiorum exemplis inſiſtunt. Nam etſi Sectæ admodũ inter ſe ſint diſſectæ; ad vnum tamen omnes in defunctorum pernitiem cõſpiraſſe deprehenduntur: nec quicquam præſidij defunctis impertiuntur; nec alios pacatè impartiri ſinunt. 9.

Virtutum etiam officia (in quibus honeſtatis ratio conſiſtit) *hic plurima concurrunt. Sed quarum quæſo? Fidei* quod contra noſtrorum tépo- 10.

rum Hæreticos,purgatorias pœnas,rebus ipſis,teſtemur. *Spei*,quam de diuina clementia hîc concipimus,& noſtra opera alijs pro futura confidimus. *Charitatis*, quam hoc officij genere proximis,maximè indigentibus,impendimus. Deniq; aliarum *quarumcunq;* virtutum, quarum opera defunctorum cauſa ſuſpicimus.

11. *Quantus verò,ex his,ad nos fructus?* ſed præter illum,inſignis quoque retributionis ſpes excitari poteſt. Omnino nobis polliceri poſſumus,quod quam vicem viui nos mortuis;eãdem nobis mortuis viui ſint præſtituri,ſecundum illud: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*.Luc. 6.Vt interim taceam,quod hac re etiam eos nobis mirè diuinciamus,pro quibus ſuffragia facimus; & ſperare poſsimus, quod nos commendatiſsimos habituri ſint in cælis,quibus vt à ſupplicijs eriperentur,authores fuimus in terris.

12. Poſſem pro hoc argumento Sanctorum Patrum plures proferre ſententias. Sed pro omnibus vna ſuffecerit D. Auguſtini, qui in li. de Cura pro Mortuis,ca.4.ſic loquitur: Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro Spiritibus mortuorum;quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia:vt quibus ad iſta deſunt parentes,aut filij,aut quicunq; cognati,vel amici,ab vna ijs exhibeatur pia matre communi.Ita Auguſtinus.

13. Forſitan negatur fieri poſſe,vt *vnus alterius in ſe onus ſuſcipiat*,& quas alius promeritus eſt,liberè pœnas ſuſtineat. At negare hoc non debet Chriſtianus homo.Quemadmodum in naturalibus pes non ſua tantùm;ſed oculorum quoque cauſa,munere ſuo fungitur:nec rurſum,quod oculi vidẽt,id ad illorum propriam, ſed ad communem membrorum omnium vtilitatem referendum eſt:nec deniq; quod in familia ritè inſtituta vnuſquiſque induſtria ſua conficit;iſtud velut peculium in proprium commodum ſeorſum ſeponit;ſed in cómunem omnium vſum,in medium adducit;ita,in Eccleſia quoque, myſtica membra ſibi inuicem deſeruiunt,mutuaſque ſibi inuicem operas præſtant.

14. Agnouit hoc optimè ſanctiſsimus Paulus. Vnde ad Rom.15.bona à Iudæis conuerſis facta docet profuiſſe Gentibus.Si, inquit,*Spiritualium eorum Participes facta ſunt gentes;debẽt & in carnalibus miniſtrare ijs*. Et ipſe,veluti communis omnium fidelium præceptor, & Doctor Gentium,perpeſsiones ſuas docet alijs prodeſſe. *Gaudeo,* inquit ad Coloſſ. 1. *in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea,quæ deſunt paſsionibus Chriſti, in carne mea,pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*.Denique ad ſimilia

milia ſtudia hortatur Epheſios, & in Epheſijs Chriſtianos omnes. *Eſtote*, inquit cap. 5. *imitatores Dei. ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Vult dicere: Quemadmodum myſtici corporis caput, Chriſtus Ieſus, ardenti charitate motus, pro membris ſuis ſemetipſum tradidit; ita vnumquodque eiuſdem membrum, pro altero ſeſe tradat, oportet.

Pronior eſt Deus ad miſerandum, & promeritam pœnam condonandum; quàm ad condemnandum, vel puniendum. *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius.* Pſal. 144. *Magnificata eſt*, inquit idem Propheta, Pſal. 56 *vſq; ad cælos miſericordia tua; & vſq; ad nubes* (quæ infra cęlum ſunt) *veritas* (& iuſtitia) *tua.* Sed exploratum eſt eundē non ob propria tantùm, ſed etiam ob aliena flagitia, multos ſępe calamitatibus inuoluiſſe, & inuoluere quotidie. Ob peccatum *Dauid*, ſeptuaginta Iudæorum milia peſtilentia extinxit; 2. Reg. 24. Ob vnius Acham ſacrilegium tria eiuſdem populi milia in fœdam fugam conuertit; Ioſue 7. Ob vnius *Ionæ* fugam nautas cum cæteris vectoribus multum diuque tempeſtate iactauit; Ionæ 1. Ob *Phariſæorum* in Chriſtum peccatum, totam Iudæorum gentem innumeris cladibus oppreſsit, &c. Si ergo Deus Opt. Max. hæc atque ſimilia mala irrogat inſonti, propter alterius ſcelera; cur pœnam temporariam iuſto, vel etiam iniuſto propter vltroneam alterius ſatisfactionem non condonet? 15.

Ob inſignem *Abrahæ* pietatem, pepercit Deus Loth, & Abimelech; Geneſ. 19. & 20. paratumque ſe declarat ob *decem tantùm iuſtos*, omnibus Sodomitis & Gomorrhæis, eorumq; vicinis parcere: Geneſ. 8. Ob inſignem *Dauidis* religionem, pepercit Salomoni; 3. Reg. 11. Propter Apoſtoli *Pauli* charitatem, ducentis naufragis animabus; Actuum 28. Propter *Moyſis* interceſsionem, toti Iſraeli; Exodi 32. Propter *offerentium* fidem, Paralitico vtriuſque hominis ſanitatem præſtitit; Matth. 9. Denique, ipſe inquit, Ezech. 22. *quæſiui virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, pro terra, ne diſſiparem eam.* Cùm hęc igitur Dei beneficia admittantur; cur negatur eius beneuolentia, in temporalium pœnarum, quas alij pro alijs in ſe ſuſcipiunt, condonatione? Cur negatur piè defunctorum viuentes poſſe in ſe onera ſuſcipere? pro ijſdemque ſatisfacere? 16.

Quantum poſsint proborum, ſanctorumque hominum merita, pulchrè oſtendit B. Chryſoſtomus, Homilia 2. in Pſal. 50. *Sanctus Dauid*, inquit, non ſolùm cùm in corpore eſſet, placuit Deo; ſed & poſt mortem ſuam viuis inuenitur præſtitiſſe ſolatium. Contigit namq; 17.

Digitized by Google

Ezechiæ Regi, inimicas in temporibus Iudæorum gentes circumuallaſſe Hieroſolymam. Et cùm eſſet Ezechias iuſtus vir, rogauit Deū:& proſtratus lachrymis deprecabatur, vltionem de aduerſariis poſtulans. *Venit ad eum Iſaias Propheta,& dicit: Ne putaret iſte, qui in iuſtitia ſua exauditus eſt. Et certè iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requieſcens. Quid ergo dicit ei? Protegam hanc ciuitatem propter me,& propter Dauid ſeruum meum. Dauid mortuus eſt,& merita eius vigent. Ita Chryſoſtomus. Hinc optimè Sanctiſsimus Pontifex Leo, Sermo. 3. de Ieiunio ſeptimi menſis: *Apoſtolorum*, inquit, *meritis & orationibus confidimus nobis per omnia miſericordiam Dei noſtri eſſe præſtandam.*

18. Quid igitur eſt, quæret aliquis, quod ab Apoſtolo dicitur, ad Galat. 6. *Vnuſquiſq; onus ſuum portabit?* Quæro ego quid ſit quod idem Apoſtolus, eodem loco; velit *alterum alterius onera portare?* Forſitan ſibi cōtrarius Apoſtolus? aut eſt apud ipſum, Eſt & non? *Fidelis Deus* (1. teſtor Deum) inquit 2. Corinth. 1. *Sermo noſter, qui fit ad vos, non eſt in ipſo: Eſt, & Non.* Sunt igitur, qui dicant, de ijs loqui Apoſtolum; qui ſine pœnitentia ex hac vita diſcedunt, quorum *onus aliorum nullus in ſe ſuſcipiet*, ſed ipſi quas meruerunt pœnas æternas perſoluent. *Vnuſquiſq;*, inquit in hunc locum Anſelmus, *grauabitur propria conſciētia peccatorum.*

19. Sed & illi, qui purgatorijs pœnis expiantur, *onus ſuum* portant; quia nihil recipiunt, quod non *geſſerunt in corpore*: Id enim meruerūt perſeuerando in fide & charitate vſque ad mortem; vt etiam poſt mortem aliorum opera poſſent iuuari. Eodem modo reſponſum ſit illi, ad Rom. 2. *Reddet vnicuiq; iuxta opera ſua.* Et illi, ad Galat. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.*

20. Hæc D. Auguſtini ſententia eſt, li. de Cura pro mortuis gerenda, Cap. 1. vbi ſic loquitur: *Cùm hæc ita ſint* (quod, ſcilicet, mortui per alios iuuentur) quomodo huic opinioni contrarium non ſit, quod dicit Apoſtolus (2. Corinth. 5.) Omnes enim aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt ferat vnuſquiſque ſecundùm ea, quę per corpus geſsit, ſiue bonum, ſiue malum, non te ſatis videre ſignificas. Hęc quidem Apoſtolica ſententia ante mortem admonet fieri, quod poſsit prodeſſe poſt mortē: non tunc, quando iā recipiendū eſt, quod quiſq; geſſerit ante mortē. Verùm hęc ita ſoluitur quęſtio. quoniā quodā vitę genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur; vt aliquid adiuuent iſta defunctos: ac per hoc ſecundùm ea, quę per corpus geſſerunt, eis quę poſt corpus religiosè, pro illis, facta fuerūt, adiuuantur. Sunt enim quos nihil omninò adiuuant iſta; ſiue pro ijs fiant; quorum tam mala ſunt

la ſunt merita,vt neque talibus digni ſint adiuuari: ſiue pro ijs fiant, quorum tam bona;vt talibus non indigeant adiumentis;Genere igitur vitę,quod geſsit quiſque per corpus,efficitur:vt proſint,vel non proſint,quæcunque pro illis piè fiunt,cùm reliquerit corpus. Nam meritum,per quod iſta proſint,ſi nullum comparatum eſt in hac vita,fruſtra quæritur poſt hanc vitam. Ita fit,vt neque inaniter Eccleſia,vel ſuorum cura pro defunctis,quod potuerit religionis impendat:& tamen ferat vnuſquiſque ſecundùm ea,quæ per corpus geſsit. Hactenus Auguſtinus.

CAP. *LXXIII.*

Modos, quibus à moleſtia Dæmonum infeſta loca liberantur, non prodeſſe ad illas moleſtias tollendas,quæ à bonis hominum Spiritibus afferuntur.

DEmonſtratum eſt eſſe Spiritus purgandos:& poſſe eoſdem iuuari;& meritò eſſe viuentium opera iuuandos. ſequitur doceamus,*quo modo* iuuentur. Et ſi generatim loquamur, hic duplex eſſe videtur,quemadmodum duplex eſt, quo à pauperum & mendicorum(ad quorum conditionem hos Spiritus accedere diximus)moleſtia contingit liberari. Vnus durus eſt,& inhumanus:alter humanus, & Chriſtiano homine dignus. Ille apud pauperes accidit,nunc ſimplici eleemoſynæ negatione,nunc verbis aſperioribus;nunc etiã inflictis & intentatis verberibus. hic eleemoſynæ erogatione, aut condolentis, & iuuare deſiderantis animi ſignificatione. 1.

Vtroque horum,contra Purgandorum Spirituum moleſtias,agi poteſt:ſed priori agere inhumanum;poſteriori, vt agatur,poſtulat, vt diximus,officium hominis Chriſtiani. Quis probet,vt cum *amicis* agatur durius ? amicis, inquam, quibus quod petitur,ſine noſtro detrimento, imò cum magno emolumento,præſtare poſſumus? 2.

Hinc eſt,quòd *ratio*,qua nos ab horum Spirituum moleſtia liberamus,hoc primùm *à priori illa differat*;quod cum his Spiritibus *amicè*;non,vt cum illis,hoſtiliter agendum ſit. 3.

Differt

Digitized by Google

4. Differt deinde, quod *quibus præſidijs* contra moleſtias infeſtantium Dæmonum agimus; *illis contra moleſtias*, quæ ab his Spiritibus afferuntur, depugnandum non ſit. hoſtilia illa atque aduerſaria ſunt arma. contra hoſtes & aduerſarios, illorum proprius eſt vſus: At hoſtes non ſunt hi, qui apparent Spiritus: & quamuis moleſti ſint, non tamen moleſti eſſe cupiunt: Moleſtia, quæ afferri videtur, ſolum ſubſidij eſt humilis poſtulatio.

5. Et *quo*, ex omnibus iam dictis, *armorum genere* cum ijs eſſet agendum? Crucene; an Reliquijs? an Rebus conſecratis, an Exorciſmis? an Oratione, quali oppugnantur, & ædibus, alijſq; locis proſcribuntur Dæmones?

6. Adhibentur contra malignos Spiritus *Cruces*, quòd illas ferre nequeant. At Cruces hi Spiritus non horrent. in illis gloriantur, cum ſanctiſsimo Paulo: per illas ſe à peccatis, Dæmonumque poteſtate ſciunt ereptos: per illas habere ingreſſum in vitam æternam.

7. Adhibentur contra illos *Reliquiæ*. An his terrentur purgandi Spiritus? has fugiunt? pignora ſociorum? qui ſub ijſdem, cum ipſis, vexillis militârunt? quorum mox ſperant ſe poſſe perfrui conſortio?

8. Adhibentur contra eoſdem *Res conſecratæ*. Nec has horrent noſtri Spiritus. Benedictis rebus recreantur, qui gratiſsimam illam aliquando vocem; *Venite benedicti Patris* &c. Matth. 25. cum ſumma ſua audituri ſunt voluptate.

9. *Exorciſmos* fortè, quos ferre nequeunt Dæmones, ipſi reformidant? Non reformidant: propterea, quòd Exorciſmi ijs rebus conſtent, quæ nec his Spiritibus exoſæ ſunt; nec Spiritus hos moleſtia afficere poſſunt.

10. *Oratio denique*, qua Domus; ſiue loca conſecrantur, & qua Spiritibus acceſſus interdicitur, hos Spiritus non attingit. Ipſa hoc docet Orationis forma; vt quæ non bonorum, ſed malorum Spirituum meminit. Quòd ſi alia aliqua ad Deum dirigitur; vel ſolùm malorum Spirituum petit, vel ſolùm petere debet exilium.

11. Quæ cùm ita ſint, probari non debet eorum conſuetudo, qui, vbi ad Spiritibus infeſtas ædes liberandas vocantur, *mox ad Exorciſmos* confugiunt: Spiritus adiurant; & in Chriſti ſanctiſsimæque Trinitatis nomine diſceſſum imperant. Quid ſi hominum purgandi ſint Spiritus, qui moleſti ſunt? Hos contra, quid hæc arma,

atque

atque machinæ? Quemadmodum imprudenter agunt, qũi pro quibuſuis Spiritibus orationes Deo offerũt; ita, qui quoſuis Exorciſmis aggrediuntur. Cognoſcendi prius Spiritus, antequam de modis, quibus ab ipſorum moleſtia liberemur, cogitemus. Verùm de hoc aliâs.

Quòd ſi quando Spiritus purgandi, poſt *hos* adhibitos infeſtis locis modos, moleſtare deſinunt: non hoc ipſis modis tribuendum eſt, ſed Spirituum volũtati: qui cùm ſubſidium ex moleſtia nullum ſperent, fruſtra moleſti eſſe nolunt: quemadmodum nec diuitibus illis moleſti ſunt pauperes, à quibus ſtipem nullam exſpectant. Sed *modos*, quibus non tam profligantur, quàm iuuantur, inquiramus, & diſcutiamus. 12.

CAP. LXXIIII.

De varijs modis, quibus à moleſtia purgandorum Spirituum contingit liberari: & de multiplici modorum differentia.

SAnctiſsimus Eccleſię Doctor Auguſtinus, Sermone 34. de Verbis Apoſtoli, *trium* meminit, quibus, vt à purgatorijs pœnis Spiritus, ita à purgandorum Spirituum moleſtia viuentes liberantur. Orationibus, inquit, Sanctorum Eccleſię, ſalutari ſacrificio, & eleemoſynis, quę pro eorum Spiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari; vt cum ijs miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus, id eſt, Apoſtolis traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia. 1.

Tribus his *quartum* adiungit B Gregorius, *Ieiunium* ſcilicet, quemadmodum ſacri docent Canones (13. q. 2.) Animæ, inquit, defunctorum quatuor modis ſoluuntur: aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus ſanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum. Eadem ad verbum repetit Iuo Carnotenſis Epiſcopus, li. 5. c1. 124. Eorundem quoq; mentio fit in Vita Remigij Epiſcopi Rhemenſis, per Hincmarum ſcripta. 2.

Dictis adiungit *alieni Reſtitutionem* S. Brigida, libro 6. Reuelationum, fortè idcirco, quòd defunctorum quidam ad viuos dicantur rediјſſe, ipſoſque admonuiſſe; vt quæ habuerunt viui, & non reſtituerant, veris Dominis reſtituerent. fortè etiam, quod ex 3.

Digitized by Google

Sancto Auguſtino didiciſſet, *non dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

4. Sunt qui etiam *Peregrinationes* poſtulant, quòd hæ à quibuſdam Spiritibus expetitæ legantur. Et in Vita Rhemenſis Epiſcopi, Remigij adduntur *Lachrymæ.* Et à Beato Athanaſio *Oleum* atque *Cera*, quemadmodum videre eſt in Oratione de his, qui dormierunt.

5. Alij alios modos adiungunt, & quidam omnia, in vniuerſum, *pietatis efficia.* Nec malè forſitan. Cùm enim viuorum opera quæcunque viuis prodeſſe poſsint, propter coniunctionem, quæ inter ipſos eſt, tanquam diuerſorum, ſub vno Capite, membrorum; quidni viuorum etiam mortuis prodeſſent; cùm & illi, B. Aug. teſte, *eiuſdem corporis viua ſint membra?*

6. Sed ſiue tres modi ſint, ſiue quatuor, ſiue etiam plures; dubium non eſt à moleſtia Spirituum liberari viuentes illis ipſis, ſi leuamen pœnarum Spiritibus in ſua miſeria, his afferri poteſt. Quæcunque enim hiſce Spiritibus ad leuamẽ pœnarum proficiunt; eadem moleſtias, quæ à Spiritibus afferuntur, tollunt.

7. Vtrum verò *leuamen* adferant, poſterius diſcutiendum eſt, cùm ſingulos perſequemur; id certum eſt egregiarum ipſos virtutum eſſe exercitia. *Oratio* actus religionis eſt, quemadmodum & *Sacrificium Miſſæ*, & vſus *cereorum. Eleemoſyna* miſericordiæ. *Ieiunium* cum *fletu* temperantiæ. *alieni Reſtitutio* iuſtitiæ, quemadmodum & *Peregrinationum* perſolutio. Omnes, quatenus ob miſeriam Spirituum ſubleuandam ſuſcipiuntur, officia præſtantiſsimæ Charitatis.

8. Itaque magnum eſt inter ipſos diſcrimen. Quamuis enim ab vna Charitate omnes poſsint imperari; *in ſe* tamen propriarum virtutum ſunt officia. Sed & præter hanc, aliæ ſunt inter ipſos differentiæ, quas vbi breuiter iudicauerimus, Caput hoc erit concludendum.

9. Quidam igitur tales ſunt: vt intermitti ſine crimine non poſsint: in quorum genere eſt *alieni Reſtitutio*, & quæ ex voto ſuſcipienda eſt. *Peregrinatio.* Alij, quemadmodum cum laude ſuſcipiuntur, ita ſine culpa ferè omittuntur. Quocirca hi ad opera *ſupererogationis*, quæ vocantur, referuntur: *alieni Reſtitutio* non item, quemadmodum nec perſolutio *voti peregrinationis.*

10. Rurſus inter priores illos, alij immeditaè tendunt in Deum: vt *Oratio, Cerei atq; Sacrificium.* Alij faciunt ad proximi miſeriam ſubleuandam; vt *Eleemoſyna.* Alij ad corpus ſpiritui ſubijciendum; vt *Ieiunia atq; lachrymæ*, quæ in carnis afflictione poſita ſunt.

Ex hoc

Ex hoc quarta differentia petitur, quæ ad triplicia hominis bona ordinem dicit. *Eleemoſyna* ſiquidem cum vſu *luminum* bonorum externorum eſt. *Ieiunium* cū *fletu*, corporis. *Oratio*, animę. *Sacrificium* ſerè omnium. 11.

Præterea quidam ex dictis modis, ſunt communes pluribus: quidam paucioribus. *Eleemoſynam* ſoli, quibus bona ſunt fortunæ, poſſunt præſtare, quemadmodum & *Cereos* accendere. *Sacrificium* Miſſę ſoli ſacerdotes. *Ieiunium* eſt difficile afflictis viribus. *Oratio* cum *lachrymis* communis omnibus. 12.

Denique, quidam horum modorum poſtulant operantium probitatem: quidam non item. Prioris generis ſunt *Eleemoſyna*, atque *Ieiunium*: poſterioris *Sacrificium* Miſſæ, atq; *Oratio*; illa maximè, his ſuis locis plura. 13.

CAP. LXXV.

Oratione iuuari piè defunctorum Spiritus, qui viuentibus quandoq; ſunt moleſti: veruntamen aliter iuſtorum, aliter improborum oratione.

O*Ratione purgandos Spiritus iuuari*, Catholicorum omnium ſenſus eſt, & conſenſus. quem etſi non verbis teſtarentur; rebus ipſis tamen frequentiſsimè declarant. Quoties pro defunctis *orant*? Tremenda myſteria in Eccleſia nunquam celebrantur; niſi defunctorum quoque, *qui nos præceſſerunt, & cum ſigno fidei, in Domino, obierunt*, fiat commemoratio. Horæ Canonicæ nunquam à perſonis Eccleſiaſticis recitantur, aut decantantur: niſi & *fidelium animabus defunctorum pax* à Deo petatur. Nunquam è menſa ſurgitur; niſi & Deus rogetur, vt *requiem æternam velit dare defunctis*. Cemiteria ſi quando tranſire contingit; *pia fidelium defunctorum eſt memoria*. Si ſermo de defunctis incidat; *diuinam* ſimul *ipſis conſolationem* optamus. Si quem ex vita migraſſe audiamus; *vt animæ ipſius benè velit Deus*, precamur. Omitto his ſimilia plurima. 1.

Et hæc quidem Catholici faciunt quotidie. Quid olim *Maiores*? Idem prorſus. *Pro omnibus*, inquit Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi. 5. Myſtag. *oramus, qui inter nos vita functi ſunt*. Pro- 2.

netur mortuus non lachrymis, ſed precibus ſupplicationibus, eleemoſynis. Et infra: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, Preces pro illis efferentes.* Ambroſij hæc eſt ſententia, lib. 2. Epiſt. 8. ad Fauſtinum, de obitu ſororis. *Non tam deplorandam, quàm proſequendam Orationibus reor; nec mæſtificandam lachrymis ſed oblationibus animam eius Domino commendandam.*

Sed neque ſi vel Exemplis eſſent deſtituti, vel Maiorum vocem non audijſſent, dubitare poſſent, *Oratione* purgandos Spiritus iuuari? Quid non poteſt *Oratio*? apud Deum præſertim, in cuius poteſtatẽ ſunt, de quibus noſtra Diſputatio eſt, Spiritus? pro cuius voluntate expiantur? 6.

Dubium igitur non eſt, *Oratione Spiritus purgandos iuuari poſſe.* Quid ſi adiutos doceamus? Seruiunt hîc nobis ſuperius recenſiti Germanus atq; Martinus Epiſcopi; Malachias atq; Bernardus Abbates: quorum primus animam Paſchaſij, teſte Greg. lib. 4. Dial. cap. 40. alter Vitalinam Virginem, vt habet Greg. Turon, lib. de Gloria Conf. cap. 5. tertius ſororem, quemadmodum de eodem ſcribens refert Bernardus: quartus Monachum, vt in eius Vita cap. 10. Vilhelmus Abbas, ex purgatorijs pœnis *Oratione* liberauit. 7.

Adijcimus dictis S. Eliſabetham, Regis Hungariæ filiam. Huic dormienti (vt in eius Vita ſcribit Iacobus Montanus, apud Surium Tom. 6.) matris vmbra viſa eſt obuerſari, lugubriq; vultu, & flexis poplitibus orare, ſui quamprimũ miſereretur. ob vitá enim negligentius actam igne ſe pœnas ſoluere: moxq́; hoc viſo expergefactę, ac poſt *effuſas ad Deum Preces*, lachrymasq́; denuò in ſoporem depreſſæ, iterum apparere, ac immortales gratias agere, pro matura liberatione: diceretq́; tanti apud Deum *Preces* eius reputari; vt iam vita functis; quam ijs, qui adhuc ſupereſſent, ſubuenire auxilio poſſit. Ita Montanus. 8.

Addimus Anglorum Regis ſororem virginem integerrimam, Tettam; quæ virgini ſorori defunctæ, & ob nonnullas peccatorum labeculas, pœnas adhuc luenti, veniam *oratione* obtinuit. Argumento fuit ipſius tumuli terra, quę ſubſederat; & rurſum aſſurrexerat, hiatumq́; inanem replebat. Hoc Rudolphus, Rabani diſcipulus, li. de S. Charitate, alias Lioba.

Cæterum, quamuis *Oratio* his Spiritibus proſit, non *omnis* tamen æquales habet vires. Alia alia eſt præſtantior. Vna alia plus iuuat. Quæ enim ab ijs, qui in Chriſti ſunt gratia, proficiſcitur, longè eſt præſtantiſsima: propterea, quod non ſolùm vim habeat *impetrandi*; 9

 verùm

Sic D. Bernardus, cùm Verduini in Gallia ageret, *Sacrificium altaris* obtulit, pro Epiſcopo Oſtienſi recens defuncto: vt patet ca. 4. li. 4. Vitæ eius. S. Gallus Abbas pro Columbano, capite 25. eius vitæ. Pro Gallo Ioannes Epiſcopus Conſtantienſis: in eiuſdem Galli Vita, cap 29. S. Seuerus Rauennenſis Epiſcopus, pro Geminiano Præſule; in Vita ipſius, apud Surium, Tomo 1. Anſelmus pro anima Oſberti, qui alieniori animo aliquando ob ipſo fuerat: in Vita ipſius ab Ediuero Anglo conſcripta: apud Surium Tomo 2.

Præterea Hugo, Epiſcopus Gratianopolitanus, diem obitus patris atq; matris dicitur celebrem feciſſe *tremendo Sacrificio*, quod pro ipſorum ſalute offerebat, quemadmodum teſtatur Guigo V. Prior primæ Carthuſiæ, dum Vitæ ipſius deſcribit curſum. Et Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus cùm Adelbertum in prælio intellexiſſet occubuiſſe, primù quidem corpus Auguſtam defert, & honeſtæ ſepulturæ mandat; mox deinde ſpiritum, *per ſacræ immolationis hoſtiã* Deo rogat eſſe commendatum. Ita Bernardus Agienſis, in ipſius Vita, qui eundem, Romæ aliquando agentem, cùm nondum Epiſcopus eſſet, teſtatur ſenioris animam Deo inter *ſacra orationũ libamina* commendaſſe.

Et Epiſcopus Herbipolenſis, Embrichus, quemadmodum in vita dilexit Babonem, Bambergenſem Epiſcopum, ita mortuum egregijs Chriſtianæ pietatis officijs proſecutus eſt. Humeros funeri ſubiecit: pro anima defuncti publicè *Miſſæ Sacrificium* obtulit: & cathedram conſcendens ad præſentes maximo numero Auditores, egregiam habuit orationem funebrem. Vide vitam Babonis, apud Surium Tomo 4.

Refert quoq; Venerabilis Beda lib. 3. Hiſt. Angl. de geſtis Regis Oſvvaldi, fratres Eccleſiæ Hagulſtaldenſis, ſingulis annis, pridie quàm Rex Oſvvaldus fuit occiſus, conuenire ſolitos, ad locum; vbi Crucẽ aliquando orationis cauſa erexerat: ibiq; preces pro ſalute animæ ipſius, & *victimam ſacræ Oblationis offerre.*

Habent hic locum deſideria viuorum, qui pro ſe defunctis idẽ *Miſſæ ſacrificium* offerri efflagitârunt: vt ſunt Ephrem Syrus, in ſuo Teſtamento: Venerabilis Beda, in præfatione Vitæ S. Cuthberti, Epiſcopi Lindisfarnenſis, apud Surium, Tomo 2. Margareta Regina Scotiæ; in eius Vita apud Surium, & alij quàm plurimi. Et ne pluribus recenſendis moleſti ſimus, vnica oratione Beati Auguſtini concludimus, qui ſermone trigeſimo quarto de Verbis Apoſtoli, *docet Eccleſiam vniuerſam, pro defunctis in ſacrificio Miſſæ orare ſolere.*

Nec

ſcatam Lethen. i. obliuionem). Illinc autem cùm quidam affugiſſent, & in Cyprum veniſſent; affirmarunt parentibus adoleſcentis, eum in cuſtodia mortuum eſſe. Illi igitur tres, quotannis Synaxes celebrabant, tanquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant: & ecce filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cùm parentes non tanquam qui fugiſſet è cuſtodia, ſed tanquam, qui ſurrexiſſet è mortuis, cum magno ſtupore aſpexiſſent; & fuiſſent ineffabili voluptate repleti; rerulerunt, quemadmodum ei mortuo, quæ fiunt mortuis, fecerint, Iuſta; indicantes quoq; dies ſanctorum Epiphaniorũ, ſalutaris Paſchæ & ſanctæ Pentecoſtes, quibus eadem perfecerũt. Hæc cùm ille audijſſet, & in memoriam reuocaſſet: parentibus affirmabat, quod his ipſis diebus fuerit relaxatus à vinculis, aduentu cuiuſdam, qui geſtabat lampadem, & omni ſecuritate perfunctus: diebus autem ſequentibus rurſus vinculis, ſicut prius, conſtrictus. Hæc Leontius.

Simile exemplum apud Gregorium Magnum, homilia 37. in Euangelia eſt videre.

Affert quoq; pro eodem argumento aliud non minus prodigioſum Venerabilis Beda, libro 4. Hiſt. Angl. capite 20. quod ipſius verbis referimus. In præfato, inquit, prælio, quo occiſus eſt Rex Elbuinus, memorabile quoddam factum eſſe conſtat, quod nequaquam ſilentio prætereundũ arbitror; ſed multorum ſaluti, ſi referatur, fore proficuũ. Occiſus eſt ibi inter alios de militia eius iuuenis, vocabulo Imma. Qui cùm die illo, & nocte ſequente, inter cadauera occiſorũ, ſimilis mortuo, iaceret: tandem recepto ſpiritu reuixit; ac reſidens ſua vulnera, vt potuit, ipſe alligauit. Quod dũ faceret, inuentus eſt, & captus à viris hoſtilis exercitus, & ad Dominum ipſorũ, Comitem videlicet Edelredi Regis adductus. Ille ſuſcipiens eum, curam vulneribus egit. Et vbi ſanari cœpit, noctu eũ, ne aufugeret, vinciri præcepit. Nec tamen vinciri potuit. Nam mox, vt abière, qui vincierant; eadem ſunt eius vincula ſoluta. Habebat enim germanũ fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum & Abbatẽ: qui cùm eum in pugna peremptum audiſſet, venit quærere; ſi fortè corpus eius inueniri poſſet, inuentumq; alium, illi per omnia ſimilimũ, putauit ipſum eſſe: quem ad Monaſteriũ ſuum deferens, honorificè ſepeliuit: & pro abſolutione animę eius, ſæpe Miſſas facere curauit. quarũ celebratione factũ eſt, quod dixi, vt nullus eum vincire poſſet: quin continuò ſolueretur. Interea Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit: quare ligari nõ poſſet: an fortè literas ſolutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud ſe haberet, propter

quas ligari non poſſet. At ille reſpondit. Nihil ſe talium artium noſſe: ſed Habeo fratrem, inquit, presbyterū in mea Prouincia: & ſcio quia ille, me interfectum putans, pro me Miſſas crebras facit: & ſi nunc in alia vita eſſem, ibi anima mea per interceſsiones eius ſolueretur à pœnis. Multi itaque accenſi ſunt in fide ac deuotione pietatis ad orandum; vel eleemoſynas faciendas; & offerendas Domino victimas Sacræ Oblationis, pro ereptione ſuorum, qui de ſeculo migrauerant. Intellexerunt enim, quòd Sacrificium ſalutare ad redemptionem valeret, & animæ & corporis ſempiternam. *Hactenus* Beda.

Tertium refert ex Petro Cluniacenſi Thomas Bozius, li. 15. cap. 2. de Notis Eccleſiæ. *Et* hoc Petri Cluniacenſis verbis aſſcribimus: Eſt in Gratianopolitano Epiſcopatu locus in venis ſubterraneis, plurimum ferri habēs; quod multo incolarum & ruſticorum ſudore aſsiduè eruitur, ac fornacibus coctum & expurgatum, per circūiacentes terras fabris ferrarijs, vel quibuſlibet, pro lucro venditur. Inde & villa, quam ijdē homines iuxta incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem huiuſmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perſcrutātur, ſpe maioris lucri lōgius procedere & per ſubterraneos ſpecus pertinaciter maiorem ferri materiam perſcrutari. Hinc operi, dum quodam tempore quidam Ruſticus indefeſſus inſtaret; & intima terræ fodiendo longius procederet: repente maxima moles terræ delapſa; aditum, per quem ingreſſus fuerat, obdurauit. Quia tamen fodiendo longius proceſſerat; ac multum poſt ſe ſpatij exhauſta terra inane reliquerat; mortē euaſit; & velut in domo clauſa à validis munitionibus vndiq; circumſepta, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permanſit. Sed tenebris tam tenebroſi carceris circumſeptus, ſpe omni euadendi ſublata, ac velut in amplo ſepulchro ſepultus, mortem ipſam adhuc viuens, iam ſe cernere exiſtimabat. Hunc iam per aliquot dies non apparentem, vxor ſua mortuum credens, ad animam eius ſpiritualibus beneficijs adiuuandam conuerſa eſt. Vnde per annum integrum, omni hebdomada, vnam ei *Miſſam* à Sacerdotibus celebrari faciens; & pro eo Panem, & Candelam offerens, ſalutari ſacramento, vt mos eſt Eccleſiæ, animæ defuncti mariti ſubuenire ſatagebat. Vna tamen, anni hebdomada exſtitit, qua mulier, alijs intēta negotijs, Miſſam, vt propoſuerat, marito prouidere neglexit. Ecce verò totius anni penè emenſo ſpatio, rurſus foſſores, metalli officio affecti, irrequieti inſtantes ad locum, in quo iam dictus Ruſticus adhuc viuens latebat.

tebat, paulatim fodiendo perueniunt. Quorum dum voces, & malleorum ſonitus iam appropinquantium Ruſticus incluſus audiſſet; quantis potuit niſibus vociferari cœpit. Cuius illi vocem audientes, & (vt pote artis illius periti) hominis ſubterranei eſſe cognoſcentes; ſeſe inuicem cohortati ſunt: & ad eum tandem, poſt multum foſsionis laborem peruenerunt. Quem accenſis luminibus curioſè circũſpicientes, illum eſſe, quem anno iam præterito ibidem obrutum eſſe ſciebant, agnouerunt. Admirati, &, vt par erat, tantæ rei nouitate ſtupefacti, quomodo illic viuere potuiſſet, inſtantiſsimè inquirebant. At ille reſpondit; Iſto, quem modo remouiſtis, terræ obice foramini per quod intraueram, obiecto; cùm hoc carcere, quem videtis, retentus fuiſſem, atq; aliquantis diebus ſine cibo & lumine permanſiſſem; ſubito mihi iam pene deficienti, cum Pane ſimul, & lumine, quidam aſtitit; qui me confortatus, & ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illa Candela, quam ferebat, clariſsimè illuſtrabat. Eo Pane, per ſpatium ſeptem aut octo dierum (vt mihi videbatur) refectus, totidem diebus illa Candela illuſtratus, & famis periculum euadebam; & huius foſſę tenebras euitabam. Poſt ſeptem dies verò vel octo, rurſus ille, qui prius cum recenti Pane, & renouato Lumine adueniebat, eaq; mihi dimittens recedebat. Hoc per vnius (vt mihi videbatur) anni excurſum, æquo pene temporis interuallo nunquam facere deſtitit: excepto vnius hebdomadæ ſpatio, quo mihi pręſentiam ſuam, munuſq; ſolitum, neſcio qua de cauſa ſubtraxit. Hoc illi ab eo audientes; & quod pro illo vxor eius, per totum illum annum fecerat, in memoriam reuocantes, cuncta ei protinus expoſuerunt: deinde hominem de cauernis illis ſubterraneis educentes, vxori proprię, vicinis omnibus & populo ad tantum ſpectaculum concurrenti, mirum dictu, poſt annuam ſepulturam, incolumem reddiderũt. Qui ſimul congregati, & quod pro eo mulier fecerat, & quod ille de ſe narrabat, examinantes, eiſdem diebus Panem, quo reficiebatur, & Candelam, qua illuſtrabatur, & in illo ſpecu oblata fuiſſe inuenerunt, quibus mulier pro eius requie, & Miſſam celebrari faciebat, & ſacerdoti Miſſam celebranti, Panem ſimul, & Candelam offerebat. Hæc Cluniacenſis, & ex Cluniacenſi, Bozius.

Sunt & hîc exempla illorum, qui *Miſſæ Sacrificio* adiuti fuêre. Produximus primo Capite hominem quendam, pro quo veriſimile eſt *ſalutarem hoſtiam* eſſe oblatam, qui, vt B. Gregorij verbis vtar (li. 4. Dial. g. ca. 39.) *reuerſus ad balneum, eum minimè inuenit*. 10.

Mm 2 Huic

Huic addimus, quod in Vita B Anſelmi legitur, ipſum integro anno inſtitiſſe *Sacrificijs* quotidianis, pro amico defuncto; qui tandé apparens ſe Sancti precibus adiutum eſſe teſtatus eſt.

Tertium ex B. Gregorij, li. 4. Dialogor. c. 54. licet adiungere. Iuſſit ille 30. diebus continuis *Sacrificium altaris* offerri pro Iuſto Monacho; & hic poſtea apparens cuidam eiuſdem profeſsionis homini, illud ſibi profuiſſe ad libertatem à pœnis, eſt teſtatus.

Quartum præbet S. Bernardus, qui & ipſe pro quodam ex ſuis, quem cognouerat in alia vita expiari, *Sacrificium altaris* obtulit, & vt alij offerrent præcepit eundemq́ue poſt aliquot dies à pœnis purgatorijs intellexit eſſe abſolutum. Ita in Vita eius li. 1. cap. 10. Vvilhelmus Abbas.

Quintum ſuppeditat Malachias, Hyberniç Epiſcopus; qui cùm in ſomno percepiſſet per dies quadraginta ſororem defunctam nihil guſtaſſe; intellexit, cuius eſcę inedia laboraret: & diligenter diſcuſſo numero, cognouit illo triginta dierum ſpacio ſe pro ſorore non obtuliſſe *hoſtiam altaris* incruentam. Repetit igitur *Sacrificia*; & poſt viſa eſt eidem ſoror in pulla veſte ſolum peruenire ad limen Eccleſiæ; nec vlterius poſſe. Intelligit ergo vir Sanctus, necdum pro defuncta ſatisfactum. Rurſus igitur prioribus pietatis exercitijs inſiſtit, & poſt illa rurſus apparet ſoror; ſed iam in candida veſte, & in Eccleſiam introire. Quia tamen altare prohibebatur accedere; necdum ſibi iudicabat *à Sacrificio* ceſſandum. Quid ergo? Reuertitur ad eadem officia iam quartò; & ab omni cognouit pœna ſororem tandem liberatam; poſtquam eandem cœtui Sanctorum vidit aſſociatam: Bernardus hęc in Vita Malachię. Pluribus opus non eſt. *Niſi Catholica Eccleſia*, inquit Iſidorus li. 1. de Officijs, c. 18. *crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum Spiritibus vel Eleemoſynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret.*

11. Ex dictis manifeſtum eſt, *non fruſtra hoc Sacrificium pro defunctis peragi.* Verùm hoc non de illo tantùm dictum volumus; quod à Sacerdotibus, integræ & probatæ vitæ perficitur; verùm etiam illis, quorum mores minus probantur. Non officit hic Miniſtrorum indignitas; propterea, quod principale agens in *Sacrificio hoc* Deus ſit; aut Eccleſia; ipſumq́; *Sacrificium ex opere operato*, vt in ſcholis loquimur, ſuum habeat valorem.

12. Sed tamen vt hoc certum: ita certum dignitatem Miniſtri hic plurimum valere: & efficere, vt quod ex ſe, & *opere operato* meritoriũ eſt, & ſatisfactorium; etiam ratione perſonæ offerentis, & miniſtrãtis fiat meritorium & ſatisfactiorium.

CAP.

CAP. *LXXVII.*

Qua ratione Eleemoſynæ liberant à moleſtijs, quas purgandi Spiritus quandoque afferunt.

QVam rationem tenuimus, vt probaremus piè defunctorum Spiritus iuuari Oratione, & ſalutari ſacrificio; eandem in *Eleemoſynæ*, pro hac re, virtute demonſtrāda ſequimur. 1.

Pro ipſa eſt primùm Catholicorum conſenſus. Videmus plerumque, ſi quando pinguioris fortunæ homines ex hac vita diſcedunt, mox largas à defunctorum amicis, pro defunctorum ſalute, fieri *Eleemoſynas*, eaſdemque repeti primo, tertio, ſeptimo, trigeſimo, atq; anniuerſario depoſitionis die. Sed & ipſi defuncti, antequam ex hac vita diſcedant, illud (Lucæ 16.) *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis* &c. ad ſe putat pertinere; & ob id pauperum haud poſtremam in extremis habent curam. 2.

Eſt ſecundò pro eadem re ſtudium Maiorum; qui nos præceſſerunt, eandemq; nobiſcum Chriſtianam legem ſunt profeſsi. Rem, quamuis certa eſt, paucis tamen exemplis illuſtraſſe non oberit. Primùm ſit Pammachij, cui teſtimonium dat S. Hieronymus, ad eundem; quod vxoris ſuę ſanctam fauillam, oſſaque veneranda, *Eleemoſynarum balſamis rigârit*; ſciens ſcriptum: *Sicut aqua exſtinguit ignem, ita Eleemoſyna peccatum*, Eccleſ. 3. 3.

Alterum eſt Hugonis, Gratianopolitani Epiſcopi; qui diem obitûs matris atque patris *Eleemoſynis*, quo ad vixit, celebrem duxit. In Vita eius Guigo V. Prior primæ Carthuſiæ.

Tertum eſt coniugis Otthonis II. quæ Romæ agens; in Apoſtolorum templo mariti animam, & orationibus, & *Eleemoſynis?* quas faciebat, Deo cupiebat eſſe commendatam. Ita in Vita S. Adalberti Martyris & Epiſcopi Pragenſis, apud Surium Tomo 2.

Quartum eſt Henrici Imperatoris; qui cùm in vita moleſtior fuiſſet Herberto, Archiepiſcopo Colonienſi, ipſum defunctum voluit proſequi largis *Eleemoſynis*, alijsque Chriſtianæ pietatis exercitijs. Hoc Rupertus Tuitienſis in Vita eius apud Surium, Tomo 4.

Quintum eſt Bambergenſis populi; qui pro Præſule ſuo Ebone orationes ad Deum fudit, & in pauperes inſignes *Eleemoſynas* profudit; quemadmodum legere eſt in Actis eius Ebonis, apud Surium, Tom. 4.

4. Eſt tertio pro *Eleemoſyna*, eorum exemplum, qui in veteri lege claruerunt. Iubetur Tobias, à patre, *panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtituere*, cap. 4 Quam quæſo ob cauſam? An fortè in defunctorum gratiam, vt habeant, quo ſe reficiant? cui hoc, vel per ſomniū, in mentem venit? Voluit pater filium inſtruere conuiuium, atque pauperes vocare; vt illi poſt acceptam *Eleemoſynæ* gratiam, defunctorum animas Deo commendarent, & pro ipſorum ſalute orarent.

5. Sunt quoque Sanctiſsimorum Eccleſiæ Præſulum, pro hac re tabulæ, & codices. *Oportet*, inquit Clemens Apoſtolorum diſcipulus, Epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domini, *pro mortuis Eleemoſynas dare*. Et B. Chryſoſtomus, Hom. 20. *Si voluerimus*, inquit, *mortuo benefacere, Eleemoſynas demus*. Et Hom. 41. in priorem ad Corinth. *Iuuetur*, inquit, *mortuus non lachrymis, ſed precibus & Eleemoſynis*. Et Hom. 3. in Epiſt. ad Philip. *Pauperibus*, inquit, *pro ijs indeſinenter Eleemoſynas demus*. Et Hom. 21. in Acta. *Non fruſtra Eleemoſynæ fiunt pro defunctis*. Et B. Ambroſius, li. 2. de Exceſſu fratris Satyri, hortatur parentes, vt portionem hęreditatis, quæ ad filios mortuos pertinebat, Spiritibus ipſorum, per *Eleemoſynas* pauperum tranſmittant.

6. Eleemoſynæ quoque præſtantia; & quam in Scripturis habet, cōmendatio, facilè oſtendit, quod probamus; ſed duo maximè. Alterum, quod Dominus doceat *nos recipi in æterna tabernacula per eos, quibus Eleemoſynas conferimus*: Lucæ 6. Alterum, quòd illa ita *peccatum dicatur extinguere, quemadmodum ignem aqua*, Eccleſ. 3. Vtroque enim indigent hi Spiritus; vt, ſcilicet, & in æterna tabernacula recipiantur: & à peccato, id eſt, pœnis peccatorum, abſoluantur. Quocirca optimè Theophilactus, in 12. Lucæ, *Diſtributiones*, inquit, *& oblationes, quæ pro defunctis fiunt; non parum cōducunt etiam ijs, qui in grauioribus delictis mortui ſunt*.

7. Exempla eorum, qui *Eleemoſynis* adiuti ſunt, nulla proferimus: quia res clara eſt. An fruſtra *panem & vinum* ſuper ſepulturam iuſti poſuit Tobias? Fruſtra Pammachius oſſa vxoris *Eleemoſynarum balſamis* rigauit? Fruſtra ad *Eleemoſynas* pro defunctorum ſalute, faciendas hortati Clemens, Ambroſius, Chryſoſtomus? Fruſtra *eaſdem* fecerunt Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus? Henricus Imperator? Coniux Othonis II? Ciuitas Bambergenſis? Optimè dixiſſe credendum eſt Iſidorum, l. 1. de Officijs capite 18. quando ſic loquitur. *Niſi Catholica Eccleſia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum Spiritibus vel Eleemoſynam faceret, vel Deo ſacrificium offerret*.

8. Porrò, quemadmodum non vna ratio Orationem omnium, quæ pro

pro defunctis fiunt:ita neque vna *Eleemoſyna*. Alia illius eſt conditio, quæ priuato nomine ſuſcipitur,citra vllam notitiam &voluntatem eius,pro quo offertur:alia illius, quæ ex commiſsione fit defuncti; qui in viuis cõſtitutus,ſalutis ſuæ cauſa,pecuniam aliquam aſsignat, quę pœnam purgatoriam,per miniſtros,redimat. *Eleemoſyna* primo modo ſuſcepta,niſi ab eo fiat,qui in gratia eſt,parùm pro defuncto proficit. Deo enim,quod ex gratia & charitate ortum non eſt,*abſolutè* gratum non eſt:tametſi ex liberalitate mera; opera *moraliter* tantùm bona mirificè interdum remuneret. At quæ ſecundo modo fit, nihil de valore perdit,quamuis etiam in grauiſsimis peccatis ſit,qui ex voluntate defuncti *Eleemoſynas* largitur, *Eleemoſyna* enim hæc nõ tam eſt illorum,qui proximè erogant;quàm dominorum, qui donant.

CAP. LXXVIII.

Ieiunium ètiam prodeſſe purgandis Spiritibus: & ab eorum moleſtia liberare viuentes.

QVas hactenus proſecuti ſumus rationes; eas peruulgata D. Auguſtini ſententia,ad defunctorum Spiritus iuuandos & ab eorum moleſtia ſe expediẽdi valere,iam probatum eſt. Solet his addi *Ieiunium* atque alienorum bonorum Reſtitutio,quę apud defunctorum ſunt hæredes,quàm bene ſequentibus exponendum eſt:& hoc Capit. de Ieiunio. 1.

De Ieiunio hoc certum,*magnas eius in Sacris Litteris eſſe commendationes*. Neque enim conſulitur ſolùm;ſed etiam præcipitur: & ad mala quæcunque depellenda:bona huius atque futuræ vitæ promerenda valere,tam ſunt multa,quæ probant;vt oleum atq; operam perdere ſit,in his percenſendis occupari. 2.

Atque vt hoc certum,ita dubium non eſt,*per ſe ob corporis afflictionem & refrenandum carnis ſenſum ſuſcipi*. Quocirca licet Paulus, Antonius,Hilarion,cæterique eremi cultores, qui carni bellum indixerãt; non negligerent vigilias,aſperum veſtitum,extremum corporis laborem: *Ieiunium* tamen,tanquam validiſsimum, aduerſus carnis inſultum,præſidium,in prima ſemper acie collocabant; nihilque perinde atque *Ieiunium*, ad Monachi profeſsionem pertinere, prædicabant,viuoq́ue exemplo confirmabant: Imò verò,qui aſsiduo *Ieiunio* ſe non macerarent, eos Monachi appellatione vix dignos cenſebant. 3.

Nihil-

4. Nihilominus, quemadmodum ad alia plurima vires habet magnas; ita *ad purgandorum Spiritum pœnas redimendas valere* qui negat; ignorat, quæ Maiorum de *Ieiunio* ſententia fuerit, atque opinio. Certè defunctos ipſo iuuari Angeli teſtimonium corfirmat, apud Bedam, lib. 5. Hiſt. c. 13. Multos, inquit, preces viuentium, & eleemoſynæ, & Ieiunia, & maxima celebratio, vt ante diem iudicij liberentur, iuuant.

5. Confirmat Sicæorum Archimandrita Theodorus; qui non oratione contentus, vnius hebdomadis *Ieiunium* pro defuncta matre ſuſcepit; teſte Gregorio presbytero, in eius Vita, apud Surium, Tomo 2. Confirmat Hincmarus, in Vita Sancti Remigij, Archiepiſcopi Rhemenſis; qui defunctos ex purgatorijs pœnis docuit liberari fidelium precibus, eleemoſynis, *Ieiunijs*, fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus. Omitto alios, quorum poſterius mentionem faciemus.

6. Hoc forſitan priſca Iudæorum conſuetudo confirmat; quos non ſolùm pro defunctis oraſſe, eleemoſynas erogaſſe, ſacrificia obtuliſſe; verùm longa quoque *Ieiunia* celebraſſe, certum eſt. Primo Regum, vltimò, habitatores Iabes Galaad, propter mortem Sauli & filiorum eius, ſeptem diebus *Ieiunio* ſe leguntur maceraſſe. Secundo Reg. cap. 3. Dauid *idem* præſtitit, cum manipularibus ſuis; poſtquam de morte Abner factus eſt certior.

7. Eodem pertinere videtur Veterum *fletus* & *planctus* ad plures ſæpe dies productus. Nullum ſiquidem dubium, quin eiuſmodi *luctui* alias quoque, quæ rei præſenti conuenirent, afflictiones adiunxerint. Imò verò Chriſtus Dominus ipſum formale *Ieiunium*, *Luctus* nomine, & appellatione deſignat. Nam cùm diſcipuli Ioannis, cum eo expoſtularent atq; dicerent: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, Diſcipuli autem tui non ieiunant?* reſpondit illis Ieſus, Matthæi 9. *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere* (hoc eſt ieiunare) *quamdiu cum illis eſt ſponſus?*

8. Nec exempla hîc deſiderantur eorum, qui *Ieiunijs* viuorum à purgatorijs pœnis ſunt liberati. Petierat quadraginta dierum *Ieiunium* presbyter quidam, Arnolphus à S. Remberto Bremenſi Archiepiſcopo, cui poſt mortem apparuerat, neceſsitates ſuas ipſi exponens: & abſoluto quadraginta dierum *ieiunio*, grati animi ſignificatione, eidem Remberto ſe omni pœna ſolutū eſſe ſignificauit. Surius T. o. 1. in Vita Sancti Remberti.

Sic *Ieiunio*, quod Sancta Lutgardis virgo, pro defuncto Simone, nobili

nobili quodam viro, ſuſcepit; intellexit eundem quieti Sanctorum donatum, & ab omni moleſtia purgatorij ignis liberatum. Ita Thomas Cantipratenſis in Vita eius apud Surium, Tom.3. Sic Lioba, & ipſa ſanctiſsima. Virgo, intellexit profuiſſe *Ieiunium* triduanum, cum precibus coniunctum; quod pro virgine quodam indixerat, poſtquam à pœnis cognouit eandem eſſe abſolutam. Hoc in Vita eius Rudolphus, Rabani diſcipulus, ca.4.

Cæterùm, quod de Oratione priuata diximus; videlicet, non niſi ex mera liberalitate illam, apud Deum ſatisfacere & valere; ſi ab eo, pro defunctis ſuſcipiatur, qui extra Dei gratiam eſt: idem de *Ieiunio* cenſendum eſt; ex Dei, ſcilicet, liberalitate ſolùm illud defunctis prodeſſe. 9.

10. Atque hoc non de illo ſolùm intelligimus, quod ſponte à viuentibus ſuſcipitur; verùm etiam illo, quod ex defunctorum ſuſcipitur commiſsione. Neq; enim huius *Ieiunij*, quod ex commiſsione ſuſcipitur; eadem ratio, quæ Eleemoſynę; quàm ſeruus nequam pro Domino facit. Dum ſeruus de pecunia Domini ſui facit Eleemoſynam; opus illud propriè domini eſt, non ſerui: quocirca malitia miniſtri non vitiat opus. At dum ſubditus *ieiunat*; opus ſubditi eſt, non domini.

CAP. LXXIX.

An, & quomodo, alieni Reſtitutio, piè defunctorum Spiritus iuuet: & viuentes ab ipſorum infeſtatione liberet.

INter ſuffragia, quibus defunctorum Spiritus illi, qui purgantur, iuuantur, etiam *alieni Reſtitutionem* poſuit S. Brigitta Virgo. Sed ſi rem exactius diſcutiamus, inueniemus quidē illam omnino ad ſalutem eſſe neceſſariam; veruntamen inter *Suffragiorum genera*, quibus defuncti iuuantur, propriè reponendam non eſſe. 1.

Prius illud primò B. Auguſtini ſententia manifeſtum eſt; aſſerentis *Peccatum, niſi reſtituatur ablatum, remitti non poſſe.* Tum etiam inde colligitur, quod aliena reſtituere, non eſt pro peccato, quod iniqua ablatione in Deum admiſſum eſt, Deo ſatisfacere, ſed à peccandi libidine deſiſtere. Quouſque enim, quod poſſum, & iure reſtituere debeo, non reſtituo; in Dei & proximi offenſa ſemper perſiſto. Quocirca quemadmodum ad vitam æternam omnino neceſſum 2.

Digitized by Google

eſt, vt à peccato deſiſtamus; ita, vt aliena dominis ſuis reſtituamus.

3. Inter Suffragia verò defunctorum illam numerari *non debere*, vel ex iam dictis manifeſtum eſt. Quis idcirco animas defunctorum à pœnis, quas iuſtiſsimas ſuſtinent, eripi dixerit; quod à conſuetudine peccandi ceſſent viuentes?

4 Alia ſuffragiorum genera hoc nomine mortuos iuuant, quia pietatis quędam ſunt opera, quę ex commiſerationis affectu, liberè à viuentibus in defunctorum gratiam ſuſcipiuntur. At *Reſtitutio* non liberè ſuſcipitur, prorſus eſt neceſſaria. Et ſuſcipitur, non commiſerationis affectu erga pauperes; ſed ne ipſi viuentes, ſi ſibi hac in parte deſint, diſpendium ſalutis irreparabile patiantur.

5. Et quid eſt, ob quod defunctis *illam* prodeſſe, dici debeat? Vel enim ipſi, cùm viuerent, *aliena reſtituere* non potuerunt: & omni culpa atque reprehenſione vacant. Vel potuerunt; ſed *reſtituere* noluerunt; & ſalutis iacturam fecerunt. Vel hęredibus ſuis, quantum in ipſis fuit, vt poſt mortem reſtituerent, mandauerunt: atque hîc ſi *Reſtitutio* ſecuta non eſt, omnis hæredum, non defunctorum culpa eſt. Quod ſi negligentius eandem hęredibus mandauerunt; & negligentia mortifera non fuit; ipſa non *Reſtitutione alieni*, quę per hęredes fit; ſed purgatorio igne expiabitur.

6. Si *alieni Reſtitutio* illos, vt dicitur, à purgatorijs pœnis liberaret; nonne omnino tamdiu purgatorijs pœnis detineri dicendum eſt, quamdiu *Reſtitutio alieni* facta non fuerit? Quid verò, ſi nunquam fiat? ſemper propter aliorum negligentiā infelices erunt, piè in Chriſto defunctorum Spiritus? Quis credat?

7. Rurſus, ſi *alieni Reſtitutio* iuuat; nonne ſtatim, vt illa facta fuerit, à pœnis eripientur defuncti? Quid verò, ſi negligentia maiorem pœnam mereatur? Etenim pro ratione peccatorum atque negligentiæ; purgatorias pœnas, à defunctis exigi dubium nullum eſt.

8. Eſt hæc purgandorum Spirituum conditio, vt quas ſuſtinent; pro ſuis delictis & erratis, pœnas ſuſtineant. Iam vero, quod *aliena* poſt ipſorum mortem *non reſtituantur*; non ipſorum; ſed hæredum; & quorum eſt extremam voluntatem exequi, delictum eſt, & peccatum.

9. Sed ad viuos dicuntur quidam rediſſe, & *alieni Reſtitutionem*, quæ ipſorum culpa contracta fuit, perſuaſiſſe. Sit hoc ita. Veruntamē perſuaſerunt non tanquam ſibi profuturam; ſed tanquam viuentium bonum.

10. Neque hoc mirum videri debet. Cùm enim boni ſint Spiritus, & viuen-

viuentium ſalutis amantes,qui redeunt;vt viuentibus bene ſit,&vt malum non patiantur,omnino petere credendum eſt. Quocirca & inter alia *alieni* poſſunt *Reſtitutionem* vrgere;pręſertim apud eos,quibus viuentibus peccati occaſionem aliquam ſe dediſſe iudicauerint.

Interim tamen,nec hæc eorum admonitio,quemadmodum nec ipſa *alieni Reſtitutio*,pœnarum aliquod ſubleuamen eſt. Nihil eorum,quæ defunctorum Spiritus agunt,ipſos releuat. Bene pati poſſunt:bene agere,quo vel ſibi,vel alijs quippiam mereantur, nó poſſunt : Quemadmodum nec pro ſe, nec pro alijs facere poſſunt ſatis. 11.

Vnum in *alieni Reſtitutione* fortaſsis eſt,quod ipſos iuuat : hoc ſcilicet,ſi ipſa pietatis ſtudio ab hęredibus fiat,atque cum deſiderio, vt ijs,quorum nomine fit,bene fiat;& à miſeria,in qua ſunt,eripiantur. Hic pietatis affectus,quædam quaſi viuorum pro defunctis Oratio eſt;cuius magnas ad Spiritus ſubleuandos eſſe vires,ſuperius demonſtratum eſt,Capite 75. 12.

CAP. LXXX.

An,& quomodo iuuentur purgandi Spiritus Peregrinationibus,quas viuentes ipſorum cauſa perſoluunt.

SEquitur,vt quid de *Peregrinationibus*, quas defunctorum Spiritus aliquando poſtulant:& quibus ipſi dum viuerent,ſe obligârunt,ſentiendũ ſit,definiamus;atque,Vtrum ita illæ *neceſſario à viuis*, in defunctorum gratiam ſuſcipiendæ ſint, vt niſi perſoluantur,optata requie perfrui nequeant,oſtendamus. 1.

Primùm hic certum eſt, *Peregrionationum vſum antiquiſsimum eſſe*. Nam & Apoſtolorum temporibus (ne vlterius progrediamur) viguerũt:& Apoſtolorum exemplo confirmantur. Sanctiſsimus Martyr Ignatius,ad B.Ioannem Euangeliſtam ſcribens, ipſum plurimũ obteſtatur, vt ſibi liceat *petere Hieroſolymam, viſendorum Sanctorum cauſa*. Clemens Romanus,tertius poſt B.Petrum Pontifex,& eiuſdem egregius diſcipulus,l.1.Recognit)teſtatur ſe,vna cum Sanctiſſimo Petro,*Sanctorum ſepulchra viſitaſſe*. Et iter D.Pauli,*quod Hieroſolymam ſuſcepit*,vt ibidem Penticoſten celebraret,(Act.20.) egregiè, ſi D.Hieronymo fides habenda(Epiſt.7.ad Marcellam)*Peregrinationum* vſum commendat. 2.

Nn 2 Deinde

3. Deinde certum eſt, *& celeberrimum earundem vſum exſtitiſſe.* Probant hoc iam dicta; ſed inprimis Chriſti exemplum, qui vnà cum parentibus, ſecundum conſuetudinem, *Hieroſolymam dicitur aſcendiſſe*, cùm annorum eſſet duodecim: & eorum deinde, qui omnibus temporibus floruerunt. Neq; enim *vlla* ætas fuit, quæ *Peregrinantium* exempla non ſuppeditat. Nos in ſingulis, vnum proferimus, aut alterum.

Prima ſuppeditat, quos iam recenſuimus, Petrum, Paulum, Clementem, atq; Ignatium.

Secunda Origenem; qui teſte Euſebio, li. *6.c. 11. Romam*, & D. Alexandrum, qui *Hieroſolymam eſt peregrinatus*, vt habet Hieronymus de Viris illuſtribus in Alexandro.

Tertia Conſtantinũ, atq; eiuſdem matrem Helenam, quorum *hæc loca ſancta inuiſit*, ille Chriſtianos, vt *eadem inuiſerent*, templo egregio Hieroſolymis in monte Caluariæ exſtructo, inuitauit, teſte Nicephoro li. 8. ca. 50. & li 9. ca. 32.

Quarta Eudoxiam, atq; Hieronymum. Et vterq; quidem Paleſtinam, *religionis cauſa, perluſtrauit*: Illa verò hoc non contenta, decies millies ſextarios olei ad vſum lucernarum Templo ſacro contulit, quemadmodum Zonaras teſtatur, Tom. 3. de Theodoſio.

Quinta vniuerſum propemodum Chriſtianum orbem, quem pietas Iuſtiniani Imperatoris exſtructis plurimis Templis, & eiſdem Sanctorum Reliquijs exornatis attraxit.

Sexta ætas præter alios offert Chriſtianiſsimos Galliæ Reges, Clodouæum atq; Childericum. Hic vnà cum alijs multis *inuiſit ſepulchrum S. Germani*, poſtquam paraliticum ibidem intellexit ſanitati reſtitutũ; vt ſcribit Gregorius Turonenſis li. 5. c. 32 Ille pugnaturus contra Gothos, victoriam ſperauit certiorem, ſi *Peregrinatione*, ſuo nomine, ad *Reliquias D.* Martini ſuſcepta eius, patrocinium poſtulaſſet. Et hoc Gregorius Turonenſis, li. 2. ca. 37.

4. Certum eſt tertiò, *non fuiſſe infructuoſas.* Nonne Theodoſius Imperator *victoriam contra Eugenium obtinuit*, poſtquam prius *Sanctorum ſepulchris aduolutus iacuiſſet*? Habet hoc Euſebius, li. 11 ca. 33. Nonne Sidonius Apollinarius, Aruernenſis Epiſcopus, ad B Hieronymum ſcribens (li. 1. Epiſt 5.) ingenuè fatetur ſe ad *limina Apoſtolorum ſpe ſanitatis obtinendæ profectum & voti compotem eſſe factum*? Infinita ſunt pro hoc argumento exempla apud Auguſtinũ, li. 22. de Ciuit. Dei, ca. 8. De ijs, qui Reliquias *SS.* Geruaſij & Prothaſij viſitarunt, ſic ſcribit *B. Ambroſ.* (*Epiſt 85.*) *Cognouiſtis*, inquit, imò vidiſtis ipſi multos à *Dæmonijs* vexatos purgatos: plurimos etiam, vbi veſtes Sanctorum manibus

bus contigerunt, quibus laborabant, debilitatibus abſolutos. Domeſtica & quotidiana exempla omittimus.

Sic dubium non eſt *cum egregijs virtutibus eſſe coniunctas.* Hanc ob 5.
cauſam Maiores noſtri illas ſuſceperunt: ad easq; ſuſcipiendas alios inuitarunt; & eos, qui religioſè ſuſcepiſſent, commendarunt. Quid quod minus pietatis atq; religionis ſe habere exiſtimarent, niſi in ijs locis Chriſtum adoraſſent, in quibus primum (vt B. Hieronymus loquitur (Euangelium de patibulo coruſcauit?

Quinto dubium non eſt, *culpa carere eos, quinimò rem Deo gratam* 6.
præſtare. qui voto ad has Peregrinationes ſuſcipiendas Deo ſe obſtringunt. An quod per ſe bonũ eſt præſtare, vt id faciamus, *voto* nos obſtringere nequimus? Quodcunq; tandem bonum eſt, ſi ad id præſtandum *voto* ſe mortales obſtringunt; & melius redditur, & Deo fit gratius atq; acceptabilius.

Facit verò votum, vt quod per ſe liberum eſt, neceſſariò præſtan- 7.
dum ſit, poſtquam Deo fuerit promiſſum. quocirca & ijs, *qui ex voto Peregrinationes ſuſcipiunt, ſumma incumbit neceſſitas, vt illas perſoluant.* Hinc optimè Beatus Hieronymus Ruſticum hortatur (Epiſt. 46.) vt *Peregrinationem*, quam ad Sancta Paleſtinæ loca vouerat, perſolueret. *Redde*, inquit, *quod præſente Domino vouiſti; ne ante rapiaris, quàm tuã ſponſionem impleas.* Atq; hoc 6. loco conſtitutum ſit.

Hinc iam clarum eſt, *crimine eos non vacare, qui quas Deo promiſerũt,* 8.
non perſoluunt Peregrinationes. Diſplicet Deo *infidelis & ſtulta promiſſio*; Eccleſ 5. & damnationem quædam dicuntur habere, quæ *primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, non præſtiterunt, quę Deo vota fecerunt, 1. Timoth. 5. Hæc omnia certa.

Sed quid, Si ex hac vita quidam diſceſsiſſent, nondum perſolutis, 9.
quas vouiſſent, *Peregrinationibus?* detrimentumne aliquod ſalutis, ob hoc, paterentur? Et ſi ipſorum ſalus deſperata nondum eſt; poſſuntne viuentes ipſorum nomine *Peregrinationes*, cum defunctorũ fructu, ſuſcipere? atq; ipſorum votis ſatisfacere? Denique, Itane neceſſaria eſt hæc votorum perſolutio; vt quamdiu reddita non fuerint, à cælorum regno excluſi ſint miſeri? Hæc præcipua præſentis argumenti Capita.

Primum Caput *diſtinguendum eſt.* Vel enim viuentium *quadam* 10.
culpa, accidit, cur minus Peregrinatio promiſſa perſoluta ſit; vel nulla ipſorum hîc eſt culpa. Si nulla viuentium interuenit culpa: nec iacturam ſalutis faciunt, cum ex hac vita diſcedunt: nec diſpendium aliquod huius nomine patiuntur. Si culpa interuenit: pro qualitate

quod hîc plures rationes, quibus iuuentur, aliquando concurrant.

CAP. LXXXI.

An, & qua ratione purgandi Spiritus iuuentur Cereis & accenſis Luminibus.

PVrgandos Spiritus accenſis Cereis & Luminibus iuuari ex ipſorum circa mortuos vſu, non immeritò quis ſuſpicabitur. *Neq; enim hîc paruus eſt, neq; ſimplex.* Nam mox, vt animam exſpirârunt, cadaueri nunc plures, nunc pauciores, pro viuorũ facultatibus, apponuntur. Ornant deinde pompam funebrem. Superponuntur ipſorum ſepulchris. Adhibentur Sacrificiis, & orationibus, quæ pro ipſis, in Eccleſia, die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniuerſario peraguntur. Sæpè etiam extra hæc in defunctorum memoriam, nunc pro viuentium pietate; nunc ex defunctorum vltima voluntate, in templis, ad Dei honorem accenduntur. 1.

Nec noſtris tantùm temporibus hęc obſeruantur. Obſeruata quoque fuerunt priſcis, & temporibus Maiorum: & quidem apud homines pietate, doctrina, ſapientia atq; nobilitate illuſtres. In funere B. Virginis *Cereos ardenteſq; Faces*, prælatos fuiſſe, teſtatur Nicephorus li. 2. Cap. 22. 2.

Refert Theodoretus, li 5. ca. 35. cucurriſſe per pelagus, quaſi per terram, populum Chriſtianum: *Lampadibus & Cereis* omnia impleuiſſe; vbiq; lætitiæ argumenta reliquiſſe; quando Beati Chryſoſtomi corpus translatum eſt.

Gregorius Nazianzenus, Oratione de laudibus Cæſarij, ad piam pompam, qua corpus fratris elatũ fuit, putat pertinere, quòd mater *Faces* geſtârit *incenſas*.

Centurio, quẽ Diuus petrus cõuertit, moriens, cõgregatis omnibus Chriſtianis, cũ presbytero Eunomio, cũ *Cereis accenſis* ſepelitur; vt narrat in eius Vita Metaphraſtes, apud Laurentiũ Suriũ, die 13. Sept.

Meminit *Lampadum* atq; *Cereorum* Beatus Hieronymus: dum illuſtrem Paulæ his verbis deſcribit pompam, Tom. 1. Epiſt. 22. cap. 13. ad Euſtochiũ: Paula, inquit, translata Epiſcoporũ manibus & ceruicem feretro ſubijcientibus, cùm alij Pontifices Lampades Cereoſq; præferrent; alij choros pſallentium ducerent &c.

De Conſtantino Imperatore hæc ſcribit Euſebius, in eius Vita li. 4. Cadauer, inquit, in capſula collocatum, & purpureo tegmine coopertũ, Conſtantinopolim delatum eſt, & in baſilicæ ſub altiſſimis gra-

Digitized by Google

gradibus depoſitum, Luminibus ſuper candelabris aureis circum circa accenſis.

In ſepultura Danielis Stylitæ (quem Zeno Imperator ſui Imperij *Oraculum* dicere ſolebat) etſi in ipſa baſi, & pede ſuæ columnæ ſepeliretur, nec vſquam funus efferretur; tamen præſente Euphemio Epiſcopo, ſtabant ex vtraque parte tumuli, clerici, qui *Faces* ferrent, & *Lampades* tenerent manibus; & ea canerent, quæ cani ſolent in deceſſu. Hæc eius vita Simeon Metaphraſtes.

Sic cum *Cereis* terrę mādatum eſſe corpus Crotildis, Reginæ Francorum, teſtatur Gregorius Turonenſis, li. 1. c. 4. Hiſtoriæ: quemadmodum cum *ijſdem* corpus Regis Clodouęi, eodem Gregorio teſte, lib. 8.

3. Et ſi in hac re D. Auguſtini ſententia locum habet, qua ad Traditionem Apoſtolicam illa refert, *quæ in Eccleſia obſeruantur: & à Concilijs definita & conſtituta non ſunt; nec ſacrarum Scripturarum authoritate confirmata*; profectò hunc *Cereorum* vſum ab Apoſtolis eſſe profectum, aut probatum; vel poſſumus credere, vel ſuſpicari debemus. Quem enim alium horum primum authorem conſtituemus?

4. Sed *proſuntne* purgandorum Spiritibus? Exiſtimo perſæpe *viuorū eſſe ſolatia*; & quemadmodum pleraq; alia, pompam funebrem ornare. Eſſe etiam egregia *monumenta*, quæ viuentes de magnis rebus admoneant. Eſſe *pietatis argumenta*, quibus viui amorem ſuum erga defunctos teſtantur. Denique *purgandorum Spirituum aliquando grata ſubſidia & ſubleuamina. Hoc poſtremum hic.*

5. Quando verò? Ex *fine* hoc eorum, qui *Lumina* conſtituunt, & *Cereos* accendunt, definiendum eſt; non ex ipſis Cereis, aut Luminibus. *Cerei* per ſe ad propulſandas tenebras faciunt. quoſcunq; alios fines habent; pro hominum, nunc viuorum, nunc defunctorum voluntate ſortiuntur; qui quemadmodum rebus adiaphoris omnibus, ita *Cereis* atque *Luminibus* fines dare poſſunt.

6. Atque vt ad varios fines, *Cereos* ſeruire velle poſſunt, variaſque ob cauſas accendere: ita poſſunt velle prodeſſe purgandis Spiritibus ijs, qui hominum ſuffragijs iuuari poſſunt. Quidni in pietatis ſtudio proderunt piè in Chriſto defunctis; ſi cum viuentium ſępe graui detrimento ſeruiunt in rebus profanis?

7. Veruntamen non *quæcunq;* hîc viuorum intentio ſufficere videtur. Quid ſi ſimpliciter, vt defunctis proſint, nulla alterius habita ratione accendatur? *Cultus diuini* hîc rationem habendam exiſtimamus; ſi prodeſſe illis debeant. Vt quemadmodum Eleemoſyna pro defunctis

Digitized by Google

deſunctis erogata, *tunc* defunctis prodeſt, cum in vſum cedit pauperum: ita *tunc* defunctis proſint accenſi *Cerei*, quando pro deſūctorum incolumitate ad Dei cultum obſeruandum, atq; amplificandum accenduntur.

Hinc eſt, vt optimè dixerit B. Athanaſius, Sermone in eos, qui obdormierunt (citatus à Damaſceno in ſermone, Quod qui in fide hinc migrarunt, ſacris operationibus, & viuorum beneficijs multùm iuuentur) tum plurimam retributionem habere, & defunctis prodeſſe *Oleum* & *Ceram*; quando holocauſti rationem induunt. Verba eius hæc ſunt: Si quis, inquit, diem obierit, licet in aerem deponatur inhumatus, ne omiſeris Oleum & Ceram, inuocato Chriſto Deo, ad ſepulchrum accendere. Accepta enim ſunt Deo, plurimamq; ſecum referunt retributionem. Oleum enim & Cera holocauſtum eſt: incruentæ autem hoſtiæ oblatio propitiatio eſt. quod verò in pauperes collocatur beneficium, omnis bonæ retributionis argumentum eſt. 8.

Atq; hoc fine *accenſos Cereos* purgandis Spiritibus prodeſſe Chriſtianus homo dubitare non poteſt. Si enim ſtipes in pauperes erogata, prodeſt hiſce Spiritibus, quando pro ipſorum incolumitate, à viuentibus erogatur; quidni iiſdem prodeſſent Cerei, ad Dei altiſsimi honorem atq; cultum accenſi? 9.

Orationem plrimùm his defunctis Spiritibus prodeſſe, aliâs docuimus. At vel oratio quædam ſunt à Chriſtianis accenſi in defunctorum gratiam *Cerei*; vel certè non ſunt ſine Oratione. Proderunt igitur ipſis. 10.

Omnino, quemadmodum Ieiunium, quod ad carnis afflictionē facit *per ſe*, non defunctis, ſed viuis prodeſt: prodeſt autem defunctis; ſi viui hoc ipſis prodeſſe per modū *Suffragij* velint: ita quæ à viuis accenduntur *Lumina* & *Cerei*, quamuis non *per ſe*: pro viuorum tamen voluntate atq; intentione, in defunctorum vtilitatem atq; emolumentum cedere poſſunt. 11.

Bonum à Chriſtianis nullum ſuſcipi poteſt, quod non, ſi velint, & peccatum nullum obſtet, in proximorum & defunctorum poſſint conferre emolumentum. At Bonum quoddam eſt, ad Dei gloriam, diuiniq; nominis cultum *Cereos* accendere. Poſſunt igitur id, & non fruſtra ad defunctorum conferre ſubſidium atque ſolatium. 12.

Ex dictis colligitur *duobus modis* purgandos Spiritus, ex *Luminibus* & *Cereis* accenſis, fructum capere. Primo; ſi ad hunc finem ipſi, dum in viuis adhuc agerent, ſumptus faciant, *Oleumq;*, *Ceram* atq; *Lumina* 13.

procurent: Deinde, ſi *hæc* ipſorum iam defunctorum nomine præſtent alij.

14. In hoc poſteriori neceſſe eſt, vt qui defunctorum cauſa hęc faciunt, in gratia ſint; nulliusq; mortalis criminis ſibi conſcij, ſi quidem Spiritibus ipſa velint proficere. In priori hoc neceſſarium non eſt. Eadem huius, quæ eleemoſynarum, quæ à diuerſis conferri poſſunt, ratio. De quo Capite 77.

CAP. LXXXII.

In Miſſæ Sacrificio, præ reliquis, plurimum præſidij ad iuuandos piè defunctorum Spiritus poſuiſſe Maiores.

1. MOdos, quibus purgandi Spiritus à pœnis; & viuentes ab ipſorum moleſtia liberantur, explicauimus. Vnum dictis adijciendum. Oſtendendum, ſcilicet, *præ reliquis principem locum obtinere Sacrificium Miſſæ.* quamuis enim hoc Catholici facilè intelligant; quia tamen quidam, tantùm abeſt, vt credãt, vt potius plurimum putent obeſſe; vel vt his os obſtruamus; pro Miſſa, pauca adijcienda ſunt.

2. *Vno* verò, *vno*, quod à *Maiorum exemplo* ſumitur, contenti erimus argumento. *Hi plurimis modis* Miſſæ præſtantiam atque dignitatem, *præ reliquis*, quibus piè defuncti iuuantur præſidijs, declarant.

3. Principio hoc demonſtrant, quod *ipſa Apoſtolorum ætate Sacrificium Altaris, pro defunctis, obtulerint. Oblationem pro defunctis annua die facimus*, inquit Tertullianus, Scriptor antiquiſsimus, de Corona Militis. Similia habet lib. de Monogamia, & in Exhortatione Caſtitatis; & in 2. li. ad Vxorem. Sed clarius hoc probant Liturgiæ Iacobi Apoſtoli, atq; Marci Euangeliſtæ; quæ & viuorum, & *mortuorum* neceſsitates Deo commendant.

4. Secundo, quod *Sacrificium etiam pro defunctis docuerint offerendum.* Licet hoc quidem ex recepta à Maioribus conſuetudine colligere; ſed tamen diſerta eſt hîc etiam S. Clementis oratio, lib. 6. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 19. *Pro fratribus*, inquit ille, *qui in Domino mortui ſunt, offerte in Eccleſijs veſtris.* Accedit his Sanctus Ambroſius; qui lib. 2, Epiſtol. 8. ad Fauſtinum, de obitu Sororis,

ris, docet ipſam non tam deplorandam, quàm proſequendam orationibus: nec mœſtificãdam Fauſtini lachrymis, ſed *oblationibus* animam eius Domino commendandam. Accedit Ioannes Eleemoſynarius, qui Synaxes *iubebat pro ijs celebrari*, qui in Domino piè obdormijſſent; aſſerens *defunctis plurimum prodeſſe*; quæ pro ipſis fierent commemorationes, atque *Sancta Miniſteria*; quemadmodũ de ipſo ſcribit Leontius, Neapoleos Epiſcopus, in Vita Ioannis.

Tertiò, quòd *crediderint & docuerint, Hoc ex Apoſtolica Traditione profectum eſſe.* Sufficerent hîc Liturgiæ Iacobi, atque Marci: ſed placet aſſcribere, quod habet Dionyſius, cap. 7. Eccleſ. Hierarch. *De prece*, inquit, *pro defunctis facienda, ex diuinis Ducibus, id eſt Apoſtolis, Traditio peruenit ad nos*, Chryſoſtomus in eandem ſententiam loquitur. *Non fruſtra*, inquit, *ab Apoſtolis* (Hom 3. ad Philip.) *ſancitum eſt; vt in celebratione venerandorum Myſteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc deceſſerunt.* Hęc totidem verbis, Hom. 96. ad Populum Antiochenum. Cum Chryſoſtomo B. Auguſtinus conſentire videtur. Sic enim habet, de Verbis Apoſtoli, 32 Ser. *Hoc à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro ijs, qui corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum Sacrificium ſuo loco commemorantur, oretur: ac pro illis quoq; id offerri commemoretur.* 5.

6. Quartò, quòd *hoc beneficium nullo modo putarint differendum; ſed mox pro ſalute defunctorum peragendum.* Etenim Miſſæ Sacrificium fiebat etiam pro defunctis, antequam ipſorum corpora tumulo mandarentur, præſentibus corporibus: & orantes ad intentius, orandum impellentibus. Docet hoc Dionyſius Areopagita, quemadmodum teſtatur, li. 1. capite 23. Durantus, de Ritibus Eccleſiæ. Sic Conſtantinum cum Liturgia ſepultum eſſe deteſtatur Euſebius, libro 4. de Vita Conſtantini, capite 71. D. Bernardus de Malachia, nondum ſepulto, (cap. 18. *Vitæ eius*) *Interim*, inquit, *parantur exequiæ, offertur pro eo Sacrificiũ, conſummãtur* ex more omnia, cum ſumma deuotione.

Quintò, quòd *Omnibus Temporibus, Omnibusq; Locis, conſtanter ab ipſis celebratum ſit.* Pro hoc clariſsimum eſt teſtimonium Damaſceni. 7.
Eius hæc oratio eſt (Oratione, quod qui in fide hinc migrarũt &c.) Diui autem Apoſtoli, inquit, diſcipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum vnum, cœpere prædicandi verbo, quod ſuis oculis viderant in tremẽdis, impollutis, vitalibusq; Sacramentis memoriã eorũ, qui fideliter obdormiuerũt, habendã edixerunt: quod adhuc firmiter, atq; adeò ſine contradictione obſeruat Apoſtolica Eccleſia & Dei, à finibus vſq; ad fines terræ; ab eoq; tẽpore vſq; in præſens, & in finem mundi vſque.

Oo 2 Ex

Ex eodem capite oſtendit conſuetudinem Sacrificandi pro defunctis eſſe *Apoſtolicam Traditionem*, Iſidorus his verbis (libro. 1. de Eccleſiaſt. Officijs cap. 18. *Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro ijs orare; quia per totum Orbem cuſtoditur; credimus quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit.*

Sed & hîc ſeruiunt nobis Concilia, quæ in omnibus propemodum Chriſtiani Orbis Prouincijs celebrata ſunt, & Sacrificij, pro defunctis, tanquam receptiſsimi & vſitatiſsimi preclaram faciunt mẽtionem. Pro *Africa* eſt Concilium III. Carthaginẽſe, cap. 29. & IIII. ca. 79. Pro *Hiſpania* Bracarenſe I. c. 34. & 39. Pro *Gallia* Cabilonenſe, vt habet Canon: *Viſum* eſt. de Conſecrat. diſt. 1. Pro *Germania*, VVormatienſe ca. 10. Pro *Italia* Concilium VI. ſub Symmacho. Pro *Græcia* ca. 69. Capitulorum ex Græcis Synodis, collectorum à Martino Bracarenſi Epiſcopo.

8. Sextò, quòd *ſingulis annis ipſo dormitionis anniuerſario, Miſſæ Sacrificium pro defunctis repetiuerint.* Meminit huius conſuetudinis Tertullianus, de corona Militis: Damaſcenus Sermone de fidelibus defunctis. De eodem ſic Gregorius Nazianzenus, Oratione 10. in laudem Cæſarij. *Atq; alia quidem perſoluimus*, inquit, *alia verò dabimus, Anniuerſarios honores & commemorationes offerentes.*

9. Septimò, quod *non annuis ſolùm dormitionis diebus; ſed & tertio, & nono, & quadrageſimo, hanc hoſtiam obtulerint*: quemadmodum iam citatus teſtatur Damaſcenus. Præterea *Trigeſimo* die, pro ſe, Sacrificium hoc offerri petijt Ephrem, in ſuo teſtamento. Pro *quadrageſimo* ſic loquitur B. Ambroſius, de Obitu Theodoſij: *Eius ergo Principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc Quadrageſimum celebramus, aſſiſtente ſacris altaribus, Honorio Principe: qui ſicut Ioſeph patri ſuo Iacob, quadraginta diebus, humationis officia detulit, ita & hic Theodoſio patri iuſta perſoluit.* B. Remigius teſtamento ſuo, quod varijs libris exaratum legimus (inquit Durantus li. 2. de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ ca. 43.) nepoti Agarimero vineam, & quædam alia legauit; vt à Patribus ſuis *omnibus diebus Feſtis & Dominicis*, pro commeratione ſua, ſacris altaribus offeratur *Oblatio.*

10. Octauò, quòd *non facilè hoc beneficium putauerint defunctis eſſe negandum.* Nam pœnitentibus, etſi quędam alia negarentur, *Sacrificium* tamen *Miſſæ*, defunctis, non negabatur. De his ita habet Concilium Arelatenſe II. Can. 12. Qui in pœnitẽtia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum communione vacuũ debere dimitti, ſed pro eo, quod honorauit pœnitentiam, Oblatio illius (id eſt pro illo) recipiatur. Concilium Carthag. IIII. ca. 79. ſic ſtatuit: *Pœnitentes, ſi caſu in itinere,*

vel mari, mortui fuerint; memoria eorum orationibus & oblationibus commẽdetur. Idem conſtitutum in Concilio Vaſenſi I.cap.2.& Vaſenſi II. cap.4.

Nonò, quòd *ſi quando graui in aliquos pœna voluerunt animaduerſum, huius ſacrificij beneficio defunctum priuarint.* Hoc B.Cyprianus li.1.Epiſt. 9.his verbis docet, Epiſcopi, inquit, anteceſſores noſtri ſalubriter cenſuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam, clericum nominaret. Et ſi quis hoc feciſſet; non offerretur pro ipſo, nec pro dormitione eius Sacrificium celebraretur. Neque enim adiungit, ad altare Dei meretur nominari, in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & miniſtros ſuos Leuitas auocare voluit. Sic Concilium Bracarenſe, Can.35.vetuit fieri *Sacrificium*, pro ijs, qui ſibi *crudeles manus intuliſſent; aut Catechumeni ex hac vita diſceſſiſſent.* 11.

Decimò, quòd *hoc ſingulariter, defunctis prodeſſe teſtati ſint*, B.Chryſoſtomus, Homilia 21.in Acta Apoſt. Non fruſtra, inquit, ab Apoſtolis ſancitum; vt & in celebratione venerãdorum Myſteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc deceſſerunt. Nouerũt illis multum hinc emolumenti fieri, Multum vtilitatis. Eadem habet totidem verbis Hom.69.ad Populum Antiochenum. In eandem ſententiam loquitur B. Auguſtinus, in Enchiridio, ca.110. Neque, inquit, negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium iuuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur. In eandem Theophilactus, in cap.12.Lucæ: Oblationes, inquit, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, Non parum conducunt etiam ijs, qui in grauibus delictis mortui ſunt. In eandem B.Gregor.lib.4.Dialog.cap.55. Multum, inquit, ſolet animas, etiam poſt mortem ſacra Oblatio hoſtiæ ſalutaris adiuuare; ita vt hanc nonnunquam ipſæ defunctorum animæ expetere videantur. In eandem Cyrillus Hieroſ.Cathecheſi. Myſtag. 5. Maximum credimus animarum iuuamen pro quibus offertur obſecratio ſancta illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt Sacrificij. In eandem Ioannes Eleemoſynarius, Theſi 4.huius capitis. 12.

Vndecimò, quòd *hoc ſingulariter pro ſibi chariſſimè vel obtulerint vel offerri deſiderauerint.* B.Ambroſius Oratione de morte Satyri fratris. Tibi nunc, ait, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam: Tibi hoſtiam offero. Cape propitius & ſerenus fraternum munus, Sacrificium ſacerdotis. Idem Ambroſius in Orationibus de obitu Theodoſij & Valentiniani, ſe pro ipſorum animabus ſacrificaturum pollicetur. S.Auguſtinus, lib.9.Confeſſ.de matre Monica agens. Quotquot hæc, *inquit*, legerint, meminerint, ad altare tuum, Monicæ famulæ tuæ; cum Patritio quondam eius coniungi. Serui- 13.

unt hic exempla, quæ Theſi 4. Capitis 76. allata ſunt.

14. Duodecimò, quòd *hoc beneficium Sacrificij ſibi defunctis petiuerint impendi.* De matre ſua eadem idem ſcribit Auguſtinus, l.9. Confeſſ. *Non iſta mandauit nobis,* ait, *ſed tantummodo memoriam ſui, ad altare tuum fieri deſiderauit; cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat.* Idem *Sacrificium* pro ſe fieri petijt Ephrem Syrus: Idem Venerabilis Beda; idem Regina Scotiæ Margareta, quemadmodum demonſtratum eſt, Theſi 4. Cap. 76.

15. DecimoTertiò, quòd *dum Suffragiorum, quibus defuncti iuuantur, mentionem faciunt, hoc reliquis præponant & præferant,* quemadmodũ Chryſoſtomus atq; Auguſtinus faciunt: ille Hom. 3. in Epiſt. ad Philipp. hic Cap. 110. Enchiridij. Vtrumque ſequitur Concilium Florentinum, in Vnione Arm. vt ob id Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 5. Myſtagogica, *maximum iuuamen animarum dixerit eſſe, obſecrationem ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt, Sacrificij.*

SEQVVNTVR MODI, QVIBVS AGENdum eſt contra moleſtias Spirituum hominum damnatorum.

ABſolutis & examinatis modis duplicibus, quibus partim contra Dæmoniorum Spiritus pugnatur: partim liberamur à moleſtijs, quas afferunt purgandi Spiritus: reliquum eſt, vt diſcutiamus. Quomodo infeſtantibus Spiritibus hominum damnatorum ſit occurrendum. Hoc ſequentibus aliquot Capitibus examinamus. Primum verò hic, in ordine totius Diſputationis eſt.

CAP. LXXXIII.

Non deeſſe rationem viuentibus, qua ſe liberent à moleſtia, quam afferunt damnatorum hominum Spiritus.

1. SVnt, qui vel *nullam,* vel certè mortalibus *ignotam* exiſtimant eſſe *rationem,* qua viuentes ſe à *Spirituum damnatorum hominum moleſtia* liberare valeant. Et forſitan non temerè. Neque enim apud hos

Digitized by Google

hos illi modi videntur ſeruire; quibus Dæmonum profligantur Spiritus: neque alij, quibus purgandorum animæ iuuantur: propterea, quòd vt ab illis, ita ab his Spiritibus damnatorũ hominum *Spectra* plurimum differant.

Nec videntur hic ſupereſſe rationes *aliæ*. Quæ enim illæ ſunt? Illæné, quarum initiò mentionem fecimus? Imprecationes? verbera? diſtricti gladij? ignes? &c. Verùm cùm hæ in nullos Spiritus vires habeant; apud damnatorum hominum Spiritus quid promouebunt? 2.

Veruntamen ex *tribus*, ni fallimur, colligitur *non deeſſe etiam viuentibus ſua arma, quibus ſe ab horum Spirituum moleſtia tueantur, atq; defendant*. Principiò quidem, ex horum cum aliorum Spirituum collatione. Tum deinde, ex conditione ſocietatis, quę eſt inter Chriſtianos. Tertiò denique ex ijs, qui ad moleſtias, quas damnatorum Spiritus afferunt, concurrere, & quouis modo operam ſuam conferre videntur. 3.

Medium inter purgandos hominum, & damnatos Dęmonum Spiritus, in hac moleſtandi ratione obtinent illi, de quibus noſtra *iam* Diſputatio eſt, Spiritus. Cùm igitur ab illorum moleſtia, nos charitatis, quæ pro illis fiunt, officijs; ab horum Chriſtianę religionis pręſtantiſsimis pręſidijs liberemus; *horum moleſtias* excutere non valebimus? 4.

Sit licet ſtudium moleſtandi horum multò maius, quàm purgandorum Spirituum: non tamen maius Dæmonum. Et quamuis magnæ ipſorum vires: multò tamen inferiores ſunt viribus Dæmonum. Quod igitur erga hos valemus, illud ergà illos non poterimus? 5.

Societatis Chriſtianorum illa eſt conditio; vt Rempub. quandam conſtituat. Hoc cùm alia multa, tum in Sacris literis ſæpiſsimè *Regni calorum* compellatio, qua illam Dominus notat, indicat. quòd igitur vnaquæque Reſpub. habet, vt ſe aduerſus hoſtes tueatur, atque defendat; hoc, optimè à Chriſto Domino conſtitutæ Reipublicæ, erit negatum? ſola hæc aduerſus ſuos hoſtes ſe tueri, ab ipſorum moleſtia ſe liberare non poterit? An fortè hi Spiritus hoſtes non ſunt? Cur igitur moleſti ſunt? cur pacem inuident? terriculamentis cruciant? 6.

Non ſunt ſubiecti viuentibus hi ſpiritus, dicet aliquis: extra Chriſti ſunt Eccleſiam. Ita eſt. Et ob eam cauſam, cum ipſis non tanquam nobis ſubiectis agimus; ſed tanquam cum hoſtibus: qui 7.

quamuis

quamuis iure ſubiecti non ſint; nobis tamen ſe ſubijciunt, hoc ipſo; quod nobis moleſti ſunt: faciuntque, vt naturæ iure liceat propulſare à ceruicibus noſtris moleſtias; quas præter ius nobis afferunt.

8. Tres omninò eſſe videntur, *qui ad moleſtias has concurrunt*. Ipſę defunctorum animæ; quæ excitatis tumultibus, & terriculamentis nos fatigant: Dæmones, quorum opera, corpora, quæ Spiritibus ſeruiunt, componuntur & formantur: & Deus; quo vel permittente, vel præcipiente hic omnia fiunt. Cuius verò ratione fieri negabimus, vt à moleſtia hac nos vindicemus?

9. Demonſtratum eſt, iam nec tantas eſſe vires horum Spirituum; nec tantam malitiam, quanta ipſorum eſt Dæmonum. Omnino igitur, ſi à Dæmonum moleſtia poſſumus, vt poſſumus; ab horum infeſtatione atque inſultibus expedire nos poterimus.

10. An fortè, contra Dæmones vires nobis deſunt? At à Dæmonum creaturarumq; omnium Domino, ſufficientiſsimæ in Dæmones ſunt bollatæ. *Ecce*, inquit Dominus, *dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper Dæmones.*

11. Neque nobis hic Deus ipſe eſt impedimento. Quamuis enim ipſo nunc permittente, nunc imperante tumultibus ſuis moleſti ſint, Spiritus: ita tamen moleſti ſunt; vt quemadmodum ab illius voluntate pendet, quòd fiant; ſic quod ceſſare debeant. & hoc quidem noſtris precibus vrgentibus poteſt clementer concedere, quemadmodum illud ſua iuſtitia poſtulante permittere. Sed ad modos. Et primo *falſos*, vt excludamus; tum *veros* vt probemus.

CAP. LXXXIIII.

Non valere contra damnatos hominum Spiritus, eorumq; moleſtias, quibus loca reddunt infeſta, illas rationes, quibus viuentes ſe expediunt à moleſtijs, quæ à purgandis Spiritibus afferuntur.

1. Poſſe tolli moleſtias, quæ à damnatorum Spiritibus, certis locis excitantur, demonſtratum eſt. Sequitur oſtendamus, *quibuſnam rationibus* tollantur: ijſne, quibus contra infeſtantes Dæmones depugnamus: an quibus vtimur cōtra illas

tra illas purgandorum Spirituum;an alijs aliquibus.Rem *duabus Aſ-*
ſertionibus includimus.Prior hoc Capite explicanda eſt.

Hęc eſt:*Rationibus,quibus contra moleſtias,quæ à purgandis Spiritibus ef-* 2.
feruntur vtimur; contra damnatorum hominum Spiritus nequaquam agen-
dum eſt Cauſa Aſſertionis eſt,quia neque *hoc nomine* hi Spiritus mole-
ſti ſunt,quo illi purgandi:neque ſi eſſent,*biſce rationibus* eos tentare,
atque aggredi liceret.

Quo nomine damnatorum hominum Spiritus moleſti ſint,ſuperi- 3.
us,Capite decimo tertio,demonſtratum eſt. Quod verò,non *idem*
ipſis atque purgandis propoſitum ſit,dubitare nemo debet. Purgã-
di,vt viuentium opera iunĕtur,importuni ſunt:hi ſpem ſalutis nul-
lam habent.Qui verò,quòd iuuari poſsint, deſperant; vt iuuentur,
petere poſſunt?

Quod ſi à morte,vel non ad pœnas *mox* raperentur:*vel* ſi raperen- 4.
tur,Iudicis ſententiam non perciperent ante hi Spiritus,quàm Vni-
uerſale omnium mortalium futurum eſt Iudicium : *vel* etiam, ſi
poſt latam à morte ſententiam, ſperarent ipſam mutandam ali-
quando, aut ſaltem mitigandam : poſſent fortitan ad viuos redire,
tumultuque ſuo atque moleſtia viuentium operam implorare, vt
vel ad ſupplicia, quæ meruerunt,non damnarentur; vel ab ijs,quæ
ſuſtinent,ſubleuarentur : At horum nullum apud infelices locum
habet.

Mox poſt mortem ipſos merita ſequuntur ſupplicia. Facile eſt coram 5.
Deo,dicitur Eccleſ.1 ,*in die obitus retribuere vnicuiq; ſecundum vias ſuas.*
Ducunt in bonis dies ſuos,inquit Iob, cap. 21. *& in puncto ad inferos deſ-*
cendunt.Diues Epulo,*mox*,vbi mortuus,in inferno eſt ſepultus, Lu-
cæ 16.& *mox* in tormentis hanc edidit vocem : *Crucior in hac flamma.*
Si *mox* Beatos ſua ſequitur gloria; Impiorum in longum tempus
differrentur ſupplicia? *Poſtquam diem tuum obieris*, inquit Chryſoſt.
Hom. 37. in Matthæum, *iudicium & pœna conſequetur :* Vide Fran-
ciſcum Soarez, Tomo 2. in Tertiam partem Diui Thomæ,Diſpu-
tat.52.

Sic *mox*, *poſt mortem,Iudicis fertur ſententia.& non ad communem vſq;* 6.
carnis differtur Reſurrectionem;quidquid dicat Lactantius, libro 7. Di-
uinarum Inſt ca 21 Pulchrè Apoſtolus Paulus,ad Hebræos 9. c.*Sta-*
tutum eſt,inquit,*omnibus ſemel mori.poſt hoc autem Iudicium.Iam,* inquit
B.Auguſtinus,libro 2.de Originę animę,capite 4. *illud ſalubriter cre-*
dit,& rectiſsimè,iudicari animas,cùm de corporibus exierint; antequam veni-
ant ad illud Iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari A-
iunt,inquit Damaſcenus Oratione de defunctis,*viri diuinitus illuſtrati,*

quod cùm exhalamus ſpiritum; quaſi in libra, humana opera probantur. Et ſi ipſa mox mortem ſequuntur ſupplicia; differri poteſt ſententia, quę ſupplicia præcedit?

7 *Nec ſpes miſeris eſſe poteſt, quòd vel tormentorum aliquando futurus ſit finis*; quia æternus eſt ignis, qui cruciat: *Vel pœnarum acerbitas poſſit mitigari*: quia vt irreuocabilis ſententia; ita conſtans atq; perpetuū, ſupplicium. *Alicuius mitigari eam, cui traditus eſt, pœnam; vel quibuſdam interuallis habere aliquam pauſam, quis audacter dixerit?* Beatus Auguſtinus, in Pſal. 105. *quandoquidem vnam ſtillam diues ille non meruit?*

8. Fortè de Iudicis voluntate *dubitare* poſſunt miſeri. Poſſent, ſi per Angelos, ſiue bonos, ſiue malos, hæc ipſis innoteſceret; ipſique Iudices eſſent. At Angeli Iudices non ſunt. Sententia per Angelos non fertur, fertur per ipſum, de cuius voluntate non debent ambigere, Iudicem, aut Angelos; Iudicis perſonam ſuſtinentes. Scriptum eſt, (2. Corinthiorum 5.) *Omnes nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Et rurſus (Rom. 14) *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Et vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.*

9. Quæ cùm ita ſint; credi non debet auxilij conſequendi gratia ad viuos redire damnatorum hominum Spiritus, aut hanc ob cauſam eſſe moleſtos, vt viuentium opera iuuentur. Sed faciamus ita eſſe: *hoc fine* eſſe moleſtos: *ignorare* etiam, quæ ſtatus ipſorum ſit cōditio. *Nobis* tamen ijs *rationibus*, quibus purgandis Spiritibus ſuccurrimus, his ſubuenire nequaquam licitum eſt: propterea, quòd citra ſalutis diſpendium, *hos damnatorum hominum Spiritus noſtris ſuffragijs iuuari poſſe*, nequaquam credere poſſimus; tantum abeſt, quòd iuuare debeamus.

10 Ea eſt damnatorum conditio. vt *neque à pœnis quibus adiudicati ſunt, poſſint liberari vnquam; neque in ijſdem leuamen vnquam exſpectare.* Hoc quàm ſit certum, atque indubitatum; quàm firma conſtantique fide tenendum atq; defendendum, poſtquam probatum erit, finem Capiti inponemus.

11. Eccleſiaſtæ hîc primùm ſententia eſt, cap. 11. *Si ceciderit*, inquit ille, *lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem; in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Ad Auſtrum cadunt ſaluandi; ad Aquilonem damnandi. Manent ſinguli ſuis locis. illi in æternum felices: hi in æternum miſeri. *Ibi vnumquemque*, inquit D. Bernardus (ſermone 59 ex Paruis) *iudicabit Deus, vbi inuenerit. ibi, inquam, erit immutabiliter & irretractabiliter.*

Secun-

Digitized by Google

Secundò, hîc ſeruit Regius Propheta, Pſalm. 6. *Conuertere,* inquit, 12.
Domine; & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam, quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? quaſi dicat, Nullus ſanè. Nulla ratione fieri poteſt, vt quis tibi aliquando confiteatur, ad te conuertatur, pœnas illius loci euadat.

Tertiò, dictis aſtipulatur Iſaias Propheta, cap. vltimo *Vermis,* in- 13.
quit, *eorum* (damnatorum) *non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur.* Si *Eorum* eſt vermis; ſi *Eorum* eſt ignis: ipſe autem *vermis non moritur, & ignis non exſtinguitur;* omninò neceſſe eſt & illos, quorum eſt *vermis* atque *ignis* perpetuo in *igne* miſerè viuere, & *verme* torqueri.

Audiamus Dominum: *Bonum eſt tibi* (inquit ille, Mar. 9. *claudum in-* 14.
troire in vitam æternam; quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis; vbi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur. Idem clariùs, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Et ne quis crederet *ignem* æternum, & non æternum in igne *cruciatum;* ſubiungit. *Et ibunt hi in Supplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.*

Cum Domino conſentit diſcipulus, Domino dilectus; in reuela- 15.
tione ſibi diuinitus facta, edoctus, Apoc. 20. *Diabolus,* inquit, *qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris: vbi beſtia & Pſeudo propheta cruciantur die & nocte, in ſecula ſeculorum.*

Hinc communis illa Eccleſię vniuerſalis, cum B. Athanaſio, confeſ- 16.
ſio. *Quicunq; vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem.* Quam illam? *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.* Et pulchrè Innocentius III. li. de Contemptu mundi, ca. 10, *Iuſtum eſt,* inquit, *vt quod impij in ſuo præuaricantur æterno, Deus vlciſcatur in ſuo æterno.*

Atque hinc eſſe dicam, vt oratio, quæ pro damnatis inſtitui- 17.
tur, fruſtra dicatur ſuſcipi. *Qui ſine fide,* inquit B. Auguſtinus, ex ſententia Magiſtri, in 4. d. 45. *per dilectionem operante diſceſſerunt; fruſtra illis, à ſuis, pietatis officia impenduntur.* Idem 24. Moral. habet B. Gregorius.

Quid, quod ipſa etiam prohibita ſit? *Eſt peccatum ad mortem,* inquit 18.
ſanctiſsimus Theologus, Ioannes, 1. ca. 5. *non pro illo dico, vt roget quis.* Et B. Gregorius Bonifacio (habetur 13. quæſt. 2. cap. Pro obeuntibus) *non licet pro defunctis impijs, quamuis Chriſtiani fuerint, oblationes offerre,* &c.

Quocirca bene B. Auguſtinus, lib. 3. cap. 12. ſic loquitur: Noli di- 19.
cere; noli credere Suffragia Chriſtianorum pro ijs qui non bap-

tizati de corpore exierunt, offerenda; ſi vis eſſe Chriſtianus. Et ipſe: Si ſcirem, inquit, matrem meam eſſe in inferno; non magis pro illa orarem, quam pro Diabolo. Ita Soto in 4. Sentent. d. 45. q. 2. art 2. ex D. Auguſtino.

20. Itaque, vt cum B. Gregorio loquar (4. Dialog. cap. 44) Non orant ſancti homines pro hominibus infidelibus, impijsq; defunctis: quia pro ijs vtique, quos æterno deputatos ſupplicio iam nouerunt; ante illum Iudicis iuſti conſpectum orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt. Ita Gregorius.

21. Ex dictis non ſolùm hoc colligimus, Suffragijs noſtris damnatorum Spiritus non iuuari; ſed fruſtra quoque eſſe, atque cum animæ noſtræ detrimento his Spiritibus *ſuffragari velle*, atque *ſuffragari*.

22. Colligitur ſecundò, in graui eos verſari errore; qui damnatorum Spiritus aliquando ex ſupplicijs, quæ grauiſsima perpetiuntur, putant *eripiendos*: quo nomine, cum quibuſdam. non bene audit Origenes; qui, neſcio quos, animarum *itus & reditus*, vt B. Auguſtinus loquitur, excogitauit. Huius erroris originem notant Epiphanius, Epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum, Hieronymus in Capite 3. Ionæ, Gregorius 9. Moralium capite 45. & 46. & libro 34. cap. 12. & 13.

23. Cum Origene coniunxero, quos idem B. Auguſtinus refutat, 21. de Ciuitate Dei, cap. 17. & ſequentibus: qui in nouiſsimo iudicio propter interceſsiones Sanctorum, *neminem hominum putant eſſe damnandum*: Eos quoque, qui *impunitatem omnium peccatorum* promittunt aliquando, etiam Hæreticis, propter participationem corporis Chriſti: Denique Illos, qui non omnibus, ſed ijs tantum, *qui apud Catholicos ſunt regenerati*, etiamſi poſtea in multa crimina, erroresq; proruperint, indulgentiam pollicentur, &c. de quibus plura loco citato Beatus Auguſtinus. *Nullis omnino damnatis ſpes ſalutis reliqua eſt.*

24. Nec aſſertioni noſtræ repugnat, quod Pſalmo 76. dicitur: *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus; aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* De *viuis* enim eſt ſermo Prophetæ, qui quamdiu ſpirant, ſperare poſſunt, ſibiq; Dei miſericordiam promittere. Mortuorum longè alia eſt ratio: Miſericordia illi prorſus indigni, qui miſericordiæ tempus turpiter neglexerunt. Quamquam B. Auguſtinus, lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 24. ad *probos* ſolùm velit pertinere, quod à Propheta dicitur, *Deum miſericordias ſuas in ſua ira non contenturum.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXXV.

Iiſdem rationibus proſcribi Spiritus hominum damnatorum: eorumq; infeſtationes atque moleſtias tolli; quibus Spiritus Dæmonum, ipſorumq; moleſtiæ proſcribuntur & tolluntur.

NOn prodeſſe damnatorum hominum Spiritibus Suffragia, quibus purgandæ animæ iuuantur; nec hiſce ab ipſorum moleſtijs, quas afferũt, viuentes liberari demonſtratum eſt. An illis machinis oppugnandi ſunt, quibus contra Dæmones depugnatur? *Ita omnino cenſemus*: licet vt aſſentiamur, *hic*, tam firmis argumentis, vt ibi, non inducamur. Atque hæc *Secunda noſtra Aſſertio* eſt; quam ſequentibus, & explicamus & probamus. 1.

Et principiò, haud obſcurum eſt, pro nobis *tam firma præſidia hic, vt ibi, non eſſe*. Ibi exemplorum abundabamus ſylua, quibus probabamus & Reliquiarũ, & Sanctę Crucis, & Rerum conſecratarum vſu Dæmones profligari. Eccleſiæ pręterea nitebamur authoritate; quę hoc ipſo probat rerum harum alias contra Dęmonum valere inſultus; quòd hoc nomine conſecrentur; conſecratæ verò Chriſtiano populo in hunc finem offerantur; alias Dæmonibus per ſe eſſe moleſtas. Hic vtroq; videmur deſtituti. Neq; enim exempla obuia ſunt. Orationes etiam atq; Exorciſmi, quibus contra Spirituum moleſtias Eccleſia vtitur, contra Dæmoniorum Spiritus tantùm inſtituta videntur. 2.

Nihilominus, etiam *his machinis, vel prorſus iiſdem, vel parum immutatis, contra damnatorum hominum Spiritus feliciter nos pugnare poſſe credimus*: credetq; nobiſcum: qui quæ & machinarum illarum ratio, & quę Spirituum horum conditio ſit, diligenter ſecũ expendere velit. 3.

Incredibili, & Vatiniano *odio*, Deum Opt. Max. proſequuntur damnatorum hominum Animæ. Hæc ipſarum conditio. *Machinæ noſtræ*, quibus contra Dæmones pugnandum docuimus, Deo vehementer placent. Hęc ratio machinarum. Quid ex vtroque? Damnatorum hominum Spiritus illas fugere atque deteſtari. Quomodò verò? Quia ita natura comparatum eſt, vt quorum odio flagramus, quoſue deteſtamur; eorum non ſolùm non præſentiam fera- 4.

mus; ſed neq; quidquam ipſorum, quæ ipſis vel chara, vel quomodocunq; coniuncta ſint, ſuſtineamus.

5. Quod inferimus, rectè inferri quiuis facilè intelligit: At non ita facilè, quod ponimus; *Odio* Vatiniano ſcilicet Deum proſequi damnatorum hominum Spiritus: *Machinas* item, quibus contra Dæmones pugnamus, Deo vehementer placere, & gratas eſſe: At non minus vtrumq; certum eſt.

6. Pro impiorum Spirituum, erga Deum *odio* grauiſsima eſt ſacrarũ Scripturarum authoritas, omnium Patrum calculo confirmata. *Superbia* (dicitur Pſal 73.) *eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Hanc enim ſententiam, quamuis ad alios pertinere dubium non ſit; in damnatos tamen hominum Spiritus, atque item Angelicos, conuenire maximè, conſtans omnium ſenſus eſt & conſenſus.

7. Sed & ſi ad *voces* damnatorum attendamus, quod dicimus, facilè probabitur. Plenæ ſunt damnatorum hominum voces blaſphemiarum: plenæ irarum: plenæ conuitiorum. An blaſphemiæ ab amico animo in eum, in quem eiomuntur & expectorantur, proficiſcũtur? Fortè in Deum blaſphemi non ſunt damnatorum hominum Spiritus? Sunt maximè. *Maledicent*, inquit Innocentius III. lib. 3. de Contemptu Mundi, c. 10. altiſsimo, & blaſphemabunt excelſum: conquerentes eum eſſe malignum, qui creauit eos in pœnam: & nunquam inclinatur ad veniam. Audi Ioannem in Apocalypſi Capite 16. dicentem: Grando magna deſcendit de cælo in homines, & blaſphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt vehementer. Ita Innocentius.

8. Scrutemur odij cauſas. Multæ & magnæ in damnatis Spiritibus inueniuntur. Odium, inquit Gregorius Niſſenus 8. in Eccleſiaſt. eſt auerſio ab eo, quod moleſtia afficit. Quanta verò moleſtia miſeros damnatorum Spiritus afficit Deus? Priuat *bonis*: grauat *malis*. Sed quãtis & quot?

9. *Omnibus donis*, quibus in hac vita frui potuerunt, priuati ſunt damnati. Quod ſi quædam, quæ natura conceſsit, retinent; illa ipſa malorum & pœnarum ſunt ſeges & materia Sed hoc maximum (*pœnã damni* vocant Theologi) quod Dei Opt. Max. conſpectu frui ipſis negatum eſt. Quocirca ſanctus Auguſtinus, poſtquam plura damnatorum damna recenſuiſſet: *Abſentia*, inquit, *præſentia Chriſti, quoad viſionem eius, ſola, omnia prædicta mala ſuperat; & omnibus pœnis eſt intolerabilior.* Ita ille de Triplici habitaculo, cap. 2.

10. *Sic torrente malorum* omnium obruti ſunt. quæ cùm ſacræ literæ ſatis explicare nequirent; quibus potuerunt, vel huius vitæ grauibus

bus pœnis, vel quæ grauium pœnarum eſſent inditia, adumbrârũt: vt ſunt *exteriores tenebræ, dentium ſtridor, fletus, gemitus & eiulatus, ſtagnum ardens igne & ſulphure. frigora niuis, nimius calor, deſiderium mortis, tribulatio, qualis non fuit ab orbe condito,* &c.

Eaſdem quodam modo adumbrat Caſsianus, in Confeſſ. Theologica, parte 3. Quis, inquit, dicere valeat, quæ impijs, & malè viuentibus tormenta ſint præparata? In ipſo enim continuæ mortis loco; qui Infernus appellatur; quid aliud niſi iugis flamma, perſeuerans tribulatio & perpetua pœna, atq; infinita totius mali calamitas eſſe poteſt? Igneus autẽ fluuius, & fœda palus cõplet omnia. Ibi ſanè atroces *Angeli* commorantur, quorum brachia ſunt, vt capita draconũ; quorum oculi igneas ex ſe ſagittas emittunt: quorum dentes, vt Elephantis, prominent; & ſtimulant ad tormentum, vt caudæ ſcorpionum: quorum aſpectus tremorem inducit & dolorem atq; mortẽ. Atque vtinam mors poſsit in his ſubuenire anguſtijs. Sed quod eſt horribilius ad hoc viuit in tormẽtis poſitus, vt cruciatibus gubernetur; ad hoc redintegratur, vt roſus ſerpentibus, & iteratis ſubinde interumq; repetitis morſibus attrectetur. Illic vlulatus & planctus: gemitus & mugitus continuè ſonant, ſimulq; clamor cõfuſus vbiq; attollitur, quem dura tormentorum vis exagitat, & incendij arſura extorquet. *Et* quæ ſequuntur. 11.

Sed duo ſunt, quæ hanc pœnam augent; *acerbitas* atq; *duratio. Intenſiſsima* eſt, quam miſeri patiuntur. Nihil eſt chiragra in manibus; nihil cholica in ventre; nihil podagra in pedibus; nihil dolor dentium in ore; calculi in renibus; ſi cum pœnis infernalibus, vel illorum malorum aliquod, vel omnia ſimul conferantur. Et his morbis vnum aliquod membrorum affligitur. quid ſi omnes morbi iam dicti hominem crucient? quid ſi in omnibus membris crucient? nonne res propemodum intolerabilis. Rurſus, cùm hîc patiuntur non deſunt colloquia amicorum, commoditas lecti, aliaq; vitæ ſolatia. At ibi nulla pars, vel membrum, à tortura vacabit: nulla vnquam conſolatio. Pro lecto candens ſtratum: pro refrigerante aere, ignis; pro ſuaui odore, fœtor ſuffocans: pro amicorum ſolatio, irriſiones, contumeliæ, maledicta Dæmonum. 12.

Auget & miſeriam, *eius duratio.* Perpetua miſerorum eſt pœna. *Cremabit*, inquit B. Cyprianus, lib. ad Demetrianum, addictos ardẽs ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde tormenta vel requiem poſsint habere aliquando, vel finem. Seruabuntur cũ corporibus ſuis animę Infinitis cruciatibus ad dolorẽ. 13.

Et B.

Et B. Bernardus lib. Meditationum c. 3. *Procul, inquit, à beata patria exulati, cruciabantur in gehenna perpetua. Nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi: ſed per millia millium annorum in inferno, cruciandi: nec inde vnquam liberandi; vbi nec qui torquet aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ille conſumit, vt ſemper reſeruet: ſic tormenta aguntur, vt ſemper renouentur.*

14. Quantùm verò huius æternitatis cogitatio cruciat? In hac vita, quidquid diuturnum eſt, moleſtum eſt, & graue. Et ſi grata quies; tamẽ ſi ſano duos annos in lecto molli continẽter cubandũ eſſet, non ferret diuturnę quietis laborem. Quid ſi verò vnius anni graues calculi labores ferendi? quanta hæc miſeria? At ad pœnas inferni nihil huius vitę dolores: nihil feruens oleum: confractio oſsium; ſcorpiones, & ſexcenta grauiſsima mala. Quæ igitur *miſeria, in perpetuum, infernalia tollerare ſupplicia*? Nimium longum, quod æternum. Bona eſſet conditio miſerorum; ſi tot millibus annorum infernales pœnæ eſſent ſuſtinendę; quot vnquam fuerũt folia in arboribus; quot ſunt arenæ in littore maris; quot guttæ in vaſtiſsimo mari. Sed *in æternum pati, nullis annorum miriadibus abſoluitur.*

15. Neque ex his *odium* damnatorum Spirituum erga Creatorem ſuum, *tantùm* creſcit; verùm etiam ex *omnibus*, quæ ipſis diuinitus collata ſunt, beneficijs; qualiacunque etiam illa ſint. Præbent materiam maioris odij erga Deum *bona fortunæ*, quibus dum corpora fouerent, abundarunt. quoniam hæc ad maiora ipſis ſeruiunt ſupplicia. Præbent *bona corporis, atq; animæ*; quæ dolent ſe à Deo, iam malè expenſorum rationem exigente, accepiſſe. Præbent *beneficia omnia*, quæcunq; in vniuerſum hominum genus Filius Dei, triginta, & pluribus, quibus nobiſcum annis verſatus eſt, contulit. quoniam & hęc pœnarum augent acerbitatem.

16. Magnum igitur *odium* damnatorum hominum erga Deum. Et poterunt hi Deum æquo animo ferre? poterunt quicquam. quod Deo charum, gratumque ſit, probare? poterit placere, quod ille probat?

17. Sed fortè (quod ſecundo loco inquirendum eſt) *arma* quibus contra Dęmones pugnatur, Deo grata non ſunt. Fortè non placent. *Sunt gratiſsima*. placent vehementiſsimè. Docemus de ſingulis: ſed pro inſtituti ratione, breuiſsimè.

18. *Pro Crucis ſigno* ſunt infinita, quæ per illud Deus Opt. Max. operari dignatus eſt, omnibus omnino temporibus. quæ quàm ſint vera; quàm magna, docet de Dæmoniacis Diſputatio. Addo & hoc nomine

mine placere; quod memoriam refricet amariſsimæ Filij eius paſſionis; quam cupit ille, apud nos iugem eſſe, atq; perpetuam; quod de diuinis rebus mentem admoneat, quæ non poteſt ipſi non placere, qui mortalium cogitationes cupit eſſe abſtractiſsimas à rebus terrenis, & coniunctiſsimas diuinis. Quid, quod *Crux* Filij Dei triũphum, vel maximè ſit exornatura? Quando enim *cum maieſtate magna atq; poteſtate* venturus eſt, rationem cum mortalium genere vniuerſo poſiturus. *Tunc,* inquit Dominus, *patebit ſignum Filij hominis in cœlo.* Matth. 24. 19.

Similia pro *Reliquijs* afferre poſſumus. Neq; enim quemquam clam eſt, quàm ſint omnem propemodum fidem humanam ſuperantia quæ ad Sanctorum *Reliquias* Deus fieri voluerit. Docet & hęc, de Dæmoniacis Diſputatio. Poteſtné Deus non eorum magni facere pignora; quos promiſit ſe benedicturos? glorificaturos? omnibus malis erepturos? quibus virtutem miracula patrandi in hac vita contulit? & quidem tot, ac tanta: quanta Filius eius non patrauit? quos vniuerſus mundus Iudices in extrema illa exſpectat die? quibus datum accumbere in Regno cœlorum, vbi miniſtrum agit Filius Dei? 20.

Placere Deo *Orationem* dubitat nemo. *Ipſe* illam *conſulit.* ipſe, *præcipit,* ipſe *modum orandi præſcribit.* Sed & ad orandum *inuitat* ſtudioſiſſimè. Quibus verò rationibus? *ſuo exemplo. maxima promiſſione, rebus maximis oratione, vel confectis, vel impetratis.* vt interim pulcherrimarum virtutũ cumulum omittam, quæ cum *oratione* coniunctæ ſunt, & Deo plurimum placent. 21.

Fortè dubium de *Rebus conſecratis,* num Deo probentur. Et pro his, quemadmodum pro Reliquijs atque Cruce, ſunt prodigia, & portenta, non niſi ſingulari Dei virtute atq; prouidentia, ad *harum rerũ* vſum peracta. Accedit quod *hæ res* propriè *Dei* dici debeant; vt quæ à naturali ſuo vſu, per cõſecrationem quodam modo tranſlatæ ſunt ad diuinum, & natura multò ſuperiorem: & quibus tanquam diuinę clementiæ, quibiſdam quaſi inſtrumentis, Deus humanis neceſsitatibus ſubuenire decreuit. 22.

Vnus reſtat *Exorciſmus.* In hoc nihil eſſe, quod damnari meritò poſsit, alias démonſtratum eſt? multa eſſe, quæ probentur, Deoq; grata ſint, quæ iam diximus, confirmant omnia, vt quotum in Exorciſmo vſus eſt pręcipuus. 23.

Sunt igitur res hæ *grata* Deo. Sunt igitur *ingrata,* & odio, damnatorum hominum Sip ritibus fugient igitur ipſas, deteſtabuntur, non ferent. Deſinent ad harum præſentiam Mortalibus eſſe infeſti, pacem relinquent.

Eſt &, præter iam fuſius explicatam rationem, alia, cur contra damnatorum hominum Spiritus plurimum valere credi debeat machinas, quibus Dæmones expugnantur: illa videlicet, quod veriſimile ſit, *nunquam* damnatorum hominum Spiritus nobis moleſtos eſſe, niſi Dęmonibus egregiè adlaborantibus, ſi non omnia peragentibus: vt ob id credi debeat hos Spiritus ab infeſtando deſiſtere, ſi locis, vbi infeſtant, ipſi *Dæmones* proſcribantur, & profligantur.

25. Nam primum credi poteſt, damnatorum hominum Animas, ſi quando rebus viuentium *autoproſopos, perſonaliter*, interſint, Dęmonū opera ad nos delatas eſſe, aut etiam compulſas: atq; *ita* ipſis ſemper aſsiſtere; vt ne latum quidem vnguem, ab iiſdem diſcedant. An deſerere poſſunt iam in ſuam poteſtatem traditas? illi pręſertim Spiritus, quibus ſtudium fuit continuū, vt quantū Angelus cuiuſq; Tutelaris pro viuentium bono fuit ſollicitus, tantum ipſi incommodarent? ad vitiorum latas vias pertraherent?

26. *Corpora* verò, quorum hîc vſus eſt, omnino opera quædam ſunt Dęmonum: & à Dęmonibus, non tantùm formantur; verùm etiam, ne diſſoluantur, ſuſtentantur. Non credibile eſt illas damnatorum Spirituum eſſe vires, vt ex aere corpora ſibi aptare valeant, atq; ſuſtentare. Maioribus hic opus, eſt Angelorum ſcilicet, non quidem bonorum, quorum obſequijs damnati indigni, ſed malorum, in quorum infelicem ſocietatem miſeri aſſcripti. Hæc ſuperius demonſtrata ſunt, Capite 19.24.25.

27. Quæ cùm ita ſint, nouas hîc rationes, quibus ab humanorum Spirituum moleſtijs liberemur, quærere neceſſe non eſt. Illæ ipſæ, quibus contra Dæmones confligimus, ſeruire poſſunt. Quomodo porrò contra hos Spiritus valere dici debeant: & Vtrum æquales omnium ſint vires; an vna altera præſtantior, explicandum eſſet, niſi, quæ ſuperius dicta ſunt, hîc ſeruire crederemus, & breuitati ſtuderemus.

NOTATIO.

DIſcuſſimus Modos, quibus partim contra damnatorum hominum Spiritus, partim contra purgandorum pugnatur. duo alij quidam eſſe videntur, qui tam purgandis, quàm damnatis poſſunt eſſe communes. Horum altero Spirituali defunctorum neceſſitat-

ſitati ſubuenitur: altero temporali. In illo impenditur beneficium abſolutionis ab Excommunicatione contracta à viuentibus; in hoc exhibetur ſepultura, qua defunctorum corpora carent. Vtrumque antequam vlterius progrediamur, examinare operæpretiũ eſt.

CAP. LXXXVI.

An ſepultura defunctis exhibita, ipſorum Spiritus probibeat ad viuentes redire, iiſq; moleſtos eſſe.

QVorundam illa ſententia eſt, vt inſepultorum Spiritus tamdiu exiſtiment quiete ſua atq; proprijs ſedibus carere, & inter viuentes errare; excitatisq; tumultibus moleſtos eſſe; quamdiu corporibus ſua *Sepultura* impenſa non eſt: ea verò impenſa, moleſtias omnes deſinere. Hinc Poeta, Aeneidos 6. 1.

Non ripas datur horrendas, nec rauca fluenta

Tranſportare prius, quàm ſedibus oſſa quierint. Et Porphyrius, teſte Benedicto Perierio cap. 9. de Magia, Animæ, inquit, carentium ſepultura circa corpora morantur. Quocirca, addit, qui vaticinantium animalium inſinuari ſibi animas optant, præcipua illorum membra deglutientes, præſentes ſibi faciunt animam, Dei ritu vaticinantem. Talis enim anima, vnà cum ſui corporis integra ſumptione, in corpus humanum ſe penitus ingerit. Hæc Porphyrius.

Sententia hæc, quamuis pernitioſos errores quoſdam contineat; non tamen, *per omnia*, falſa eſt; nec damnari à Chriſtiano homine poteſt. Nos, poſtquam vera à falſis diſtinxerimus, ad præcipuum, quod hîc propoſitum eſt, Caput reſpondebimus. 2.

Verum eſt *defunctorum Spiritus* (Chriſtianorum imprimis) *deſiderare, aut certè probare, vt quæ dum vixerunt, fouerunt corpora, ſuam habeant Sepulturam.* Bonum hoc aliquod ipſorum eſt: & *bonum eſt*, Philoſopho teſte, *quod omnia appetunt.* Antiqui illi iuſti, inquit B. Auguſt. li. de cura pro mortuis agenda, ca. 13. dum viuerent de ſepeliendis, aut transferendis corporibus, ſuis filijs mandârunt: & mortui, vtrũ ſepulta ſint vel inſepulta non curabunt? 3.

4. Ad iniuriam & contumeliam defunctorum omnes pertinere exiſtimant, ſi *Sepultura* corporibus negata eſſet. In *Veteri* lege, quãdo in aliquos Deus grauius voluit animaduertere, ad alias pœnas etiam hanc adiecit, vt *ſepultura* infelices carerent, & corpora cederent in eſcam aut cęli volucribus, aut feris canibus. Apud *Græcos*, teſte Alexandro ab Alexandro (lib. 6. genialium dierum, cap. 10.) tanta cura *Sepulturæ* fuit, vt decem Prętores, quod bello nauali apud Arginuſas, vi tempeſtatis acti, defunctos in acie non ſepeliſſent, ab *Athenienſibus* capitis accerſiti, & vltimo ſupplicio affecti fuerunt. Lacedemonij, dum contra Meſſenios ducunt, ne milites, qui bello ceciderant, *inſepulti* manerẽt, teſſeras in brachijs inſculptis nominibus habeére. Inoleuit mos *Athenis*, vt ſingulæ tribus ſingulas arcas, in quibus cadauera, & diſperſas reliquias illorum, qui bello ceciderant, ſuę cuiuſque tribus, inquiſita colligerent, in expeditione vehiculis vexerint.

5. *Hinc* non quibuſuis; ſed ſceleratis, & ob inſignia crimina notis beneficium *Sepulturæ* non impendebatur. *Iſ anni*, inquit idem *Alexander*, ibidem, qui malè de Repub. meriti ſupplicio eſſent affecti: aut qui laqueo, aut morte in honeſta, aut malo letho occubuiſſent, inſepulti abijciebantur. Et apud *Ægyptios*, ſi quem prauis moribus vixiſſe contigiſſet, eiectum cadauer in vaſtis ſolitudinibus exponunt. Et Perſæ damnatorum corpora feris & canibus obijciebant.

6. Eandem ob cauſam criminis loco habebatur olim *defunctorum Sepulchra violare*: quod *ſepulchris* illata vis, ſepultis illata cenſeretur. Qui ſepulchra violant, domos defunctorum: (inquit Conſtantinus L. 1. C. de violat. ſepulch. geminum videntur facinus perpetrare. Nã & ſepultos ſpoliant deſtruendo, & viuos polluunt fabricando: vnde. & læſæ *Maieſtatis* crimen committunt.

7. Sed & graues in Sepulchrorum violatores ſtatutæ pœnæ. Rei Sepulchrorum violatorum, ſi corpora extraxiſſent, vel oſſa irruiſſent. humilioris quidam fortunæ, ſummo ſupplicio afficiebantur; honeſtiores in inſulam deportabantur: aliâs autem relegabantur, aut ad metalla damnabantur. Si autem cadauera ſpoliaſſent: Si quidem armati id egiſſent, capite plectebantur: ſi ſine armis, vſque ad pœnam metalli procedebatur. L. Sepulch. ff. de Sepulch. violat. &c.

8. Quocirca inter Barbarorum ritus non immeritò illi habiti ſunt, quorum Bruno, libro 4. de Cęremonijs meminit, qui defunctorum corpora vulturibus aut canibus dilanianda obiecerunt; aut in maria atque flumina, paludesque proiecerunt: Sed illorum maximè qui

ſeni-

ſenio confectos primò impiè mactabant, deinde mactatos crudeliter deuorabant.

Porrò quemadmodum hoc verum, ita falſum eſt, & à Catholica religione alienũ, *defunctis ad ſedes ſuas aditũ non patere, nec requie frui, donec corpora ſepulturæ demandata fuerint.* Quis, inquit Beatus Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis agenda, capite 6 cor Chriſtianum inclinet his poeticis, fabuloſiſque figmentis, ſcilicet, quod. 8.

Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quàm ſedibus oſſa quierint?

Quis inquam cor Chriſtianum his poeticis fabuloſiſque figmentis inclinet cùm Dominus hortetur Chriſtianos, ne timeant eos, qui occidunt corpus, & poſtea non habent amplius, quid faciant? 9.

Qui ex hac vita in Dei offenſa excedunt, mox ad ſupplicij loca rapiuntur. Nec *inſepulta corpora* aut prohibent, cur minus, vel ad ſupplicij loca rapiantur; vel ſupplicia in his locis, peccatis debita patiantur. Demoſtratum eſt hoc, cap. 84. 10.

Qui piè in Domino moriuntur, nec maculas vllas, quas eluere neceſſe eſt, habent, mox ad cęlorum regna tranſuolant: tantumque abeſt, vt *inſepultura corpora* felicitatem ſuſpendant; vt quandoque augeant. Et hoc aliâs demoſtratum eſt. 11.

Qui piè in Domino moriuntur: ſed tamen perfectè purgati hinc nondum diſcedunt, à Cælorum quidem regno aliquantulum arcentur; veruntamen non ob negatam *ſepulturam*: nec hanc inter mortales errando vrgent; ſed peccatis debitas alicubi pœnas perſoluunt, vt tandem inueniantur expoliti lapides, apti cæleſtibus ædificijs. 12.

Quàm eſſet miſera conditio ſanctiſsimorum hominum, ſi quamdiu corpora, carent ſua *ſepultura*, Spiritus à diuino conſpectu prohiberentur? & errare inter mortales oporteret? cùm ipſorũ plurimi canibus obiecti? quidam in altiſsima maria demerſi? alij in rotas atque cruces acti, in eſcam ceſſerint feris terræ, atque volucribus cæli? quid quod quidam in cineres redacti, in ventos ſint diſperſi? 13.

Sed & neceſſe eſſet maximam errantium ſpirituum eſſe multitudinem. Neque enim pauci, aut olim ſunt reperti, aut noſtris temporibus reperiuntur; quibus *ſepulturæ* beneficium, vel ſuo, vel viuentium malo, aut iniquo caſu negatum eſt. Si verò omnium horum ſpiritus inter viuentes oberrarent, iiſdemque ob ſepulturam, qua carent, moleſti eſſent, nonne perpetuum cum mortuis eſſet bellum? 14.

Digitized by Google

15. Poſſent etiam ſummæ crudelitatis argui Magiſtratus Ciuiles atq; Eccleſiaſtici; dum quoſdam *Sepultura* volunt eſſe priuatos. An non ſumma inhumanitas, ne quid grauius dicatur, poſt alias viuentibus inflictas pœnas, ipſorum Spiritus cælo proſcribere ? omni quiete priuare.

16. Et ſi nulla ſpes quietis eſt Spiritibus, quamdiu *inſepulta* iacent corpora: nunquid ſemper miſeri erunt errones? Miſeria hæc quibuſdã omnino erit ſubeunda. quia ea quorundam corporũ eſt conditio, vt *Sepultura* ipſis nulla poſsit impendi, quamuis eſſent, qui impendere vellent & poſſent.

17. Quocirca errant, qui ſi quando ſibi defunctorum Spiritus moleſtos eſſe intelligunt, mox eorundem corpora Sepultura deſtituta exiſtimant. Multi poſſunt eſſe moleſti, qui & Sepulturam habent, & honeſtiſsimam habent. Errant, qui quorum cadauera norunt eſſe *inſepulta*, horum Spiritus exiſtimant inter viuentes oberrare. Multi *Sepultura* deſtituti ſunt, & inter mortales conſpiciuntur nũquam.

18. Vt igitũr ad id, quod præcipuum hîc caput eſt, reſpondeamus, *credi non debet hanc eſſe compendiariam rationem ſe expediendi ab omni Spirituum infeſtantium moleſtia: ſi beneficium Sepulturæ defunctorum corporibus impendatur.* Etiam quando conſtiterit *inſepulta* eſſe corpora illorum, qui moleſtias afferunt, à moleſtijs libertas non obtingit ipſis corporibus aut ſepultis, aut honeſtiſsima ſumptuoſiſsimaq; *Sepultura* donatis.

19. Moleſtantes Spiritus, de quibus noſtra eſt Diſputatio, quemadmodum Cap. 3. diximus, aut Dæmones ſunt: hi *Sepulturam* pro ſe expetent? aut hominum damnatorum: hos ad viuos, vt Sepulturam petant, redire non permittit Deus, ſeuerus in ipſos animaduerſor: aut purgandorum: his pro animabus, non corporibus cura eſt: nec redeunt, viuoſq; moleſtant, vt corporibus bene ſit, ſed vt à pœnis eripiantur animæ.

20. Negatum tamen *vniuerſim* non volumus, defunctorum Spiritus vel *Sepulturæ*, vel honeſtioris *Sepulturæ* nomine ad viuos redire quandoque. Sed proborum *plerumque*, & eorum; qui iam Deo fruuntur, illi ſunt Spiritus: quorum vt animabus ſummum iam bonum collatum eſt, ita corpora, vt honeſtiori loco habeantur, merentur. Exemplo hic ſunt Micheas & Abacuc Prophetæ, qui Sebeuno, Eleutheropoleos Epiſcopo, apparuerunt, & ſuis corporibus honeſtiorem *Sepulturam* petiuerunt. Gamaliel, qui idem pro ſe, atq; Protomartyre Stephano, & Nicodemo expedijt, à Luciano presbytero.

Digitized by Google

tero. Barnabas, qui hoc nomine ter moleſtus fuit Anthemio, Salaminę Epiſcopo. Zacharias Propheta, qui Calomerio: Thyrſus cum quadraginta Martyribus, qui Pulcheriæ Auguſtæ Theodoſij Imperatoris ſorori: atque alij; quorum mentionem facit Bozius li. 15. de Notis Eccleſiæ, ca. 6.

Sic nec *vniuerſim* negauerim eos aliquando, qui Purgatorio carcere detinentur; eos etiam, qui infernalibus cruciatibus ſunt addicti, *Sepulturam* poſtulare. Quid impedit, cur minus *Sepulturam*, quàm res alias, cùm ad viuos redeunt, expetant? præſertim cùm vtrique illam deſiderare poſsint: atq; alia etiam, propter quæ tamen ad viuos non redeunt, petant quandoque? 21.

Veruntamen vt hoc nomine *omnes*, qui *Sepultura* carent, ad viuos redeant, haud eſt veriſimile. multo minus, quòd vbi *Sepulturam* cõſecuti ſunt, viuentes moleſtare deſinant. Aliæ ſunt cauſæ, quas propter viuentium rebus inter ſunt Spiritus: vt aliâs à nobis explicandũ eſt. Itaq; ſi *Sepulturam* expetunt; aliquid præter ſuum officium præſtant. 22.

Et *iuſtius* hanc petere poſſunt ij, qui purgantur adhuc, quàm qui damnati ſunt. Neque enim conuenit, vt corporum horum melior ſit conditio, quàm Spirituum. At illorum corpora idcirco honore afficienda ſunt, quòd in ipſis digni pœnitentiæ fructus olim ſint perfecti: quòd domicilia fuerint Spiritus Sancti: aliquando etiam gloria atque ſplendore ſuper ſolis claritatem ſint decoranda. 23.

Quandocunque verò petunt, officium miſericordiæ præſtant viuentes, dum ipſis *Sepulturæ* beneficium impendunt, qualeſcunque etiam ſint Spiritus, qui expetant; ſiue illa ſint digni, ſiue indigni. Tum ſolùm prohibentur, quãdo eadem quidam, iuſtas ob cauſas, per Magiſtratum ſunt priuati, vt ſunt per Eccleſiaſticam cenſuram excommunicati; & qui ob flagitia in eſcam cedũt volucribus cæli, piſcibus maris, aut feris animantibus terræ? 24.

Ex his manifeſtum eſt, quid ad exemplum *Spectri*, quod, poſt exhibitam honeſtiorem *Sepulturam*, Plinius docet non redijſſe ad viuos, nec, vt ſolebat antea, moleſtiam eis attuliſſe, reſpondendum ſit. Vel enim priuatum eſt, & ſingulare; quod non probet omnes, quibus *Sepultura* negata eſt, illam excitatis tumultibus, apud viuentes, vrgere: vel, quod veriſimilius eſt, non humanus fuit Spiritus, ſed Diabolicus: qui quamuis poſt *Sepulturam* honeſtiorem moleſtus eſſe deſijt; non tamen *Sepulturæ* officium à viuentibus, ſed aliud quippiam quæſiuiſſe credendus eſt. Sed exemplum 25.

Plinij

Plinij verbis hic libet aſſcribere. Erat, inquit Athenis ſpatioſa & capax domus, ſed infamis & peſtilens. Per ſilentium noctis ſonus ferri, & ſi attenderes acrius, ſtreiptus vinculorum longius primò, deinde proximo reddebatur: mox apparebat Idolum, ſenex macie & ſqualore confectus promiſſa barba, horrendus capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatq́;. Inde inhabitantibus triſtes diræq; noctes per metum vigilabûtur. Vigiliam morbus, & creſcente formidine mors ſequebatur. Nam interdiu quoque, quamuis abſceſſerat Imago, memoria imaginis, oculis inerrabat longiorisq́; timoris cauſa timor erat. Deſerta inde & damnata ſolitudine domus, totaq; illi Monſtro relicta; proſcribebatur tamen, ſeu quis emere, aut quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodorus. legit titulum, auditoq; pretio, quia ſuſpecta vilitas, percon ctatus, omnia docetur: ac nihilominus, imò tantò magis conducit. Vbi cœpit aduefperaſcere, iubet ſterni ſibi in prima parte domus? Poſcit pugillares ſtilum, lumen. Suos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulachra, & inanes ſibi metus fingeret Initio, quale vbiq; ſilentium noctis, deinde cõcuti ferrum: vincula moueri. Ille non tollere oculos, non remittere ſtilum: ſed obfirmare animum, auribusq́; manum prætendere. Tum crebeſcere fragor, aduentare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri Reſpicit, videt agnoſcitq́; narratam ſibi effigiem. Stabat; innuebatq́; digito, ſimilis vacanti: hic contra, vt paululum exſpectaret, manu ſignificat, rurſusq́; ceris & ſtilo incumbit. Illa ſcribentis capiti catenis inſonabat. reſpicit rurſus idem quod prius innuentẽ; nec moratus tollit lumẽ, & ſequitur. Ibat illa lento gradu, quaſi grauis vinculis. Poſtquam deflexit in aream domus, repente dilapſa deſerit ſe mitem; deſertus herbas & folia concerpta ſignum loco ponit. Poſtera die adit Magiſtratus; mouet in illum locum effodi iubeant. Inueniuntur oſſa inſerta catenis & implicita; quæ corpus æuo terraq; putrefactum, nuda & exoſa reliquerat vinculis, collecta publicè ſepeliuntur, domus poſtea ritè conditis manibus caruit. Hæc Plinius li. 7. Epiſtolarum, Epiſt. 27.

CAP.

CAP. LXXXVII.

An ob cenſuram Excommunicationis Eccleſiaſticæ, quidam Spiritus errent inter viuentes, iiſque moleſti ſint: & ab ipſorum moleſtia libertas non ante ſperanda ſit, quàm ipſi à Cenſura fuerint abſoluti.

DE Vita & Miraculis S. Benedicti ſcribens B. Gregorius li. 2. 1.
Dialog. cap 23. refert fuiſſe duas fœminas, genere nobiles, religionem profeſſas; quibus ob incontinentiorẽ linguam *Excommunicationem* minatus ſit vir *Sanctus*: cum verò illæ à priſtinis moribus non recederent; poſt breue tempus mortuas, atque in Eccleſia ſepultas, diuina vltio ſequuta eſt, quam his verbis refert Sanctus Gregorius. *Cùm in Eccleſia*, inquit, Miſſarum ſolemnia celebrarentur, atque ex more *Diaconus* clamaret: qui non communicat, det locum: Nutrix earum, quæ pro ijs Oblationem *Domino* offerre conſueuerat, eas de Sepulchris ſuis progredi, & exire videbat. Quod dum ſæpius cerneret, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe communione ſe priuare dixerat, niſi mores ſuos, & verba corrigerent. Tum ſeruo Dei (Benedicto) cum graui mœrore indicatum eſt, qui manu ſua protinus Oblationem dedit, dicens: Ite & hanc Oblationem pro ijs offerri Domino facite, & vlterius Excommunicatæ non erunt. Quæ dum Oblatio pro ijs fuiſſet immolata, & à Diacono iuxta morem clamatum eſt, vt non communicantes ab *Eccleſia* exirent, illæ exire ab Eccleſia vlterius viſæ non ſunt. Hactenus Gregorius.

Simile quid apud Ioannem *Petrum* Maffeium Bergomatem legitur, lib. 5. Hiſtoriarum Indicarum, quod ipſius verbis aſcribimus. 2.
Per eoſdem, inquit, dies, vel ex intemperie cœli, vel ex inſalubrium ciborum ſucco atrox morbus naualem turbam inuaſit. Vulgo inter luſum, atque quotidiana miniſteria repente exſpirabant. In ijs miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit. Noctu quippe infra ſentinam, pulſus frequentes exaudiri cœpti. Quem ad ſtrepitum, cùm arrepta ſcapha vigiles deſcendiſſent, implexum carinæ ſub ipſo gubernaculo defuncti militis corpus offenderunt, ſcilicet pilus cunctis inhorruit. Vbi ex pauore collegêre ſeſe, res ad Na-

uarchum delata. Nec dubium fuit, q̃n cadauer translatum in littus humo contegerent, quo facto, poſtridie ſuper ipſum ſepulchrum rurſus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cũcti, cùm apud ſe cauſam exquirerent, Franciſcus denique, incertum ex qua familia, Monachus, qui concionatoris munere fungebatur: ſagaci coniectura ſuſpicatus eſt, hominem aliquo Interdicti vel Anathematis vinculo conſtrictũ è vita exceſsiſſe. Itaque in terram egreſſus, ſanctiſsimi viri Benedicti abbatis exemplo è Pontificia Formula cõceptis verbis, animum demortui ritè expiauit, ei veniam precatus eſt. Mirum dictu ab eo myſterio reddita mortuo pax, & vaga oſſa tandem in ſuo tumulo quieuere. *Hæc Maffeius.*

3. Addo aliud ex Glyca, part. 4. vbi ſic habetur. In Hiſtoria Eccleſiaſtica Philonis hiſtorici reperitur, quodam perſecutionum priſcarum tempore, ſeniori Eccleſiaſtico, ab Antiſtite, ſacris interdictum fuiſſe. Cùm autem ſenior ille quandam ob cauſam neceſſariam alio profectus fuiſſet; accidit vt ab Ethnicis comprehenſus, teſtimonio ſuo veritatẽ obſignaret. Hinc templũ eo loco conditur, & renoualia peraguntur: cumq; Antiſtes hęc verba pronũciaret, PAX VNIVERSIS, ſandapila templo exceſsit: idque non ſemel, ſed bis terue factũ. Hinc per quietem Antiſtiti ſenior oblatus: abito, inquit, & Epiſcopo meo ſis author, vt huc veniat, meque vinculis exſoluat. Nam officio me ſacro excluſit: ideoque ſacris intereſſe vobiſcum nequeo. Teſtimonij quidem coronam conſecutus ſum: ſed Dei faciem nondum cõſpexi. Quod ſi me ipſe profectus huc nõ exſoluerit, alius exſoluere nemo poterit. Cùm igitur his obtemperatum eſſet, ſandapila tẽplo excedere deſijt. Ita Glycas.

4. Ex his ſimilibuſque exemplis quidam, vt videtur non ſine ratione in illam ſuſpitionem veniunt; vt credant eos, qui cum *Excommunicationis* ſententia, ex hac vita diſcedunt, quietem nullam habere; & inter mortales verſari; donec ab eadem, per legitimum Magiſtratum, abſòluantur. Quæ ſententia quid probabilitatis habeat, ex *quatuor* quæſtionum reſolutione clarum erit. Prima quæritur, Vtrum *Excommunicationis* cenſura in viuentes prolata, ijs obſit mortuis. Secunda, Vtrum ita obſit, vt errare ipſos inter mortales ſit neceſſe, in quos prolata eſt. Tertia, Vtrum beneficium abſolutionis ipſis poſſit impendi. Quarta, Vtrum quamdiu illud impenſum non fuerit, quiete optata frui nequeant. Singulas breuiſsimè expedimus.

5. Initio verò id conſtitutum ſit *Cenſuram Excommunicationis plurimum viuentibus obeſſe. Nihil ſic*, inquit B. Auguſtinus Tractatu 27. in S. Ioan-

Ioannem, debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius. Si non eſt membrum eius, non regitur Spiritu eius, Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, Rom. 8. Spiritum Dei non habet, hic non eſt eius.

Sed obeſtne defunctis? Hoc primum eorum, quæ in quæſtione propoſita ſunt. *Obeſt omnino*, & quidem in corpore, in honore, in anima. In corpore; quia honeſta illud priuatur *Sepultura*. In honore; quia hic haud parum læditur. In anima; quia viuorum ipſi ſubſidia atque ſuffragia, quorum non paruæ vires, ſubtrahuntur. 6.

Vtrum quoque ſic obeſt, vt defunctos inter viuentes errare ſit neceſſe? Hoc ſecundò explicandum. Reſpondetur verò *hoc neceſſe nõ eſſe*. Poſſunt, qui hoc *Anathematis* vinculo conſtricti, ex hac vita diſcedunt, meritis ſuis ita exigentibus mox ad ciuium ſupernorum cõſortia admitti. Poſſunt infernalibus carceribus, aut purgatorijs locis concludi, & omnis ipſis ad viuos reditus prohiberi. Habeat magnas vires etiam in mortuos *Excommunicatio*; vt à proprijs, & quæ quis meretur, locis excludat, non habet. 7.

Veruntamen negandum non eſt, quin ijdem poſt fata quandoq; viuentibus appareant, moleſtiamque pariant. Perſuadent hoc primùm allata iam à nobis exempla. Deinde diuinę prouidentię diſpoſitio, quæ cùm alijs rationibus, tum etiam his demõſtrare poteſt, nõ contemnendam eſſe, qua in contumaces atque rebelles Eccleſia vtitur, *anathematis* ſententiam. 8.

Hinc iam ad tertiam quæſtionem facilis reſponſio. *Poſſe*, ſcilicet, *ijs beneficium abſolutionis impendi.* Vtroque enim Eccleſiaſticæ cenſuræ poteſtas demonſtratur: & hoc, quòd cum ea ſepulti requie videantur carere: & illo, quod abſoluti, requie optata perfruantur. 9.

Interim tamen abſolutionis beneficium *non hoc per ſe præſtat defunctis, vt quiete fruantur, & errare deſinant*, ſed vt ſuffragijs viuorum iuuentur; & à pœnis citius eripiantur, quæ alioquin diuturniori tempore, perſoluendæ eſſent. Quod ad quartam quæſtionem reſponſum volumus. Hæc breuiter omnia. 10.

CAP. LXXXVIII.

Quænam ratio ſeruanda ſit in locis, à Spirituum infeſtationibus vindicandis, quando, per quos Spiritus loca ſint infeſta, ignoratur.

1\. QVæ hactenus Rationes, à Spirituum infeſtatione loca liberandi, aſsignatæ ſunt, illæ tum locum habent, quando, contra quos Spiritus pugna ſuſcipienda eſt, non ignoratur. Quoniam verò haud rarò vſu venit, *vt conditio moleſtantiū Spirituum lateat*, quomodo ab horum moleſtia ſe expedire viuentes poſsint, explicandum eſt.

2\. Sunt qui prædictas Rationes etiam hîc valere volunt; propterea, quod quicunq; moleſti ſunt; illi vel Dæmonum ſint Spiritus; vel hominum, partim damnatorum; partim purgandorum. Veruntamen non rectè hi ſentire videntur. Quid enim, ſi ijs modis vtaris, quibus profligantur Dæmones; Spiritus verò, qui moleſti ſunt, ſint hominum, qui purgatorijs ignibus expurgantur? Sic poteſt accidere, vt cùm Rationibus velis vti, quibus iuuantur pię defunctorum animæ; Dæmones ſint, qui moleſtiarum ſint authores; quos contra rationes illæ nihil poſſunt.

3\. Quocirca illorum ſententiam non probarem; qui *mox*, vbi de locis infeſtis vindicandis conſilium capitur, ad *Exorciſmos* confugiunt, atq; ita locis Spiritus putant proſcribendos, vt ipſis, præter Infernum, locum relinquant nullum. Quamuis enim hac ratione perſæpe loca purgentur; ſuo tamen ſubſidio quidā Spiritus priuantur; quod cùm viuentium magno emolumento, ipſis poſſet impendi, ſi alijs modis contra Spiritus ageretur.

4\. Placet magis illorum ſtudium, qui *ſuauioribus rationibus* rem aggrediuntur: ijs ſcilicet, quibus piè defunctorum Spiritus iuuantur. Eſto rationes hæ non omnibus Spiritibus proſint, poſſunt tamen quibuſdam prodeſſe *defunctis*: viuos verò non minus, imò magis, quàm alia miſericordiæ in proximos collata beneficia iuuant.

5\. Et *viuis illa prodeſſe* (etiam ſi ad defunctos nullum emolumentum perueniat) nemo poteſt dubitare. Nunquid non magna vis Eleemoſynæ? nullo prauo fine, ſolùm miſeros iuuandi ſtudio

ſuſcep-

ſuſcepta? A quocunq; illa ſuſcipiatur, eandem habet; Deumq́; propitium & facilem reddit: ſuſcepta verò ab ijs, qui Chriſti gratia ſunt imbuti, maioribus arctioribuſq; rationibus Deum hominibus deuincit.

Sic *defunctis poſſe prodeſſe* clarum eſt. Quia poteſt eorum aliquis, 6.
qui purgatorijs pœnis expiatur, & ad cœlorum regnum aptatur, viuentibis moleſtus eſſe: qui vt ſpe obtinendi ſubſidij moleſtus eſt; ita non fruſtra, ſed magno ſuo lucro moleſtus eſt, ſi viuentium ſubſidio aliquo iuuatur.

Fortè crimen eſt, ſi pro damnatis Spiritibus, quales etiam hîc 7.
moleſti eſſe poſſunt, hæc fiant & adhibeantur præſidia. Eſt crimen; ſi qui hæc ſubſidia Spiritibus impendunt, damnatorum credunt eſſe Spiritus, qui moleſtant, & pro quibus ſubſidia impendunt. At quamdiu hoc ignoratur; non crimen; ſed officium charitatis eſt; quodcunque impenditur obſequium.

Hæc cùm ita ſint, vt quod hoc Capite propoſitum eſt, definia- 8.
mus, in hac ignotos Spiritus profligandi Ratione, *principio ad Orationem, ad Miſſæ ſacrificium, ad Eleemoſynas, aliaq́; pietatis opera*, quibus piè defunctorum ſpiritus iuuantur, *iudicarem animum cogitationesq́; conuertendas*: & quidem; ſi poſt hæc vexatio atque moleſtia ceſſaret, de quiete nobis congratulabimur: ſin minus; de alio armorum genere conſilium ineundum.

Verùm non *ſtatim* officium hoc deponendum; nec *mox* pietatis, 9.
quæ diximus, & miſericordiæ præſidia relinquenda. Quid enim, ſi hæc admodum ſint leuia? quid ſi pluribus aut ijſdem ſæpius iteratis ſit opus? Docet experientia, ſæpe poſt tertiò atq; ſextò adhibita pietatis ſubſidia vexationem eſſe ſublatam: quæ poſt prima, atq; ſecunda tolli non potuit.

Non ea Spirituum, qui pro peccatis pœnas ſuſtinent, eſt con- 10.
ditio; vt quibuſuis, etiam *leuibus*, viuentiū ſubſidijs iuuentur. Ratione peccatorum, quæ commiſerunt, pœnas ſuſtinent: quæ quemadmodum nunc ſunt maiora, ita maioribus ſupplicijs expianda; ita maioribus viuentium ſubſidijs redimenda. *Si quibuſuis* viuentium Suffragijs ſoluerentur defuncti; fruſtra aliquot annorum Suffragia fieri peterent, qui piè in Domino moriuntur. fruſtra Hagulſtaldenſis Eccleſiæ fratres, ſingulis annis pridie; quàm Oſvvaldus Anglorū Rex occiſus eſt, pro eius anima ad Deum preces funderent: vt fundunt teſte Beda, lib. 3. Hiſtoriæ Anglicanæ, de geſtis Oſvvaldi. fruſtra Eccleſia pro ijs anniuerſaria ſacra celebraret; pro quibus, iam ante centum, & ducentos annos, illa celebrata ſunt.

Digitized by Google

11. Quando deinde dicta pietatis ſubſidia *non iuuant*; *tum Rebus conſecratis, erecta Cruce, ſuſpenſis Sanctorum Reliquijs, contra ſpiritus pugnandū eſt.* Hæc arma bonis Spiritibus non obſunt. Hæc malis, quales eſſe præſumuntur illi, qui prioribus rationibus non iuuantur, horrori ſunt, & deteſtationi. vt ob id ſpes ſit, propter hæc, ipſos ſedes ſuas mutaturos.

12. Quid ſi nec his pellantur? *Adhibeantur Exorciſmorum machina*; Adiurationes atq; Execrationes; & quæcunq; Dei ordinatione contra Spiritus vim aut poteſtatem habent. Nihil nimis inhumanum, nihil nimis crudele, contra hos Spiritus poteſt adhiberi.

13. Neque *mox* abijciendus eſt animus, ſi quod petimus, non ſtatim conſequamur. Sæpius tentandi Spiritus, ſæpius impreſsio facienda. Quemadmodum non ex hominum corporibus vno atq; altero Exorciſmo, ita neque ex Locis deturbantur. Quædam non relinquunt niſi importunis viuentium Exorciſmis & coniurationibus *fatigati*.

CAP. LXXXIX.

De efficacitate omnium prædictorum Modorum, & quas ob cauſas non ſemper ſperatos fines conſequantur.

1. MAgnas eſſe vires *Modorum omnium*, quibus contra quoſcũque ſpiritus, Spirituumq́; quas afferunt, moleſtias depugnatur, ex dictis vtcunq; manifeſtum eſt. Sortiuntur quoq; ſuos, quos viuentes ſperant, effectus, haud rarò. Vtrum verò *ſemper*? Hoc inquiramus. Nec hoc ſolum, verùm etiam, *quibus de cauſis*, ne ſemper conſequantur, accidat, exponamus.

2. In priori opus eſt diſtinctione Spirituum. Neq; enim hic eadem videtur eſſe bonorum, ſiue purgandorum ratio, & impiorum, atq; inprimis Dæmonum. Pro illis non *fruſtra*, à viuentibus ſuſcipiuntur pietatis officia. apud hos aliquãdo *parum* efficiunt, quæ alioquin *per ſe* efficaces ſunt Rationes.

3. Prius vt dicamus; ipſę nos inducunt moleſtiæ, ab *his Spiritibus*, viuentibus allatæ. Cùm enim ſingulari Dei prouidentia, atq; bonitate fiat, vt ad viuos hi ſpiritus redeant; & hoc ferè nomine ſemper redeant, vt viuorum ſubſidijs iuuentur, quis dubitabit adiutum iri miſeros, ſi quas ipſi pœnas ſuſtinere debēt, in ſe viuentes ſuſcipiant? & Chriſtianæ pietatis officijs pro ipſis, veluti vnius corporis membra, ſatisfaciant?

Quo-

Quocirca horum Spirituum quoſdam ita certis locis eſſe affixos, vt ad extremum iudicij diem, aut etiam ad aliquot ſæcula ibidem debeant expiari, & *nullo* poſsint viuentium ſubſidio iuuari, vix credi poteſt. Quamuis enim quidam, vt quàm diutiſsimè crucientur, meruerint; nulli tamen à Chriſti corpore exciderunt: quapropter, vt membra membrorum, ita mortui viuorum poſſunt opera iuuari, illi præſertim, qui locis, vbi expiantur, mortalibus ſunt moleſti. 4.

Apud *poſteriores*, damnatos, inquam ſpiritus, expurgandi loca aſsignatæ Rationes, quandoque, fallunt. Nec nouum hoc. Etiam Apoſtoli, quibus plena ſuper Dæmones poteſtas fuit collata; poteſtate ſua quandoq; nihil profecerunt. De illis quidam, quod filij *obſeſsi ſanitatem*, per ipſos conſequi nequiuerit, apud Dominum conqueritur. Marci 9. 5.

Neque in præſenti negotio hic exempla deſiderantur. Scimus quædam loca nec poſt plurimas grauiſsimasq; machinas potuiſſe expugnari. Scimus quibuſdam mortalibus perpetuum cum infeſtantibus Spiritibus fuiſſe bellum. Deſperatæ forſitan illi fuerunt ſalutis. Fuerunt aliqui: ſed quidam etiam integerrimorum morum, vitæ probatæ, & qui Deo, ob inſignem virtutem; chari eſſent. 6.

Sed quæ *huius rei Cauſa*? Non eædem apud damnatorum hominũ ſpiritus; & apud Dæmoniorum. Nec mirum, quia nec *eodem modo*, vtriq; rebus viuentium interſunt, ipſosq; moleſtant. Interſunt damnatorum hominum ſpiritus inuiti & coacti. Interſunt ſpiritus Dæmoniorum lubentes & ſpontanei. Quapropter illi, ſi poſſent, *mox* fugam capeſcerent, ad primam vim, vel Adiurationis vocem: hi ſi poſſent, diſcederent *nunquam*. 7.

Hinc fit, vt non ex voluntate damnatorum hominum *Cauſæ* petendæ ſint, cur adiurati loca infeſta non deſerant, & viuentibus pacem permittant; ſed illius, cuius imperio ipſi ad viuos coguntur redire. Contrà, quod Dæmones adiurati non cedant; hoc ex ipſorum, atq; eius, cuius permiſſu vexant, voluntate pendeat. 8.

Non cedunt adiurati damnatorum hominum ſpiritus *ſemper* locis infeſtis; non pacem concedunt viuis. *Cur?* Quia non ſemper eoſdem cedere vult Deus. Non cedunt, nec infeſtare deſinunt *ſemper* adiurati Dæmones. *Cur?* Quia cedere recuſant, nec vt cedant permittit Deus. Sola igitur *Dei voluntate* fit, quod effectus ſuos machinę, quibus contra moleſtias infeſtantium ſpirituum pugnatur, & fines ſuos non conſequantur apud damnatorum hominum ſpiritus: *Dei* 9.

& Dæ-

& Dæmonum voluntate fit, quod non conſequantur apud Spiritus Dæmoniorum.

10. Et quæ *Cauſæ DEVM* hîc poſſunt mouere? Duæ potiſsimum. Altera ex Spirituum infeſtantium culpa; altera ex hominum, qui ipſorũ moleſtias perpetiuntur, delicto ſumitur. Cùm enim nunc viuorum delicta has moleſtias mereantur; nunc defunctorum Spiritus digni ſint, vt contra ſuam voluntatem, ad maiorem ipſorum contumeliã, has inferant; quis non intelligit; etiam poſt legitimas machinas adhibitas, quibus alioqui tolli ſolent, eaſdem non oportere tolli? ſi nec viuorum hominum, nec defunctorum horum Spirituum peccata ſint æquis moleſtijs vindicata?

11. Cæterùm quòd *Dæmones* iiſdem machinis non ſemper vincantur, nec cedãt; partim ex ipſorum pendet *voluntate*; partim ex *diuinæ prudentia* iuſtis rationibus. Quemadmodum ipſorum propria, & Dei voluntate fit, quod viuentibus moleſti ſint, locaque infeſtent; ita ex Dei atque propria voluntate eſt, quòd adiurati à moleſtijs non deſiſtant.

12. *Ipſi* difficulter cedunt; quia malis atque miſerijs mortalium plurimum recreantur. quę cum his moleſtijs creſcant, qualcunque poſſunt, malunt potius ſuſtinere impreſsiones, quàm aut loca, quæ infeſtant, deſerere, aut hominibus, quos moleſtant, pacem concedere.

13. At *diuina prouidentia* alijs rationibus mouetũr. Ipſi vel *malum* eorum, qui moleſtias ſuſtinent; vel *bonum*, quod ex moleſtia infeſtantium Spirituum, tam hi, quàm alij poſſunt colligere, propoſitum eſt. Malum cedit ad vindictam peccatorum: bonum ad augmentum ferè coronæ immortalitatis & gloriæ.

14. Vindex eſt Deus *ſcelerum*, & non futuro tantùm ſæculo, vbi vindictæ proprius locus; verùm etiam in præſenti. Neque hîc vna ipſi ratio vindictæ ſuppetit; ſed multiplex. Interque eas, illa quoque locum habet, qua per Dæmonum carnificinam pœnas ſcelerum exigit. Quòd ſi igitur per infeſtantes Spiritus ſcelera vindicare decreuit; à viuentibus quidem machinæ contra infeſtationes adhibebuntur; ſed quiete optata illi minimè perfruentur, Deo hac Dæmonum carnificina mortalium delicta vindicante.

15. Eoque minus machinæ hæ promouebunt, quò *iuſtius* his rationibus peccata vindicabũtur. Iuſtiſsimè verò vindicari cui dubium eſſe poteſt? Quamuis enim quæuis peccata, quibuſuis ſupplicijs vindicare valeat; quædam tamen ſunt, quæ vt per Dæmonum moleſtias vindi-

vindicentur, magnæ rationes moueret. Vide cap. 17. huius Diſputationis.

Quod ſi peccata eorum, qui moleſtias ſuſtinent, cauſa non ſunt, cur ſuos fines non velit conſequi adhibitas machinas; nihilominus iniuſtitiæ redargui non debet Deus Opt. *Max.* Sæpe in mortales animaduertit? nullis ipſorum meritis exigentibus, quemadmodum, vt alios omittam, & ſuo exemplo, & ſua oratione copioſiſsimè docet Sanctiſsimus Iob, vir iuſtus & ſimplex, & diuino oraculo commendatus. 16.

Atq; tum *bonum* egregium propoſitum eſt Deo, inprimis quidem *illius*; in quem animaduertit: tum *aliorum*; qui huius exemplo inſtrui poſſunt. *Illius* quidem: quoniam vexatio hæc ad cumulum cedit maioris gratiæ, & gloriæ: vt taceam, quod à peccato auocet, & Deo magis coniungat. *Aliorum* verò; quia hoc proborum exercitio ad mentem redeunt: de futura vita cogitant; à peccatis deſiſtere diſcunt; colliguntq; grauiſsimè aliquando in ſe, niſi reſipiſcant, vindicanda delicta: quando etiam in amicos ſuos grauiter animaduertere Deum cognoſcunt. 17.

Adde dictis, aliquando nec malum eorum, qui moleſtias ſuſtinent, nec tam horum, quàm aliorum, quod exſpectari poteſt bonum, ſed *Miniſtrorum delicta*, qui Dæmones ſedibus his proſcribere tentant, in cauſa eſſe; cur *fruſtra* hæ machinæ adhibeantur. Qui in oppido Schiltach ſibilo moleſtus fuit, oppidumq; tandem incendit (de quo Theſi 8. cap. 19.) *Exorciſmos* contemnebat; quòd Exorciſtæ furti, ſacrilegijq; criminibus eſſent infames. (Vide Cardanum lib. 19. de ſubtilitate) Quemadmodum in rebus alijs, ita in hoc arduo Dæmoniorum ſpiritus exigendi negotio, haud parum poſitum eſt in cauſis agentibus. 18.

NOTATIO IN SEQVENTIA Capita.

HActenus proſecuti ſumus Modos, quibus Loca per ſe infeſta, vt vocauimus, ſecundo Capite noſtræ Diſputationis, à Spirituum moleſtia & infeſtatione liberari valeant: diſcutiendum in poſterum erit, quibus rationibus homines iuuemus, qui vbique ſuos perſequentes patiuntur ſpiritus: Sed initio definiendum,

dum, Aliane hæ ſint à prioribus illis modis. Sit igitur.

CAP. LXXX.

An iiſdem rationibus, contra ſpirtus, qui certos homines, vbicumq; etiam degant, perſequuntur, agendum ſit: quibus oppugnantur illi, qui loca certa infeſtant.

1\. AD propoſitam Quæſtionem breuis eſt reſponſio. Quæritur, *An* ad liberandos à moleſtia homines, eos, qui vbiq; patiuntur perſequentes Spiritus, eædem rationes efficaces ſint, atq; ſufficiant; quas plurimum valere in Locis *per ſe* infeſtis hactenus docuimus. Reſpondetur *Non ſufficere*. Ratio in promptu eſt, quia longè alia illorum locorum, quàm horum cōditio. In *per ſe* infeſtis Spiritus ſua quaſi domicilia habent; & locorum quidam quaſi ſunt Domini, & poſſeſſores. In his, *propter homines*, infeſtis, veluti hoſpites verſantur; & ob id cum ipſis hominibus; quos perſequuntur, ſedes ſuas mutant; quas in prioribus illis retinent.

2\. Itaque contingit, vt quamuis fortè hoc, vel illo loco proſcribantur Spiritus *ijs rationibus*, quas ſuperius, ad profligandos Dæmones valere diximus, atq; *hoc vel illo* loco viuentes, qui eos ferre debent, tuti ſint, & à moleſtia liberi, rurſus tamen in eaſdem moleſtias incidant, quam primùm alijs locis, quibus Spiritus proſcripti non ſunt, inueniuntur.

3\. Omnino in poſterioribus his locis propoſitum eſſe debet, vt Spiritibus non tam ad *loca*, quàm ad *homines*, quos perſequuntur, acceſſus prohibeatur. Nec enim tam *locorum* hîc, quàm *hominum* rationem habent Spiritus. Nec nobis igitur tam cogitandum, qua ratione *loca* reddamus tuta; quam qua ratione, ne *hominibus*; quibuſcunq; etiam locis degant, detrimentum afferatur, cautum ſit.

4\. Porrò *vna* & ſimplex ratio hæc non eſt. Et quid mirum? Vna non eſt hominum, qui moleſtias Spirituum ſuſtinent, conditio. Pro cōditione hominum, alia atq; alia ratio inſtituenda videtur.

5\. Quotuplex igitur eſt? Duplex omnino. Quia duo hominum ſunt genera, qui perſequentes Spiritus ſuſtinent. Vnum *improborum*, qui

qui ob peccata, in quibus degunt, hanc Spirituum ſuſtinent carnificinam: Alterum *proborum*, qui nullis ſuis meritis exigentibus, pro Spirituum libidine, magno diuinæ prouidentiæ conſilio, ipſorum inſultibus expoſiti ſunt. Alia hi, alia illi ratione iuuantur. & *qua* vtrique? Hoc ſequentibus examinandum. ſi tamen id dixerimus prius, Rationes quas hîc præſcribimus, contra *malos* Dæmonum præcipuè *Spiritus* (qui maximè infeſti eſſe ſolent) valere.

CAP. XCI.

Qua ratione à moleſtia Spirituum liberi eſſe poſſunt, qui propter peccata, quæ commiſerunt, ipſorum infeſtationes ſuſtinent.

FAcillima viditur illa eſſe ratio; qua, qui *propter peccata* Spirituum infeſtationes patiuntur, ab ipſorum ſe moleſtia vindicent. *Expediant ſe à peccatis, & de liberalitate ſibi gratulentur.* Si enim hoc ſolo nomine moleſtias Spiritus ferre neceſſe eſt, quia peccatis ſunt impliciti; nonne ſi à *peccatorum laqueis* ſe expediuerint, ſoluti erunt Spirituum moleſtijs? & ceſſabit effectus, ceſſante cauſa, à qua ille dependet? 1.

Principio igitur omnino hi inducendi ſunt, vt à *peccandi conſuetudine deſiſtant*, vitamq; in melius commutent: ſintq; ſeduli in virtutũ ſtudio, qui in cœno volutati ſunt vitiorum, quibus in miſeram ſeruitutem Spirituum peruenerunt. 2.

Veruntamen ſatis hoc non eſt. Non ſufficit à peccandi conſuetudine deſiſtere. Ipſum etiam *peccatum* (quod in anima ſuam quaſi ſedem habet) *radicitus extirpandum eſt*. Non enim infeſtantibus Spiritibus nos ſubijciunt ipſa tantùm, dum perpetrantur, peccata; verùm etiam *habitus*, quos poſtquam perpetrata ſunt, in anima relinquũt; à quibus tam neceſſe eſt animam expurgari, quàm ab ipſa peccandi conſuetudine deſiſtere. 3.

Hîc iam requiritur, & valet *dolor de peccatis perpetratis conceptus, vitæque in melius commutandæ propoſitum: & poſt hac ſacramentalis Confeſſio atque Abſolutio*; quam ſolam ſecundam tabulam relapſis Deus voluit eſſe. Et priora illa quemadmodum neceſſaria ſunt; ita, poſteriora ſi deſint, fruſtra exſpectatur peccatorũ venia; fru- 4.

ſtra à Dæmonum infeſtationibus libertas. Prætermittendum nullū aſſumenda omnia & ſingula.

5. Et hæc quidem omnia ad Spirituum horum moleſtias tollendas omnino ſunt neceſſaria. ſi ad ipſa accedat *Corporis & Sanguinis Domini, in venerabili ſacramento perceptio*, maior vis Spiritibus affertur: eoque difficilior ijs, videtur fieri ad homines acceſſus, quò pluribus maioribusque præſidijs iam ſunt armati. An fortè aut contra Dæmones arma non ſunt Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramenta? aut leuia ſunt?

6. Suaderem & horum ſacramentorum *frequentiorem vſum* his, qui moleſtijs Spirituum ob peccata expoſiti fuerunt. propterea, quòd Nequam, quam ſortiti ſunt ſemel, viuentes vexandi prouinciam; difficulter relinquant: vt ob id neceſſarium videatur ijſdem Mortales armis ſæpius inſtrui; quibus maiori victoriæ ſpe contra hoſtes depugnatur. His Rationibus contra infeſtantem Spiritum pugnauit infelix mulier, cuius ſequenti Capite mentionem faciemus.

7. Ad hæc, *virtutum ſtudium* poſtularem. Digniſſimum hoc, quoniam & nobis dictum illud Apoſtoli, Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Sed & virtutum ſtudium vehementer exhorreſcunt Dæmones. *Credite mihi fratres*, dicebat B. Antonius, teſte Athanaſio, in eius Vita, *pertimeſcit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, humilitatem, maximè autem ardentem amorem in Chriſtum Dominum.*

Quid quod fortè hoc etiam ſit neceſſarium? *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine*, inquit Dominus, Lucæ 11. *perambulat per loca inaquoſa quærens requiem. Et non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi; & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Quid hac parabola Dominus? ſignificat ex duobus Diabolum accipere cauſam, vt reuertatur in domum, vnde expulſus eſt: videlicet, ſi aut inueniat *vacuam*, aut *ſcopis mūdatam. Vacua* eſt domus eorum, qui contenti tantùm ſunt peccata depoſuiſſe, & de ſtudio virtutum ſolliciti non ſunt. *Scopis purgata* eorum, qui exterius tantùm virtutem colunt, & radicitus peccata non extirpant.

8. Hanc rationem contra Spiritus pugnandi non fruſtra aſſumi, pluribus exemplis doceri poſſet: nos vno contenti ſumus Catharinæ Virgi-

Virginis & Viduæ Sueuicæ, filiæ *S.* Brigittæ, quæ cum Neapoli agés, à quadam muliere, quæ nocturnas moleſtias graues à Dęmonio patiebatur, interrogaretur, quibus rationibus ſe ab ijſdem expedire poſſet: primum ſuaſit puram peccatorum *Confeſſionem.* aiebat enim *ob peccata in confeſſione celata plerunque idgenus illuſiones accidere.* Deinde *Peregrinationem* ad S Crucis templum; quæ nudis pedibus, & depoſito lineo induſio, cum humilitate, octo continuis diebus perageretur. Tertiò *Orationem dominicam atque ſalutationem Angelicam*, coram Crucifixi imagine in eodem templo ſepties repetitā. Complet mulier iuſſa, & vexatio ceſſat. Vide Surium, Tom. 2. in eius *Vita*, fol. 554.

Probarem quoq; vehementer; cum *Sanctorum omnium*, tum *præcipuè Proprij Angeli*, cui quiſque ab ortu natiuitatis, commendatus eſt, inuocationem atque tutelam. Huius enim inter alia haud poſtremum hoc officium eſt, vt contra inferorum poteſtates mortalibus ſit præſidio. Nec obſtat, quod, ſi naturæ vires attendas, quibuſdam Dæmonibus hic ſit inferior. quoniam quod natura negauit; gratia ſupplet: qua fit, vt omnibus omnino malis, etiam potentiſsimis, minimus inter bonos ſit ſuperior, quemadmodum alicubi poſt B. Auguſtinum, docet S. Thomas. 9.

Quòd ſi his machinis aduerſaria poteſtas Dęmonum non frangitur, nec à moleſtando & infeſtando his rationibus prohibentur, *alijs armis* tentandi eſſent; ijſdem, quibus *bonos & probos* homines; qui eorundem inſultus ſuſtinent, vtiliter poſſe inſtrui confidimus. Et quę illa, ſequens Caput hæc explicabit. 10.

CAP. XCI.

Explicantur Rationes, quibus à moleſtia & perſequentium Dæmonum infeſtatione, liberari poſſunt homines probi.

Quia ignorant Mortales, *odione an amore digni ſint*; quamdiu in corpore à Deo peregrinantur; idcirco etiam ijs, quos conſcientia ſceleris non arguit, ſi quando perſequętes Dęmones patiuntur, illis ante omnia Rationibus vtendum exiſtimarem, quibus diximus eos iuuari, qui ob ſua delicta Dæmonum carnificinam patiuntur. Neque enim nocet, ſi in peccatorum numero nos habeamus, quoniā *beatus homo, qui ſemper eſt pauidus*: nocet autem plurimum, ſi cum Phariſæo nos pro *iuſtis* venditemus. 1.

Digitized by Google

2. Addo quod, quamuis etiam eſſet probabile, nos in Dei eſſe gratia, & peccati mortalis nulla grauari mole; *hæc arma* aſſumi poſſent. quoniam non ob grauia ſolùm; verùm etiam ob *leuia peccata*, & perſequentes, & obſidentes Dæmones aliquando ſuſtinent viuentes. Docet hoc clarè de Dæmoniacis, à nobis data Diſputatio: vt idcirco, quemadmodum neceſſe eſt impios ſua peccata deponere, ſi à Dæmonum infeſtationibus volunt eſſe liberi; ita neceſſe ſit iuſtos, ſuos veniales relinquere defectus, atque næuos; propter quos moleſtias Dæmonum ſuſtinent.

3. Quemadmodum illis igitur, ita his à peccatis otium; Confeſsionis ſacramentum; vſum venerabilis Euchariſtiæ; virtutum ſtudium; tutelaris Angeli inuocationem; atque alia his ſimilia ſedulo commendarem *Quid ſi horum nihil iuuat*? Ad *alia* præſidia confugiendum. Quę *illa*?

4. Primum eſt *Oratio communis Eccleſiæ*, hoc nomine inſtituta. Valet illa à priuato quocunq; ſuſcepta plurimum: quantum valebit ab vniuerſa ſuſcepta Eccleſia? & ſuſcepta ex fraterna, quæ ſummopere Deo placet, charitate? ſuſcepta verò, pro homine, vt creditur iuſto? & quem maxima neceſsitas, cum ſumma humilitate coniuncta, ad communes preces implorandas cogit?

5. Deinde eſt Vſus *Rerum conſecratarum*: in primis cereæ illius Imaginis quam *Agnum Dei* dicimus; quam contra Dęmonũ inſultus valere & forma, qua conſecratur, demonſtrat, & his verſibus confirmat Andreas Fruſius:

> *Ille* (Pontifex) *preces recitat mira pietate refertas,*
> *Quas veteris ritus formula certa tenet.*
> *Poſtulat in primis ſacrati aſpectus vt Agni*
> *Agnum ad cæleſtem concita corda leuet.*
> *Vtq́ ſalutifera memores vitaq́ necisq́ue,*
> *Criminis & vitij noxia vincla terant.*
> *Hoſtis vt inſidias ſtygij ac certamina vincant,*
> *Diſcipulas mundi, carnis & illecebras.*
> *Aeterna vt fugiant diſcrimina cuncta ſalutis,*
> *Et ſupera nunquam deſtituantur ope.*

6. Sunt tertiò *Reliquiæ*, Quos *illæ* certis locis Dæmones proſcribere poſſunt; omnibus non poſſent? An minor harum hoc, quam quocũque alio loco vis atq; poteſtas? Si verò omnibus locis proſcribunt; nonne omnibus locis liberum conſtituunt, & reliquunt hominem, qui aliàs vbique perſequentes Dæmones patitur?

7. Poſtremùm præſidium in *Exorciſmis* ponerem. Quòd alijs rationibus

nibus non potuit, id fortè, hoc conficietur. Pro hoc mirabile exemplum eſt, quod ex Vita S. Bernardi hic ad longum placet aſcribere: In muliere accidit, quæ miſerrimè à Diabolo vexabatur; ſed iuſta ſua culpa. Apparuit illi Diabolus in ſpecie militis valde pulchri aſpectu, in amorem ſuum intus ſuggeſtione latenti, extra locutione blandienti, animum eius fallaciter inclinauit. Cumque aſſenſum mulieris obtinuiſſet, expanſis brachijs, pedes eius ſupra vnam manum ſuarum poſuit. altera verò manu caput eius operuit, ſibique eam huius fœderis ſigno dotauit. Illa quidem virum habebat ſtrenuum militem; ſed huius execrabilis commercij penitus ignarũ. Abutebatur ergo illa, etiam in eodem loco cubante marito, inuiſibiliter, impuriſsimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. ſeptimo verò anno confuſa eſt in ſeipſa, & expauit; tum propter colluuionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorẽ Dei, cuius iudicio ſingulis momentis timebat intercipi, & damnari. Confugit ad ſacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca ſancta, & Sanctorum implorat ſuffragia. ſed nulla ei confeſsio, nulla oratio, nulla eleemoſynarum largitio ſuffragatur. Quotidie, vt prius & importunius à Dęmone infeſtatur. Denique in publicum tantùm ſcelus effuſum eſt. Quo audito & cognito maritus eius contubernia execratur. Interea ad locum prędictum Vir Dei, Bernardus, cum comitatu ſuo venerat: cuius vt audiuit aduentum infelix mulier: ſe ad pedes eius tremebunda proiecit. Aperit ei, lachrymis perfuſa, horribilem paſsionem & ludificationem inueteratam, & quod ei nihil profeciſſent, quęcunq; feciſſet ſibi à presbyteris imperata. Addit ſibi ab oppreſſore ſuo aduentũ eius prædictũ & minaciter interdictum, ne ante eius veniret præſentiam: quia nihil ei prodeſſet: & ipſe recedente Abbate, qui fuerat amator, crudeliſsimus eius fieret perſecutor. Audiens hęc Vir Dei, blãdis verbis conſolatur mulierẽ, & de cęlo promittit auxilium. pręcepitq; vt die altera (iam enim nox inſtabat) confidẽs in Domino, reuertatur. Reuerſa mane, cum Viro Domini blaſphemias & minas, quas eadẽ nocte ab incubo ſuo audierat, retuliſſet. Ne cures, inquit Vir Dei, minas eius: ſed tolle baculũ hunc noſtrũ, & pone in lecto tuo: &, ſi quid poteſt, agat. Egit mulier quod iuſſum fuerat, & recubans in lectu ſuo, ſigno Crucis munita, iuxta ſe baculum ponit. Adeſt ille continuò: ſed nec ad conſuetum opus, nec ad cubile ipſum præſumpſit accedere: tamẽ minatur acerrimè, quod diſcedente Viro Dei, ipſe in eius ſupplicia reuerteretur.

Inſtabat dies Dominica, & voluit Vir Dei per edictum Epiſcopi populum in Eccleſiam accerſiri. Cumq; ipſa die populus maximus ad Eccleſiam conueniſſet: inter Miſſarum ſolennia, comitantibus Epiſcopis Ganfredo Carnotenſi, & Brictio Nannetenſi, ipſe ad ambonem conſcendit, & vt omnes, qui in Eccleſia erant, candelas accenſas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipſe cum Epiſcopus & Clericis faciens, inauditos Diaboli auſus publice apperuit: & fornicatorem ſpiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiã contra naturam ſuam, exarſerat, cum omnium fidelium, qui aderant, ſubſcriptione anathematizat; & authoritate Chriſti, tam ad illam; quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit acceſſum. Extinctis itaq; ſacramentalibus illis luminibus, extincta eſt deinceps tota virtus Diaboli: & mulieri poſt confeſsionem communicanti, nunquam poſtea apparuit inimicus, ſed irregreſsibiliter eliminatus aufugit. Hæc ex Vita D. Bernardi.

8. Magna hæc virtus *Exorciſmi*; ſed cuius ex ſanctitate Viri Dei vires non parum auctæ fuerunt. Eius, quo nos vtimur, etiam magna virtus; ſed non tanta, ſemper, quanta illius: quod in ſanctitate Exorciſtæ noſtri multum S. Bernardo cedant: quò fit, vt noſter optatum effectum non ſemper conſequatur. Quod dum fit, perſecutio Spirituum patienter ſuſtinenda: & ferendum, quod emendari non poteſt: & ex neceſſitate facienda virtus.

CAP. LXXXXIII.

Communis quædam ratio, qua à perſequentium damnatorum Spirituum moleſtia, tam probi, quam improbi liberantur.

1. PRæter bipartitam iam, duobus præcedentibus Capitibus, explicatam Rationem, qua improbitatem Spirituum declinant tam mali, qui in peccati vindictam, illam ſuſtinẽt; quam pij, qui ob virtutis exercitium; alia quædam datur, quæ vtriſq; ex æquo ſeruit, cuius licet vires tantæ non ſint, quantæ priorum; hic tamen quid poſsit, explicandum eſt.

2. *Tribus* videtur illa modis conſtare. Vnus à *loco* petitur. Alter ab hominum *ſocietate*. Tertius à *lumine*. Certa quædam ſunt loca (*templa* puto) quibus ſi, qui perſequentes ſuſtinent ſpiritus, inueniantur, vt Plurimum ſunt tuti. Sunt vt plurimum tuti, ſi *ſoli* non agant, ſed ſocieta-

ſocietate gaudeant aliorum. Deniq; ſi *tenebras* fugiant, & in *luce* verſentur.

Quod dicimus, eorum confeſsione didicimus, qui moleſtantes Spiritus ſunt paſsi. Hi requiem ſe in locis Deo conſecratis; in hominum ſocietate; & clara luce habuiſſe, non ſemel profeſsi ſunt. Sed nec horum nobis teſtimonio deſtitutis, rationes deſunt atque argumenta. 3.

Declinant hi Spiritus *Templa*; quia morum & omnis pietatis ſunt ſcholæ: quia Imaginibus, atque Reliquijs inſtructa ſunt: quia Chriſti venerabile corpus, ſub ſpeciebus panis continent: denique, quia per conſecrationem ab Epiſcopo factam, omnis ipſis aditus ad illa eſt præcluſus. 4.

Et *multitudinem* declinant. ferè tentant & moleſti ſunt ſolitarijs. plurima pro hac re ſunt exempla. Clariſsima verò duo; Euæ, primæ omnium parentis: atque Chriſti Saluatoris: quorum hunc in deſerto, illam in paradiſo aggreſsi ſunt: Vtrumque, cùm ſolus ageret. 5.

Fugiunt quoque *lucem*. Quid mirum? principes ſunt tenebrarum: à Deo, qui lucem inhabitat inacceſsibilem, longè receſſerunt: gaudent operibus tenebrarum ad exteriores inferni tenebras deſtinati. 6.

Veruntamen, vt diximus, non *tanta vires harum machinarum*, quãtæ illarum, quarum ſuperius mentionem fecimus. Duobus modis hæ ab illis differre videntur. Primò, quòd ad tempus tantum libertatem à moleſtia tribuant. Deinde, quòd non ita, vt priores illæ, ſint certæ. 7.

In prioribus hoc propoſitum, vt Spiritibus acceſſus prohibitus ſit, atque ab omni moleſtia liberi ſint viuentes. In his neque hoc eſt propoſitum; neque ſi propoſitum eſſet; aut ſperare, aut exſpectare poſſunt viuentes. 8.

Fallunt quoq; poſteriores hi modi. Sunt Spiritus quidam, qui etiam in *luce meridiana* ſunt moleſti. Sunt qui nec, quantumuis magnã hominum verentur *multitudinem*. Sunt qui *templis* vix abſtinent. Exempla omnium aliâs dedimus. 9.

Finis Tertiæ Partis de Locis Infeſtis.

LIBELLVS

DE TERRIFICATIONIBVS NOCTVRNISQVE TVMVLTIBVS, QVAE HOMINVM MORTES PORTENDERE SOLENT.

CVm argumento de Locis infeſtis communes eſſe videntur ſtrepitus nocturni, atque terriculamenta, quæ quorundam mortẽ præire, & indicare ſolent Quocirca non abs re fecerimus: ſi de horũ authore, et finibus pauca dicamus: modũ etiã, quo illa fiunt, & tempora atq; loca, quibus fiũt, expoſuerimus. Nã excitari hos ſtrepitus, et hominibus haud rarò his timorem incuti, nemo poteſt dubitare. Tot horum præbet exempla quotidiana experientia, quot ſufficere poſſunt, ad hanc rem non doctis ſolùm, et literatis hominibus, verùm etiam, rudi populo perſuadendam.

CAP. I.

Inquiritur Cauſa Efficiens nocturnorum terriculamentorũ, quæ mortis ſolent eſſe indicia: & oſtenditur illa non fieri vel à Deo, vel ab eorum animabus, quorum mortem ſignificant.

1. DIfficilis res definire, quænam horum Tumultuũ, & Terrificationum Cauſa Efficiens ſit, quiſve author. Sed quamuis difficilis; non tamen impoſsibilis. Forſitan verum au-

thorem

thorem inueniemus, ſi prius, à quibus fieri non poſsint demonſtrauerimus.

Primum omnium certum eſt, ab *aliquo* fieri. Quæcunque enim 2.
fiunt, cùm ſui ipſorum cauſæ eſſe nequeant; omnino oportet, aliquid præter ſe habeant, quodcunq; tandem illud ſit, quod ipſorum cauſa ſit, ipſaq; efficiet. Habebunt igitur & hi Tumultus aliquam ſui Cauſam.

Quam verò ipſorum Cauſam afferemus? à quo tumultus hi fieri 3.
dicendi ſunt? Neceſſe eſt aut à rebus corporeis, aut ab incorporeis proficiſci. Neque enim video quidnam hic tertium admittere debeam.

Porrò in rerum incorporearum genere gradus ſunt plures. Atq; 4.
vt ab imperfectioribus initium ſumatur. ſunt hîc hominũ ſpiritus, tam viuentium, quàm vita defunctorum. ſunt Angelorum, tam bonorum, quàm malorum. Et, qui omnium Spirituum pater eſt, *Deus* Opt. Max.

Hos gradus inter res corporeas diſtinguere *hic* neceſſe non eſt. 5.
Quamuis enim inter ipſas multi ſint, quemadmodũ & inter incorporeas; ad Tumultus tamen hos excitandos nihil faciunt, quæcunq; ad gradus hos, quomodocunq; etiam reuocantur. Si quid in genere rerũ corporearum eſt, cui hos Tumultus & Terrificationes tribuere debemus, erunt Homunciones quidã (fortè *Lares domeſticos* bene dixeris) qui inter hominẽ atq; brutũ à quibuſdam medium quiddã dicuntur, & nec homines verè ſunt, nec bruta.

Cùm igitur tam ſint varia rerum genera, A *quibus* Tumultus, de 6.
quibus quæſtio eſt, excitari dicemus? Age hoc inquiramus. At equidem duo hîc certa atq; extra omnem controuerſiam poſuerimus; reliqua quia difficultatem habere poſſunt, diligentius excutienda ſunt. Certum eſt *à Deo Opt. Max non excitari*, Certum *non excitari à Spiritibus eorum, quorum mortem ſignificant.*

De Deo nullus dubium animum habere poteſt. Indignum eſt, 7.
diuinæ Maieſtati has Terrificationes & Ludificationes aſcribere; Sed & quæcunq; ſub cælo fiunt (ſi duo aut tria, quæ prorſus diuinã virtutem requirunt, excipias) aut per proprias rerum cauſas; aut Angelorum opera & miniſterio exequitur.

Non ignoramus eſſe quoſdam, qui *humanum animum*, eius ſcili- 8.
cet, cuius mortem hæc ſigna præcedunt, è corpore emigrare putant, atq; horum Tumultuum authorem aſſerunt. Verùm hi grauiſsimè errant. Poteſtne animus corpus deſerere; & ipſum interim vegetare, atq; mouere? Aut fortè vnus idemq; animus diuerſis locis exi-

ſtit:& qui, verbi cauſa in ſuperiore domus parte hos Tumultus excitat; idem corpus, quod alibi decubit, conſeruat, & fouet? Neutrum horum dici poteſt.

9. Sed nec Tumultus hi eos, quorum mortis indicia ſunt, tum latere poſſent; ſi ab ipſorum Spiritibus excitentur (neque enim poteſt animus quæ agit, ipſe ignorare.) At latere tam eſt certum, quam certiſsimum, quod fiant.

10. Quid quod nec ab animo hominis omnia commodè fieri poſſunt, quæ in hoc genere fieri, quandoq; obſeruamus? aut ſi fieri poſſint, cur ſic fieri debuerint, rationes iuſtas ſatis vix reddere poſſimus? Verum quoniam hæc dubia non ſunt, reliqua perſequamur.

CAP. II.

Docetur Terrificationes, & dictos Tumultus non fieri ab Homuncionibus quibuſdam: ſed nec eſſe tales, quales dicuntur, Homunciones.

1. QVi Homunciones quoſdam; medium inter bruta & homines, ſub humana tamen forma, animantium genus conſtituunt; qui occultis quidem locis latitent, ſed tamen hominum aſpectibus ſe quandoq; offerant; illi cum ratione quadam hos Tumultus ijs authoribus tribuere videntur; quemadmodum & multa ijſdem, quæ hominibus obſequia exhibent, aſcribunt.

2. Sed tamen, ſi rectè philoſophari voluerimus; deprehendemus neq; tales Homunciones in rerũ natura eſſe; Neq; ſi eſſent, mortes hominũ poſſe præſcire; quocirca nec indicare; Neq; ſi præſcirẽt, Tumultuum horum atq; Terrificationum authores eſſe.

4. Si enim in rerum natura ſunt Homunciones; vbi quæſo degunt, & ſua habent domicilia? Mirum valde eſt, quod inter homines verſari dicantur, & tamen nullus vſpiam, vbi domicilia ſua habeant, locus repertus ſit.

5. Deinde, qua ratione *genus* ſuum, ne intercidat, conſeruant, & propagant? (Neque enim putandum eſt ipſos immortales eſſe & perpetuam hic vitam agere, quemadmodum in cælis agunt Angeli) An fortè eadem ipſorum, quæ hominum, atq; brutorum animantium conditio eſt; vt quidam ipſorum occidant, alij in eorum locum ſuccedant? At quemadmodum ipſorum non inueniuntur domici-

Digitized by Google

domicilia, ita neque aliquando inuentus eſt, ex his vnus, qui ex hac vita diſceſſerit: non inuentus eſt; qui in defuncti locum ſit ſuffectus.

Quibus etiam rationibus *vitam ſuam ſuſtentant*? quibus rebus victitant? Aere viuere, dici non debent. Beſtiarum atque brutorum animalium cibum tribuere abſurdum eſt; cùm ad homines proximè accedant;& vix alio, quàm ſtatura differre videantur. An igitur humanus cibus illis tribuendus eſt? ſed hic ſæpe non ſuppetit; cùm in deſertis caſtris, relictis ædificijs, ad quæ nec homines veniunt, nec humanus cibus defertur, plerique ipſorum verſari dicantur. 5.

Quærimus quoque, Vtrum *æternæ beatitudinis*, & quam in futura vita exſpectamus, felicitatis participes fieri valeant; an potius vna cum corpore animus ipſorum intereat? Secundum hoc dici nequit, cùm & humanam formam referant; & multa, quæ ſine ratione non fiant, peragere dicantur. At primum illud nulla ratione dici debet; cùm media, quæ ad ſalutem illam aſſequendam neceſſaria ſunt, atq, à Chriſto Domino inſtituta, prorſus ab ipſis negligantur. 6.

Omnis ratio cur hi Homunciones eſſe aſſerantur, ex ipſorũ *Apparitionibus* deſumpta eſt: quia, ſcilicet, aliquando inter homines ſunt viſi: ſed profectò hinc paruum argumentũ ad ipſos aſtruendos colligitur. Quàm, quæſo, multa ſunt, quæ ſub aſpectum cadunt, & tamen non niſi ſenſuum ſunt illuſiones; & præſtigia? aut certè Spirituum ſub humana forma Apparitiones? 7.

Sed quamuis etiam Homunciones hos admittamus, Tumultuũ tamen horum *cauſa* dici non debent; propterea, quòd mortes hominum quorum hi Tumultus indicia ſunt, præſcire nequeant. Cùm enim inferioris conditionis eſſe dicantur ipſis hominibus, nec tantum valere iudicio & ratione, quantũ homines; profectò, quod homines non poſſunt, nec ipſi poterunt, hominũ ſcilicet mortes præſcire, & indicare. 8.

Fortè quia *alijs occupationibus* non diſtrahuntur, ad hominum naturas & temperamenta diligentius attendunt; & idcirco, quæ nos alijs occupationibus impediti præſcire non poſſumus, illi præſciunt. Sit ita. Verum, qua ratione iam illorum exitus præſcire dicendi ſunt, quibus violenta mors adfertur? Cùm igitur etiam horum ex hac vita diſceſſum Tumultus præcedant, quemadmodum non horum, ita neq; priorum Tumultuum authores dici debent. 9.

10. Conſtituamus etiam ita eſſe; vt hominum mortes poſsint præſcire, necdum tamen hos ipſis Tumultus aſcribere poſſe videmur. Id primũ inde manifeſtum eſt, quòd cùm paruo admodũ ſint corpore, magnas vires habere credi non debent. quocirca nec Tumultus hos, qui quandoq; magni ſunt, & magnas vires requirunt, ab ipſis excitari vlla ratione poterunt.

11. Prætereà quoſcunq; ipſi Tumultus excitant, eos neceſſe eſt corporum colliſione (& quidem eorum, quæ concuti audiuntur) excitari. Audimus ſæpe aſſeres deferri, ligna aptari, raptari inſtrumenta, clauos infigi, & mox poſtquam ad loca, vbi Tumultus excitantur, aduolamus nullũ in ſimilibus corporibus motum fuiſſe, magnis argumentis deprehendimus. Et hæc his tribui poſſunt.

12. Deniq; *diuerſis* quandoq; *locis*, maximeq; diſtantibus hi Tumultus excitantur. An fortè diuerſis etiam locis hos Homunciones conſtituemus? aut poſtquam in hoc loco excitârunt, ad alium, vt ibidem excitent, transmigrare dicemus? Dici hæc poſsint, an cum ratione vehementer dubitauerim.

13. *Spirituum* igitur opera Terrificationes fieri, ex dictis videmur poſſe concludere. Spiritus ſunt, qui Tumultus excitant; qui gemitus & eiulatus effingunt: qui funus deducunt, qui tumbas, in quibus defunctorum corpora reconduntur, faciunt. Spiritus ſunt, qui vniuerſa hæc, atq; his ſimilia, efficiunt.

CAP. III.

Demonſtratur dictos Tumultus non excitari à Spiritibus hominum illorum, qui ex hac vita diſceſſerunt

1. REſtat inquiramus, *à quibus Spiritibus* fiant, qui excitantur Tumultus: An ab humanis, qui hanc vitam vnà cum corpore, quod aliquando informârunt, reliquerũt; an ab Angelis: ſiue illi beati ſint, ſiue æternis ſupplicijs, ita eorum meritis exigentibus, mancipati.

2. Humanos Spiritus, ad viuos quandoq; redire dubium non eſt. Id aliâs à nobis multis rationibus demonſtratum eſt. Dubiũ quoq; non eſt, plurima ipſos officiorum genera, apud viuos, exercere. Verũtamen exerceant quęcunq; velint; in hoc certo genere operas ſuas ipſos collocare credendum non eſt.

3. Animorũ, poſt hanc vitam, non illa propria conditio eſt, vt Dei, apud homines, ſint miniſtri; aut quædã in hoc mundo pro officio

munia

Digitized by Google

munia obeant; adſintq; rebus humanis; ſed vt laborum fuerũ fructus recipiant;& vel Deo perfruantur, vel debitas pœnas perſoluát, quocirca in hoc genere, quod agant, habent nihil.

Non ſine ſingulari Dei prouidentia, atq; diſpenſatione fit: vt viuorũ rebus defuncti adſint:& quæcunq; hâc Dei prouidentiam atq; diſpenſationem requirunt,rarius eueniunt: At Tumultus hi rari nõ ſunt: ſunt propemodum quotidiani. 4

Petebat Epulo,vt ad viuos rediret Lazarus, qui fratres miſerandæ ſuæ conditionis admoneret. Quid hîc Abraham? *Habent*, inquit, *Moyſen & Prophetas: audiant illos*.vrget ſecundò Epulo: putat futurum, vt pœnitentiam agant, *ſi quis ex mortuis ad eos venerit*. Sed bene Abraham: *Si Moyſen*,inquit,*& Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* An non idem dicere nos poſſemus? habere, inquam, viuos Moyſen, & Prophetas? habere tot præſentiſsimæ mortis exempla, & argumenta? Opus non eſſe; vt ad viuos defunctorum animæ redeant, & inſtantis mortis commonefaciant? 5

Si Sacras literas conſulamus, reperiemus Deum per *Angelos* plerunq; expediuiſſe,(& non per humanos Spiritus)ſi quando aliquid, præter rerum ordinem, fieri voluit. quorſum igitur humanorum Spirituũ in hoc negotio, non autem Angelorum, ſi quidem aliquorum vellet opera, vteretur? 6

Cùm Tumultus hi atq; ſtrepitus, *mortis* quædam indicia ſint, quibuſnam humanis Spiritibus ipſos excitandi officium tribuemus? ijſne, qui cum Deo iam in cælis vitam felicem agunt? an qui purgatorio igne expurgantur? an qui in inferno ſocij ſunt Dæmonum? 7

Eſto *primi illi*, Deo reuelante,cognoſcere poſsint, qui ex hac vita diſceſſuri ſint; vt tamen ijs hoc Deus reuelet(cùm ipſorum non interſit)velitq; mortis hominum, quaſi nuntios quoſdam eſſe, quis credat? 8

Si quando rebus noſtris Beatorũ Spiritus interſunt, *ſeſe exhibere* ſolent,& ea quidẽ forma, vt agnoſci facile poſsint; quemadmodũ exempla eorũ,qui apparuerunt,docent. At vbi ſtrepitus hi excitantur,authores ipſorum conſpiciuntur nunquam. 9

Adde,quòd Beati Spiritus vix vnquam rebus noſtris *authoproſopos interſint*: Angelorum ferè opera fiant, quæcunq; per ipſos fieri videntur. Et qui in proprijs negotijs, cùm maximè deberent, rebus noſtris non interſunt; intereſſent, quando ratio ipſos nulla vt aliorum interſint, cogit? 10

Eadem

11. Eadem propemodum de *ſecundis Spiritibus* dici poſſunt. Neq; enim credi debet, quod interitus hominum cognoſcãt: quare nec eorum vlla ſigna dare poterunt. Neq; quod appareant, quin ſtatus ſui cõditionem aperiant; quare nec hic quidquam negotij habebunt.

12. Sed & illi ad viuos redeunt, non vt rebus noſtris proſpiciant, verùm *vt ſuis* conſulant: vt noſtras preces, inquam, atque patrocinia obtineant. Quando autem vel preces, vel patrocinia per eos, qui hos ſtrepitus excitant, expetita?

13. *Tertio* ſimiliter duæ cauſæ prohibere videntur. Prima eſt, quòd mortem hominum illi præſcire non valeant, quocirca nec vlla eius ſigna dare: Altera, quòd etſi ſcire valeant, id tamen nobis impendere non permittat odium noſtræ ſalutis, quo flagrant maximo.

CAP. IIII.

Animas puerorum, & eorum, qui cum ſolo peccato Originali, vel etiam veniali hinc diſceſſerunt, non excitare hos Tumultus & Terrificationes.

1. SVnt præter eas animas, quæ vel in cœlo degunt, vel inferni pœnas experiuntur, vel expiantur igne purgatorio; *aliæ* quędam; eorum, ſcilicet, hominum, qui aut cum ſolo Originali peccato ex hac vita diſceſſerunt, aut ad Originale *Venialia* quædam, vt vocamus, adiecerũt. Ab his Tumultus hos excitari fortè exiſtimauerit quis. Nec, vt apparet, immeritò.

2. Cùm enim ad cœlum admitti illæ non poſsint, ob onus peccati, quod circumferunt: & peccatum ipſorum inferni intolerabilibus cruciatibus vindicari (vt quidam volunt) non debeat; *alicubi* videtur ipſis inter homines aliquis eſſe poſſe locus, vbi quamuis non prorſus miſeram, non tamen felicem vitam agant.

3. Hic verò, inter alia etiam *hoc officij genus* ſubire dici poſſe vidẽtur; vt horum Tumultuum ſint authores: & quam ipſi ſecuturam mortem intelligunt; eandem externis quibuſdam ſignis & argumentis, hominibus reuelent ac denuncient.

4. Quid enim *toto tempore* agerent? quas occupationes haberent? Diuinorum contemplatio illis negata eſt: Naturalium rerum cognitio apud ipſos eſt parua. In ijs, quæ præſentes obſeruant, ſe occupant

pant, inter quæ, cùm poſsit eſſe *mors hominum*; omnino & illam videntur poſſe præſcire; & eandem his Tumultibus denunciare.

Porrò hoc officij genus ijs potiſsimum Animabus tribuendum videtur, quæ *cũ Originali venialia peccata* coniunxerũt. Cùm enim hoc nomine aliqua, ſenſus etiam, & non damni tantùm, pœna dignæ ſint; & illa, quæ in inferno infligitur, nimis pro leuibus iſtis erratis videatur grauis; nonne dici poſſet iuſtiſsimum eſſe, ſi ad hanc, hos Tumultus & ſtrepitus excitandi, conditionem damnati dicantur? 5.

Omnino enim Spiritibus hiſce *pœna* eſſe videtur, & certis locis aſtringi: & hominum conditiones morboſque obſeruare; & viuentes mortis aliquorum certiores reddere; atq; aliquando funebrem pompam inſtituere, & deducere. 6.

Porrò licet pœna hæc hiſce Spiritibus tribuatur, non tamen putandum eſt *omnium* Animas, qui huius conditionis ſunt, hoc ſupplicij genus experiri. Non vnus eſt Deo modus, quo peccata vindicet. Punit quoſdam hac, quam nunc explicamus, ratione; cùm alijs alias ſeruat rationes: ſine vlla tamen eorum, qui puniuntur iniuria. 7.

Probabiliter hæc, vt videtur, dicuntur, Verùm verè, nullus facilè, niſi cui reuelatio aliunde facta eſt, dixerit. Veruntamen & hæc aſſertio difficultatem habet non paruam: quòd ſequentibus docemus. 8.

Primum omnium, Vnde conſtat *inter homines* Spiritus hos locum aliquem habere? Eſto, poſt extremum iudicij diem hunc mundum ſint inhabitaturi; quod tamen iam inter viuos degant, noſtriſque rebus interſint, dici poteſt, probari non poteſt. 9.

Deinde, ſit illis inter viuos locus aliquis; Vnde viuorũ mortes *ſcire* poſſunt, non ſolùm, quæ naturales ſunt, verùm etiam violentas? An fortè naturas hominum plenè perſpectas habẽt? vt quamdiu vitam ſuam propagare poſsint, valeant cognoſcere? Et ſi hoc detur, violentas mortes, quæ à libera procedunt voluntate, quomodo cognoſcent? 10.

Tertiò, ſolet Deus *Angelorum* opera vti, ſi quid hominibus velit ſignificatum, hinc nomen *Adminiſtratoriorum* Spirituum adepti ſunt. quod ſi igitur homines præſentis, & inſtantis mortis monere velit, Angelorum; non horum Spirituum opera vtetur. 11.

Addo, quod cum hoc ſtrepitu quandoque coniuncta ſunt aliqua quæ vix illis Spiritibus videntur poſſe tribui. Quis enim tantas ipſo- 12.

Digitized by Google

rum vires dixeris;quantæ requiruntur ad maximos, qui aliquando excitantur,ſtrepitus?ad grauiſsima,quæ obſeruata ſunt tranſlata onera? Et ſi ſtrepitus hos ipſorum vires excedere negare nolumus, quis ijs tribuat,vt pompam funebrem inſtituant, & ſuis viribus abſoluant?

CAP. V.

Bonos Angelos non eſſe authores Tumultuum,qui prænuncij mortis eſſe ſolent.

1. CVm(vt dictum eſt)humanorum Spirituum opera Terrificationes hæ,& Tumultus nocturni,de quibus diſputatio eſt, nō fiant,omnino neceſſe eſt ad *Angelos*, ipſos transferri, quorum non paruę ſunt in hoc ſenſibili mundo,cum hominum genere,occupationes.

2. Quoniam verò hi *duplicis generis* ſunt,& contrariorum propemodum ſtudiorum;*vtris* tribuendi ſunt,grauem habet diſputationem. facilius eſt Diſcipulum hîc,quam Doctorem agere.

3. Qui rem ipſam,quæ agitur,velit attendere;cùm *mortis* homines admoneri videantur,atque ad reddendam Deo rationem vocari;facilè ſibi patietur perſuaderi;hæc non improborum Spirituum, qui ſalutem hominum oderunt;ſed *bonorum*, qui tandem amant; opera eſſe & functiones.

4. Qui verò omnia diligentius ſecum expendet;haud parum animo fluctuabit. Quid,quod contrarias cogitationes facilè admittat?Si enim in his Terrificationibus propoſitum eſt, vt *mortis* homines admoneantur,quid quęſo opus eſt tot Tumultibus?tāto ſtrepitus?pōpa etiam funebri?& ſexcentis alijs?cùm multo facilioribus rationibus mortis homines admoneri poſsint?

5. Accedit,quod *certum* ex hoc ſtrepitu argumentum ſubſecuturæ mortis peti non poſsit. Quis enim,Vtrum mortis indicium ſit,dixerit;an ob aliam cauſam excitetur ? Eſto, poſtquam mors ſubſecuta eſt,mortis ſignum fuiſſe dicere poſsimus; ſed tamen dum excitaretur,mortis argumentum eſſe,certo dici non potuit.

6. Et vt mortis certiſsimum ſit ſignum,nondum tamen *cuius* mortem portendat ſcire poteſt. Quapropter cum ſinguli, qui in vnà aliqua familia commorātur,ad ſe illum pertinere exiſtimare poſsint; fruſtra hæc à bonis Angelis opera ſuſciperetur.

7. *Alijs etiam locis*,quam vbi is,qui mortem obit,ſtrepitus hic auditus eſt;& auditur frequenter:alijs locis hæc mortis prognoſtica ſigna obſer-

obſeruata. Nouimus, Moguntiæ mortuum, cuius mortem ſigna nõ Moguntiæ; ſed alio loco, vbi is prædia ſua atq; facultates habebat, præceſſerunt: quomodo verò hic abſentibus ſignis, vt ad mortem ſe compararet, moneri potuit?

Quo *tempore* plerique animam exhalarunt, eodem ipſo Tumultus excitati ſunt non rarò. At verò, tum *eo fine* excitatos eſſe, vt ad felicem finem ſe homines præpararent, quis dixerit? 8.

Et peſsimorum hominum exitus hæc Terriculamenta præcedunt, & ſanctiſsimorum virorum. Verùm vt his illis opus nõ eſt; ita priores illis ſunt indigni. Iuſto enim Dei iudicio fit, vt *qui viuentes obliti ſunt Dei; morientes obliuiſcantur ſui.* 9.

Præcedunt quoq; *infidelium* mortes, nec eorum tantùm, qui Chriſti fidem aliquando complexi fuerunt; ſed & Iudæorum atq; Gentilium, qui eandem impiè reiecerunt. Cùm verò his nulla ſit ſpes ſalutis æternæ reliqua; quid eſt neceſſe, vt de exitu ſuo, atq; ex hac vita diſceſſu, his argumentis moneantur? 10.

Non igitur in hoc ſtrepitu atq; Tumultu propoſitum eſt, vt ad felicem ex hac vita egreſſum mortales ſe comparent. Quocirca cõcludi ex hoc argumento non debet, *bonos* eſſe Spiritus, à quibus Tumultus excitantur. 11.

Alia etiam ad hanc rem confirmandam argumenta ſuppetunt. *Adminiſtratorij* ſunt Spiritus, Angeli boni: Deo, in quibuſcunq; ille rebus velit operas ſuas promptiſsimè offerunt. Quod ſi igitur hîc operas ſuas locant; neceſſe eſt id Dei fiat imperio atq; voluntate. At cùm ratio nulla dari poſsit, cur hos Tumultus Deus excitari velit, & imperet, cur bonis Angelis ipſos iudicamus tribuendos? 12.

Mirum eſt, quod cum tot & tam illuſtria bonorum Angelorum in ſacris literis munia & officia deſcribantur, huius tam frequentis & vſitati *nulla fiat mentio*. Mirum eſt apud Sanctiſsimos Eccleſiæ Doctores tantùm huius eſſe ſilentium; præſertim cùm inter ipſos reperiantur, qui integra volumina de bonorum Spirituũ functionibus poſteritati reliquerint. 13.

Leuitatis, præterea, nec pauca nec leuia cum his Tumultibus coniuncta ſunt argumenta. Vt verò horum authores Angelos dicamus, qui perpetuò Dei faciem contemplantur, res eſt indigniſsima. 14.

CAP. VI.

A malis Spiritibus Tumultus qui mortis ſunt indicia, excitari.

1. FAcilè ex dictis quilibet concluſerit, malorum Spirituum opera, Terrificationes & Tumultus, qui mortis prænũcij ſunt, excitari. Cùm enim neceſſe ſit à Spiritibus illos fieri; & nec illi, qui in humanis adhuc corporibus degũt, nec qui corpora reliquerunt, & alibi verſantur: nec Angeli boni ipſorum authores ſint; quibus, quæſo, niſi *malis Spiritibus* ipſos tribuemus?

2. Et profectò *nihil* eſt in hoc genere, quod ab illis Spiritibus ſit alienum, aut eorum vires excedat: *multa* etiam ſunt, quæ vt hæc ipſis officia tribuamus, vehementer perſuadent. Docemus vtrunque.

3. Neceſſe eſt, vt Spiritus, qui horum Tumultuum ſunt authores, *præſentes* ſint ijs locis, vbi Tumultus excitantur. Neceſſe eſt, vt Tumultus excitare *valeant*. Neceſſe, vt poſsint *funebrem pompam* inſtituere. Neceſſe, vt poſsint *ſcire* futuros hominum, ex hac vita, quos indicant, egreſſus. Quid horum in malis Spiritibus deſideratur?

4. Locis ijs, vbi Tumultus excitantur, poſſe Spiritus *præſentes* eſſe nemo negauerit. Magna ipſorum vis eſt: magna poteſtas. quocunque propemodum volunt, ſe loco ſiſtere poſſunt. At quemcunq; ipſe aditus patet.

5. *Valent* quoq; Tumultus hos excitare. In corpora quid non valent? Nonne omnia propemodum ipſorum virtuti ſubiecta ſunt? nonne quocunq; volunt vi ſua impellere poſſunt? Quocirca cùm Tumultus hi ex corporũ colliſione oriantur; & hos poterunt; & multo grauiores excitare.

6. Sic in ipſorum poteſtate eſt *fünebrem pompam* componere. Neq; .n. tantũ mouere poſſunt externa corpora: poſſunt quoque ſibi aſſumere, & quibuſlibet vſibus accomodare. poſſunt quaſcunq; formas illis dare, quamquam pompam funebrem nõ effictis ſolùm corporibus repręſentant, ſed ſenſuum quoq; nunc externorum, nunc internorũ faſcinatione & illuſione.

7. Et cùm ingenio ſint ſagaciſsimi; plurimumque rerum experientia valeant; norint pręterea rerum naturas, & hominum complexiones exactiſsimè; quis dubitabit quin hominum plerunque *interitus præcognoſcant*? præſertim cùm & Medicorum quidam reperiantur, qui ea ſcientia polleant, vt non diem ſolùm, ſed horam quoq; mortis valent prædicere.

8. Vt verò quod poſſunt, *velint*, & hos Tumultus excitent; omnino credendum eſt. Multę ſunt cauſæ, quæ vt hîc operas ſuas locent, ipſos mouere videntur.

9. Primùm, hęc occupatio aliquod miſeriarum ipſorum *leuamen* videtur;

detur; dum ad ſuas pœnas tanto minus attendunt, quanto magis externis his ludificationibus diſtrahuntur.

Deinde, *libidini ſuæ* quadam ratione ſic faciunt ſatis. Cùm enim hominibus moleſti eſſe percupiant; libẽter quas habere poſſunt, ipſos moleſtandi occaſiones arripiunt. quocirca & hanc, vbi non parua trepidatio incutitur, non abijciunt. 10.

Lucrum etiam inde aliquod ſperant. Neque enim ipſis tam hic propoſitum, vt mortem futuram denuntiant, quàm vt homines eò ducant, vt diuinum quoddam numen credant, quod horum Tumultuum cauſa exiſtat; cui ob id honorem aliquem, cùm animarum ſuarum detrimento, impendere ſit æquiſsimum.

CAP. VII.

Tumultus ſiue Terrificationes mortis prænuntias, excitari à Dæmonibus, qui ſunt ordinis inferioris.

DAEmonum opera Strepitus hos excitari, & mortis prænuntia fieri demonſtratum eſt; quorum verò hoc proprium ſit ſtudium, an ſine diſcrimine omnium, an certorum tantùm, non iniucundam habet quęſtionem. Neque enim Dęmonum omnium *vna eſt conditio*, neque omnium eędem occupationes. Grauiora alij alijs habent ſtudia, prout alij alijs plus valent ingenij acumine, agendi poteſtate, nocendi voluntate. 1.

Etenim extra controuerſiam eſt, ex omnibus omnino ordinibus, 2.
quos aliquando communes cum bonis Angelis habuerunt, Spiritus illos cecidiſſe. Extra controuerſiam eſt, per peccatum naturam non ſublatam. Quemadmodum igitur ante peccatum non æqualis omnes fuerunt perfectionis; ita neque poſt peccatum vna naturæ omnium conditio eſt.

Conditionem naturæ *ſtudia & functiones* ſequuntur. Hoc quemad- 3.
modum in rebus omnibus certum eſt; ita in his Spiritibus nullam habet dubitationem. Quocirca non *eadem* inferiorum, quę ſuperiorum ſunt functiones: grauiora hi officia ſubeunt; illi leuiora munia exequuntur.

Quod aſſerimus, facillimum fuiſſet in Spiritibus deprehendere; 4.
ſi à gratia, in qua creati erant, non excidiſſent. Iam poſtquam à gra-

tia exciderunt, etſi non omnino quadrantenus tamen ſuos ordines ſeruant, & pro naturæ conditione opera faciunt.

5. Et dictis vtcunque licebit conijcere, *quoſnam* Spiritus horũ Tumultuum authores conſtituere debeamus. Attendamus principio *quaſnam* Spiritus mali apud viuos *occupationes* habeant: tum deinde hoc ipſum de quo præſens eſt diſputatio, *opus* inſpiciamus; & non ita difficile erit de Tumultuum nocturnorum authoribus ſtatuere.

6. Occupationes Dæmonum cum hominũ genere ſunt variæ. Nos pro inſtituti noſtri ratione vniuerſas in *duas claſſes* poſſumus partiri; vt alias, maioris momenti, & quaſi *magis principales* dicamus; alias leuioris & quaſi *minus principales*.

7. Priores illæ ex triplici cauſa definiuntur. Ex conditione perſonarum, cum quibus illæ ſuſcipiuntur: ex rerum, quæ ſuſcipiuntur mole & difficultate: deniq; ex grauitate mali, quod Spiritibus, vt hominibus incommodent, propoſitum eſt. Vbi hæc deſiderantur, hoc eſt, vbi neq; dignitas adeſt perſonæ, neq; negotij perficiendi difficultas: leuia etiam propoſita ſunt mala, leuiores Dæmonum occupationes dicere licebit.

8. In priori genere fuerunt tentatio Chriſti in deſerto habita; excidium 185000. Aſſyriorum in exercitu Sennacherib vna nocte deletorum; & primorum noſtrorum parentum in paradyſo infelix caſus. In poſteriori ſunt nocturnæ ludificationes, intempeſtiua terriculamenta, & cum ſordidis hominibus turpes & obſcœni congreſſus.

9. Priores exercent vt perdant: poſteriores, vt vexent & moleſti ſint. Quemadmodum in hac vita, dum bella geruntur, non ſemper aduerſæ parti propoſitum eſt, vt hoſtes perdant; ſed quandoque, dum perdendi facultas non datur, iuuat moleſtos eſſe, terrere, timorem incutere: ita humani generis iuratiſsimis hoſtibus dæmonibus non ſemper propoſitum eſt vt perdant; ſed quandoq; etiam, vt moleſti ſint, & vexent.

10. Hæc Dæmonum ſtudia, hæc cum hominum genere occupationes. *Quas* nunc *quibus* tribuemus? Quas alias, quàm quas ipſi ſibi Dæmones deferri volunt? Quis porrò dubitauerit, quin priores illas poſtulent illi altiorum Ordinum? poſteriores autem inferioribus relinquant? Pro conditione perſonarum haud incommodè officiorum diſtributio conſtituitur.

11. Superbi admodum ſunt Dæmones; illi inprimis, qui naturæ præſtant dignitate. Quocirca quamuis nocere omnibus cupiant; non tam

tam facilè tamen leuioris conditionis homines aggredientur: cum ijs potius bellum ſuſcipiant, qui in altiori ſunt ſanctitatis aut dignitatis gradu. quoniam ſi hos vincant, ſpecioſior ipſorum eſt triumphus: ſi vincantur, minor eſt confuſio, quam timent & horrent.

Iidem illi ſuperiorum Ordinum Spiritus ardua magis atq; difficilia in ſe ſuſcipiunt onera. Id illorum poſtulant naturæ vires. Id ad maiorem cumulum gloriæ ipſorum, quam ſtudioſè quærunt, facit. Minor etiã hinc, ſi ex voto res non ſuccedat, timetur confuſio. 12.

Eorundem eſt grauius erga humanum genus odium; quàm aliorum, qui inferiorum ſunt Ordinũ. at odium ſequitur nocendi ſtudium. Itaq; fit, vt his maximè, vt noceant, & maiora mortalibus detrimenta offerant, propoſitum ſit. 13.

Leuia igitur illa munia & minores occupationes inferioribus Spiritibus relinquũtur: in quibus vel perſonæ dignitas non poſtulat aliquem ex illis ſuperiorum Ordinum; vel leuia expedienda ſunt munia; vel non ita magna propoſita mala. 14.

Hæc cum ita ſint, non malè quis concluſerit *inferiorum Ordinum* Dæmonũ opera hos, de quibus quæſtio eſt Tumultus excitari. Nam vt ipſos in priorum occupationum genere ponamus, & ſuperiorum Ordinum Spiritibus tribuamus, neq; poſtulat perſonarm dignitas, quarum cauſa ipſi excitantur; neq; rei quæ hic ſuſcipitur difficultas: neq; magnitudo mali, quod in his propoſitum eſt. 15.

Eſto etiam ad *Principes viros* Tumultus pertineant; eorum funera & mortes portendant: ſed tamen nulla Dæmonibus cum ipſis concertatio, nulla pugna. Alijs quandoq; etiam ſordidis & abiectæ cõditionis hominibus Principum mortes his prænuncijs inſinuantur. 16.

Sic in his excitandis non opus eſt aut arte magna, aut magnis viribus. Minimus, inter omnes, Spiritus ea arte pollet, & ijs eſt viribus; vt hos, atq; multo maiores excitare valeat. Minimus quoq; ingenij vi, qua præditus eſt, imminentem hominibus mortem, quæ his Tumultibus ſignificatur, præſcire poteſt.

Malum deniq; hic magnum propoſitum non eſt, præcipua cauſa, cur opera hæc à Spiritibus ſuſcipiãtur; illa videtur; vt hominibus terror incutiatur. qui quamuis malum aliquod ſit, tantũ tamen nõ eſt, vt illud ſibi ſuperiorum Ordinum Spiritus reſeruare debeant. 17.

Sed & *alias ob cauſas* hæc ſtudia inferioribus Spiritibus tribuerim. Dubium non eſt: tantum horum peccatum non fuiſſe, quantum fuerit Spirituum ſuperiorum Ordinum. Itaq; nec tanta ipſorum pœna; quanta ſuperiorum. quoniam pro delicti quantitate, modus pœnarum. Cũ igitur non parua dæmonum pœna ſit inferni carcere concludi, profectò, ſi aliqui ab hac liberi ſunt(ve- 18.

ſunt) erunt Inferioris Ordinis Spiritus: ſi aliqui hanc ſuſtinent; ſuſtinent illi, qui ſuperiorum ſunt Ordinū. At vt in inferno Spiritus ſint; & hos Tumultus excitent, fieri non poteſt, qui igitur nondum ad inferni carceres damnati ſunt, (vt inferiores illi præ alijs videntur) non ineptè horum Tumultuum authores iudicantur.

20. Ordo, res pulcherrima eſt, & tam in rebus omnibus neceſſaria, vt nec vlla, ſine ipſo poſſet conſiſtere Reſpublica: nec, qui perditiſsimis ſunt moribus, ſine ordine viuere poſsint. Erit igitur etiam inter Dæmones ordo quidam. Et quemadmodum in Rebuſpub. ita in Dæmonum regno alij erunt, qui mandata dant, alij qui mandata exequuntur & imperata faciunt. At prius illud ad ſuperiores pertinet; poſterius (in quo genere ſunt hi Tumultus) ad Inferiores.

CAP. VIII.

Ab inferiorum ordinum Dæmonibus, illis, qui ſingulorum hominum quaſi proprij ſunt, & qui Dij domeſtici, ſiue Lares olim vocabantur, Tumultus & Terrificationes excitari.

1. NOndum quærendi finem facimus. Ex quæſtionibus quæſtiones ducimus. Quærimus, Poſsintne *certis* inter eos, qui inferiorum Ordinum ſunt, Spiritibus, hi Tumultus, & hæc mortis prænuntia ſigna, tribui. Curioſius forſitan ſingula ſcrutamur: ſed tamen non ſine ratione. Quid enim tā ad nos pertinet ſcire, quàm quæ circa nos gerūtur, & propemodum in vſu ſunt quotidiano?

2. Porrò hîc certi certò non poteſt conſtitui quicquam; niſi prius ponatur *proprios quoſdam adeſſe ſingulis hominibus malos genios*; & præterea Dæmones quoſdam domeſticos, quos Lares vocant. Qui hos admiſerint, non video cur eoſdem horum Tumultuum authores negare debeant; præſertim cùm quæcunque hactenus dicta ſunt, in eos *conuenire*; & quæcunque cum his Tumultibus coniuncta ſunt, per eos commodius, quàm per illos alios *fieri* poſſe videantur.

3. Et genios quidem Gentiles admiſerunt; atque duos ſingulis homini-

minibus attribuerunt. Alterum bonum, alterum malum. Illum virtutis & æquitatis dixerunt authorem; hunc peccati. Hinc illud Empedoclis apud Plutarchum; *duplices, quacunq; malum excipiunt ducuntq; ſortes; diuina terreſtriſq;*. Vide Aug. Eugub. de perenni Philoſophia li. 8. ca. 4.

Conſentiunt cum Gentilibus ex parte Chriſtiani. Nam bonum genium ſiue Tutelarem Angelum ſingulis hominibus à Deo datum, agnoſcunt: conſentiunt, inquam, cum Gentilibus, non tamen à Gentibus inſtituti; ſed ſacrarum Scripturarum auctoritate; ſed ſanctiſsimorum Patrum conſenſu, & magnis rationibus inducti: vt optimè dixerit B. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis, in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.* 4.

In altero etiam (malo inquam admittendo) haud ita difficiles ſeſe præbent Origenes & Caſsianus: & vt bonum, ita ſingulis malum Angelum adeſſe, & credunt, & probant. Origenes Homil. 10. in Lucam, & lib. 3. de princip. ca. 2. Caſsianus, Collat. 8. ca. 17. & Collat. 13. ca. 12. His addo Bedam, in ca. 12. Act. Apoſt. Gregorium Nyſſenum in Vita Moſis, & auctore Operis imper. Hom. 5 in Matth. Sed & hoc ipſum antiquiſsima Traditione non Chriſtianorum modò, ſed etiam Hebræorum traditum eſſe, ſcribit Rabbi Moſes, lib 3 Mor. ca. 25. Poteſt quoq; eius aliquod veſtigium in Scriptura notari. Nam D. Paulus datum ſibi dicit *Angelum Satanæ, qui ſe colaphizaret*, 2. Cor. 12. Vide Ioan. Maldonat. in 18. Matth. 5.

Verùm diſplicet hæc ſententia reliquæ turbæ Doctorum: ſed tamen, ni fallor, ita diſplicet, vt *malos Spiritus*, qui ſingulis hominibus adſint, non tam negare, quàm quodam modo *admittere* videri poſſint? 6.

Negant à Deo ſingulis hominibus malos Angelos attributos; quemadmodum ſingulis ille bonos attribuit. Putant non cadere in diuinā bonitatem, quæ tātopere hominum ſalutem deſideret, vt nobis hoſtes aſsignarit, qui nos infeſtent; nos de virtutis arce deijciant; nos à Deo optimo & ſummo bono ſeparent. Exiſtimant Dæmonum odium erga humanū genus ſatis eſſe magnū: & per ſe, ipſos promptiſsimos eſſe & paratiſsimos, ad nos moleſtandos; nec Dei in hoc egere aut imperio, aut ordinatione. 7.

Hæc dum confitentur, non *negant* hos Spiritus; ſed *à Deo* negant ad hoc eſſe delegatos, & ordinatos. ſignificant ſua ſponte & vltro ſe Spiritus offerre, & hominibus adiungere; quod non facilè damnauerit, qui Dæmonum naturam conditionemque probè perſpexerit. 8.

Xx Solent

9\. Solent Dei opera æmulari Dæmones: quęcunque propemodum Deus facit, conantur effingere. Res certior eſt, quàm vt probari debeat. Dicuntur ob hanc cauſam *ſimiæ Dei*. Quidni igitur & in hoc velint imitari Deum? vt quemadmodum Deus hominibus, Spiritus adiungit bonos, qui protegant atq; defendant; ita illi velint adiungere malos & peruerſos, qui moleſtent & perdant?

10\. Confirmat hanc rem antiquiſsima, & propemodum ab omnibus recepta opinio, qua creditur adeſſe in extremo vitę tempore ſingulis mortalibus non bonum ſolùm modò Angelum, qui animam ad cœlum deducat, ſi hinc in Dei gratia decedat; verùm etiam *malum*, qui ad inferos pertrahat, ſi illa ipſius ſint demerita. Nam ſicuti bonum, intelligimus illum, qui à natiuitate ſingulis à Deo eſt conceſſus; ita non malè videmur dicere malum eſſe, qui ſingulorũ ſtudijs pijs ſemper contrarius fuit, & ad deteriora ſequenda impulit.

11\. Si ex difficultate, quam in virtutum ſtudio ſentimus, rem hanc definire velimus; aut etiam ex pondere, quo ad malum trahimur: Si ad moleſtias, quas plerunque in *ſomnis* experimur, nocturnaſque illuſiones attendere: Si expendere, quę ſępiſsimè ocurrunt, peregrinas cogitationes; facilè patiemur nobis perſuaderi, vt hos inimicos Spiritus credamus.

12\. Sunt qui de hoc Spiritu intelligi autumant, quod Eccleſia poſtulat *hoſtem ſuum comprimi*. Oratio ex D. Ambroſio deſumpta eſt, & ſic habet:

Te lucis ante terminum
Rerum creator poſcimus;
Vt ſolita clementia,
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata,
HOSTEMQVE *noſtrũ comprime,*
Ne polluantur corpora.

13\. Et hactenus de proprijs ſingulorum genijs. Sunt qui hos à *Laribus* non diſtinguunt. At veteres diſcrimen aliquod inter vtroſque feciſſe inde colligitur; quòd *Lares domibus* pręeſſe crederent, quemadmodum ex Aulul. Plauti colligitur, vbi in hunc modum quidam ex ipſis loquitur: *Ego Lar ſum familiaris; ex familia, vnde exeuntem me aſpexiſtis.*

14\. Nec de his apud Veteres fuit diſputatio. Id vel feſta Compitalia, à Compitis; in quibus peragebantur, dicta & à Seruio Tullio ipſis inſtituta, ſufficienter demonſtrant. Quid, quòd omnibus propemodũ domibus eorum ſimulachra habuerint, & religioſè ipſos coluerint?

15\. Sed & antiquiſsimus ſcriptor Tertullianus Gentibus obijcit (ca. 13. ſui Apologetici) quod *indignè* eoſdem tractauerint, & in *ſupellectilis*

filiis ratione habuerint; vt proinde ab iis *oppignorati ſint, aut vēditi*, prout cætera inſtrumenta domeſtica.

Sed nec noſtris temporibus eos deeſſe putarem, nec à veritate aberrare, qui eoſdem eſſe dixerint, quos Germani *Henſemenle* vocitāt. Quidquid ſit, multorum hæc ſententia eſt. nec rarò, quæ Lares hos prodiderunt, obſeruata ſunt argumenta. 16.

Sic nec temerè eos damnarem, qui aquę luſtralis vſum ad hos abigendos valere volunt; hocq; Eccleſiam intelligere, quando orat, vt *creatura aquæ ſeruiat ad abigendos Dæmones, morboſq; pellendos; & vt in domibus, vbicunq; fuerit aqua aſperſa, non illic reſideat Spiritus peſtilens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & effugiat quidquid aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti.* 17.

Cæterùm quamuis Lares hos Chriſtiani admittant, quemadmodum olim Gentiles; longè tamen alia eſt Chriſtianorum, quàm Gentilium de ipſis opinio. Gentes ipſos in Deorum numero habebant: Chriſtiani non alio, quàm Dæmonum loco, qui diuinum honorem ſacrilegè, vbicunque poſſunt, ſuffurentur. 18.

Et quamuis *virorum* nomine compellent, & *Henſemenle* vocent; non tamen viros eſſe agnoſcunt. Hoc illis nomen, quia ſub viri ſpecie, & quidem pigmei, quandoque conſpiciuntur, tribuunt. 19.

Cognoſcunt etiam nulla habere propria corpora; ſed eſſe prorſus incorporeos Spiritus. quocirca ſi quando in corporibus ſe ſpectandos exhibent, ex aere, aliáue materia exiſtimant illa componi, & vbi aliquandiu iiſdem vſi fuerint, rurſus, deponi. 20.

Nullum ab his auxilium expectant. nullum cenſent deferendum honorem. Non affectant illorum ſocietatem. reſpuunt communionem. Omnibus omnino angulis cupiunt eſſe profligatos, & expulſos. 21.

Porrò Lares hos atque proprios ſingulorum malos genios Tumultuum & Ludificationum *authores eſſe*, quid prohibet? Dæmones ſunt, vt diximus, qui hos Tumultus excitāt; & Dęmones ſunt hi Spiritus; atque Lares; & quidem ex infimis Dæmonum ordinibus, quales etiam harum Terrificationum authores aſtruximus. 22.

Et cùm hi nobiſcum verſentur ſemper; quî, quæſo, melius, quàm ipſi omnia noſtra ſcire poſſunt? vt proinde mirum non ſit, ſigna mortis noſtræ, etiam violentæ, ſatis certa dare poſſe, qui ex conſuetudine longa, quam nobiſcum habuerunt, exitum noſtrum præſcire potuerunt. 23.

CAP. IX.

In præcedentia Capita de Terrificationum & Tumultuum Authoribus Cenſura.

1\. DVplex eorum, quæ fiunt, genus eſt. Quædam, vt *plurimum* accidunt, & *ordinariè* fieri dicuntur: quædam *rariùs*, & dicũtur *præter communem rerum ordinem* euenire. Diſtinctio hęc, vt in rebus naturalibus locum habet, ita hîc non eſt reijcienda. Ibi ordinariè fit; vt nouem mẽſibus vterum geſtet fœmina: quòd ſi quãdoq; hæc lex fallat, & citius vel tardius fœtum edat, dicitur aliquid *præter rerum ordinem* accidere. In hoc Tumultuum genere *ordinaria ſunt*, quæ hactenus diximus: ſi quæ aliter eueniant, *extraordinariè* fieri dicemus.

2\. Extraórdinariè verò hîc *tria* fieri videntur. Primò, non ſemper Tumultus hos ab ijs Spiritibus excitari putãdũ eſt, qui ſingulis quaſi ſunt proprij, quandoque *ab alijs* excitantur. Secundò, quandoque *Superiorum Ordinum* dæmones hîc operas ſuas locant. Tertiò, quandoque etiam *Bonorum Angelorum* ſtudio excitantur.

3\. De primo vix dubium eſt. Veriſimile eſt, quod qui eiuſdem ſunt Ordinis, eadem quandoque ſtudia tractent, & officia obeant; præſertim ſi vnus alterius operam non ægrè ferat; vterque etiam in illa, quæ ſuſcipitur, cum voluptate verſetur, quæ cùm hîc locũm habeant, vix dubium, quin aliquando *alij*, quàm proprij genij hîc occupentur.

4\. Fortè etiam *neceſſe eſt quandoque* alios aliquos, præter proprios, hîc operam ſuam locare: tum maximè, quando vnius opera minimè ſufficere videtur, ad omnia illa perficienda, quæ in his Terrificationibus ſæpè obſeruantur. Nam & in varijs ac plurimùm diſsitis locis, eodem tempore, aliquando fiunt; & egregia quandoque inſtituitur pompa funebris; quæ plurimum Spirituum operam requirunt.

5\. Sic *Superiorum Ordinum* Spiritus operas ſuas hîc locare credi poteſt. Libido ſiquidem humanum genus vexandi, ſtudiumque nocendi, quæ ipſos nunquam deſerunt, efficiunt; vt nullum, quamuis viliſsimum officij genus, ſuperiores dæmones fugiant. Vt ſordidi mercatores & auari, ex re quauis lucrum; ita illi vndecunque & vbicunque poſſunt, hominibus detrimenta afferre quærunt.

6\. Quod dicimus, pluribus exemplis, ex Sanctorum hiſtorijs de promp-

promptis confirmari poteſt, plurima probant præcipuos Spiritus, & ſordida officia ſubiuiſſe, & ad inferiorum conditionem ſe dimiſiſſe, vt interim non dicatur hanc occupationem ſuppliciorum, quæ patiuntur grauiſsima, aliquod ipſis (quod petunt) eſſe leuamen.

Bonorum etiam Angelorum opera hæc mortis indicia quandoque dari ex duobus videmur poſſe conijcere. primum ex eo, quod non rarò Deus quibuſdam ſignificârit adeſſe tempus, quo ex hac vita diſceſſuri eſſent: quod vt nonnunquam occultiori quadã inſpiratione factum eſt, ita his ſignis, bonorum Angelorum, quibus Deus vti ſolet opera aliquando accidere, & accidiſſe, non ſine ratione dixerimus. 7.

Ad hæc accedit, quòd etiam cum ſanctiſsimorum hominum morte ſigna hæc aliquando coniuncta ſint; & locis non prophanis ſolùm, verùm etiam *ſacris* obſeruata: ijs quoque exhibita, qui continuum cum diabolo bellum geſſerunt: ſed nec rarò ſine fructu ſint peracta, atque ſignificatione ſanctimoniæ eorum, quorum obitum præceſſerunt. Quis verò hic malignos Spiritus operas ſuas locaſſe credat? 8.

Veruntamen hæc, vt diximus, *rariora ſunt*. quæ ſuperiùs definita, *frequentius* accidunt. Quapropter quemadmodum paucorum priuilegia communibus legibus non derogant; ita quamuis exceptio dari poſsit, negari tamen non debet, *malorum Spirituum*, & præcipuè *propriorum geniorum* opera Tumultus hos excitari, & ſigna mortis dari. 9.

CAP. X.

De finibus, qui Dæmonibus in Tumultibus, & nocturnis Terrificationibus propoſiti ſunt.

DE Authoribus & Cauſa efficiente Tumultuum nocturnorum, & Terrificationum, dictum eſt: reſtat, vt eorundem *fines* inueſtigemus, atque *effectus*. Ibi quæritur, quid Spiritibus in his Tumultibus ſit propoſitum: hîc, Vtrum Tumultus mortis *vera* ſigna ſint, illamq; efficiant. Prius illud hoc Capite, poſterius ſequenti, explicandum eſt. 1.

Fines varij Dæmonibus hîc propoſiti videntur. Primum omnium opera hæc ab ipſis ſuſcipitur, vt hominibus *terrorem incutiant*, & moleſtiam aliquam afferant. Et ad hoc vix quidquam tantum, quan- 2.

 ſum

tum ſi Tumultus conducit: tum quòd nocte plerunque, quæ per ſe horrorem affert, excitentur: tum quòd cum morte, quæ terribilium omnium terribiliſsimum eſt, ſint coniuncti: tum deniq; quòd cauſæ ipſorum & rationes vix intelligantur.

3. Videntur deinde excitari, vt *futuram mortem denuntient*. quoniam enim cum morte coniuncti ſunt, atq; ea, quę ad funebrem pompam pertinent, cum his quandoq; effinguntur; vix poſſumus dubitare, quin vt imminentem mortem indicent, ſuſcipiantur.

4. Tertius finis eſt, vt hac ratione *fidem ſibi apud mortales*, comparēt; habeáturq; veraces, ſi quando alia prædicūt; cùm in hominū mortibus indicandis non fallant. Etenim vt hanc opinionem apud Mortales habeant, vehementer, nec ſine cauſa, adlaborant.

5. Accedit his quartus, qui ex communi Dæmonum *ſtudio* petitur; quod cùm ſit, homines à Deo abducere, erroribus inuoluere, & cultum qui vero Deo debetur, ſibi arrogare: omnino Dæmonibus hîc illud propoſitum eſt. Cupiunt, ſcilicet, Nequam Spiritus homines in has cogitationes inducere, vt numē aliquod eſſe credant, à quo hi Tumultus excitantur, & huic tandem diuinum honorem impertiantur.

6. De quarto hoc fine res clara eſt. Hoc præcipuum eſſe Dæmonū ſtudium Sacrę docent literę. Vt Leo rugiens circumeunt, quærentes quos deuorent. Nec hoc fruſtrati ſunt apud eos, qui Lares Deos quoſdam domeſticos arbitrati ſunt, iiſq; diuinum honorem detulerunt, & deferendum decreuerunt, vt de Seruio Tullio teſtatur Plinius, li. 37. ca. vltimo.

7. Tertium finem vehementer deſiderant, ob ingens, quod inde ſperant lucrum. Sic, ſcilicet, eos qui occultorum cognitionis deſiderio tenentur (quorū haud paruus numerus eſt) faciliùs ad ſe pertrahunt, atq; vt ipſorum conſilio & auxilio (cum præſentiſsimo animarum detrimento) vti velint, perſuadent.

8. Ad primum idem nocendi deſiderium excitat; quod quia maximum & ardentiſsimum eſt, quaſcunq; quibus incommodare poſſunt, rationes acceptant, & quamuis etiam grauia damna afferre nequeant, hoc tamen ſibi nomine placent; ſi moleſtiam afferre, & quietem interturbare valeant.

9. De ſecundo fine dubitauerit forſitan quiſpiam; quod vix fieri poſſe videatur; vt hominum mortes, & illa, quæ cum funere coniūcta ſunt præuidere valeant. Verùm dubitandi locus nullus erit, ſi quot & quantas ſpiritus illi rationes, ex quibus iſta præſcire queant, velit expendere.

Digitized by Google

Duplices hominum ſunt mortes: naturales & violentæ, vtraſque 10.
Dæmones poſſunt præſcire: vtraſq; prædicere & indicare.

Poſſunt præſcire naturales, quia ſagaciſsimi ſunt, tum ob incre- 11.
dibilé ſolertiam & ſubtilitatem mentis; tum ob eximiam multorũ milium annorum experientiam; tum deniq; propter perfectam rerum omniũ naturalium abſolutamq́; ſcientiam; qua vt res alias, ita hominum naturas, corporum affectiones, & ſtudia, ex quibus mors accidit, intelligunt.

Violentas partim Dei reuelatione, per bonos Angelos facta, cog- 12.
noſcunt; (nonnunquam enim Deus ad mortem homini inferendã Dæmonum opera vtitur) partim ex clandeſtinis conſilijs, verbis, ſcriptis, alijſq; ſignis deprehendunt, partim etiam ex præparatione illarum rerum, quæ ad mortem adferendam adhibentur.

Hæc grauiſsima B. Auguſtini confirmat authoritas. Sic enim lo- 13.
quitur, lib. 2. de Geneſi ad literam cap. 17. *Spiritibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur: partim quia ſubtilioris ſenſus acumine: partim quia corporibus ſubtilioribus vigent: partim experientia callidior propter magnam longitudinem vitæ: partim a ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt, etiam iuſſu ipſis reuelantibus, qui merita humana occultiſsima iuſtitiæ ſynceritate diſtribuit. Aliquando autem ijdem nefandi ſpiritus etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut diuinando prædicunt.* Hæc Auguſt.

CAP. XI.

De Effectis nocturnorum Tumultuum & diabolicarum Terrificationum.

IAm, quæ horum Tumultuũ & Terrificationum virtus ſit, 1.
quidq; ipſi efficiant, inquirendum eſt. Nam cùm *duplicia ſigna ſint*; & alia quidem tantùm in notitiam alicuius inducãt, id verò quod ſignificant, non efficiant: alia verò ſint, quæ quod ſignificant, efficiant; vtrum in hoc, vel illo genere Tumultus hos conſtituere debeamus, quæſtio eſt.

Et quidem in priorum ſignorum numero eos eſſe, dubium non 2.
eſt. Verùm cùm hæc ſigna duplicia ſint, & quædam aliquando fallant, quædam nunquam fallant; qualia, quæſo, ſunt hæc, quæ mortis dicuntur eſſe indicia? ſuntne ita certa, vt fallant nunquam, an fallunt aliquando?

Quod quæritur ex conditione eorum, qui horum Tumul- 3.
tuum

tuum authores ſunt, definiẽdum eſt. Hi cùm hominum mortes prę-ſcire, *vt plurimum*, valeant; vt plurimum fit, vt ad ſigna hæc atq; Tumultus ab ipſis excitatos, mors ſequatur.

4. Sed tamen fallere quandoque dubium non eſt.

5. Hoc primum in ijs, quibus violenta mors affertur, manifeſtum eſt. Hæc enim cùm ab hominum pendeat voluntate; quemadmodum Dæmones hominum cogitationes & voluntates perfectè non intuentur; ita neque poſſunt ſubſecuturæ ex his mortis certa ſigna dare.

6. Sed & quæ naturaliter homini mors accidit, impediri poteſt; ſi non ex alijs cauſis; ex Dei profectò voluntate, cuius nutu vitę noſtrę momenta decurrũt. Poteſt ille vitam, præter naturæ ordinem dare: poteſt ab inferis ad vitam reuocare; quidni poſſet eandem, præter naturæ leges, prorogare?

7. Quapropter quod ex cauſis naturalibus mortis argumentum, à Dęmonibus ſumitur, licet magnum robur habeat, propter vires naturæ, quę paruæ non ſunt; quia tamen Deo ad nutum natura obedit, tantum argumentum ſumi non debet, quod nullam patiatur exceptionem.

8. Verùm Alterum propoſitæ quęſtionis membrum examinemus, atq; Vtrum Tumultus hi, non ſigna ſolùm; ſed etiam *efficacia ſigna* futuræ mortis ſint, diſcutiamus. Sic enim plerunq; indoctũ vulgus iudicat, vt quæ rei alicuius ſunt ſigna, illa exiſtimet & cauſas eiuſdem eſſe, & *efficacia ſigna*.

9. Dupliciter autem intelligi poteſt ſigna hæc mortis cauſam eſſe. Primum quidem, vt ipſa per ſe nuda ſumantur, nulla habita ratione authorum, à quibus fiunt: deinde vt cum ipſis, eorum authores coniungantur: atque illi mortem efficiant, quam ſigna ipſa indicant.

10. Primum nullo modo dici debet. *Tumultus hi, & quæcunque obſeruantur ſigna, mortem non efficiunt, nec efficere valent*; propterea, quod nullum inter cauſas, quæ mortem afferre ſolent, locum habeant.

11. Poteſt homini mors *extrinſecus*; poteſt *intrinſecus* accidere. *Intrinſecus* mortis cauſa ſunt defectio caloris naturalis, aut primogenij humoris, quem *radicalem* vocant; immoderata item vis paſſionis & perturbationis animæ: præterea propria voluntas in ijs, qui præſentis vitæ tædio, aut malorum, quibus premuntur impatientia, aut quia inſtantem calamitatem auertere cupiunt, violentam ſibi mortem

Extrinſecus eadem mors contingere poteſt, vel ab homine, aut beſtijs, aut Dæmonibus, aut Deo per Angelos: vel ex cibo potuq; lethali: vel ex vtriuſq;, cibi inquam potuſúe defectu: vel ex intemperie cæli: vel caſu aliquo fortuito. Hæ cauſæ extrinſecæ mortis. Quid verò vel cum his, vel cum ſuperioribus cauſis Tumultus nocturni commune habent? Sunt quidem extra hominem; ſed tamen ex eorũ genere, quæ mortem afferunt, non ſunt. 12.

Sed nec idcirco cauſæ mortis dici debent, quòd Dæmones cum his ſtudia ſua coniungũt, & ita hominibus mortẽ afferant: primùm quidem, quia nõ, vt inſtrumenta mortis, ſigna hæc à Dæmonibus adſumuntur; deinde, quia non ipſi Dæmones, dum hæc ſigna efficiũt, vitam nobis adimunt: ſolùm his denuntiant terminum vitæ adeſſe. 13.

CAP. XII.

Inquiritur modus, quo Tumultus excitantur, & Terrifiationes nocturnæ fiunt.

DVobus modis intelligi poteſt, Tumultus hos à Spiritibus excitari. Alter eſt, vt dicantur Spiritus primùm corpora aſſumere, humanis corporibus ſimilima; atque ita velut homines quidam, malleos, atq; alia inſtrumenta, quibus ſtrepitus excitantur, tractent. Alter, vt nulla corpora aſſumant, & nihilominus hos ſtrepitus excitent. 1.

Vterq; modus his, quemadmodum alijs Spiritualibus creaturis, *poſſibilis* eſt. Ratione ad hanc rem probandam opus non eſt. Prioris tot ſuppeditant exempla Sacræ literæ, quot opus eſt ad hanc rẽ etiã refractarijs perſuadendam. Poſteriorem ipſis poſsibilem eſſe probat vel ſolius cæli conuerſio, quod à Spiritibus mouetur, quamuis corpus, vt mouere valeant, nullum aſſumant. 2.

Nec modò vterq; modus poſsibilis eſt Spiritibus; etiam vterque *æquè eſt facilis.* Corpus aſſumptum nihil in hoc negotio Spiritus iuuat. Tam in corpore, quã extra corpus ſunt expediti. Id diſcriminis eſt, quòd in priori maior videatur eſſe occupatio; dum prius corpus aſſumitur, quàm Tumultus excitetur: in poſteriori minor, vbi corpus aſſumitur nullum. 3.

Sed *quem modum* in his Tumultibus excitandis Spiritus ſeruant? Dubium non eſt, quin nonnunquam in aſſumptis corporibus ipſos excitent, quia non auditi ſolùm; verùm etiam viſi ſunt ſub humana ſpecie Spiritus, horum Tumultuum authores. 4.

Interim tamen, vt plurimũ fieri dixerim, vt nullum corpus aſſumant, & ſola ſua ingenita ipſis vi atq; poteſtate, abſq; vllius aſſumpti 5.

corporis ſubſidio eoſdem efficiant.

6. Cùm enim propoſitum Spiritibus hîc ſit, vt hominum mortes indicent: ad hoc verò neceſſe non ſit, vt ſub ſpectabili forma ſeſe exhibeant(ſolus tumultus, qui ad aures defertur, id abundè præſtat(quid quæſo aſſumpto corpore opus eſt?

7. Quid,quòd quę in hoc ſtrepitu,in vſu inſtrumenta eſſe videntur, reuera in vſu non ſint? & quæ moueri iudicantur corpora, reuera non ſemper moueantur? Quod dicimus hoc eſt: Non neceſſe eſt, vt ſi nobis audire videamur deferri aſſeres, aptari tumbá, quę cadauer mortui excipiat, & eandem malleis claudi; hæc reuera fiant; id eſt, & aſſeres deferantur,& aptetur tumba,& malleorum ſit vſus:neceſſe hoc non eſt. Quemadmodum re ipſa ſpiritus corpora humana nō habent,dum humana ſpecie ſe ſpectandos exhibent; ita non ſemper ab illis rebus ſonus excitatur,à quibus excitari videtur; nec ſemper corpora mouentur, quæ moueri videntur.

8. Huius ſi non aliud argumentū eſſet, hoc ſufficeret, quòd mox poſtquam ſonum auditu percepimus,ſi ad locum,vbi ille excitatus eſt,aduolemus;nihil eorū, per quæ ſonum excitatum iudicauimus, reperiamus: inueniamus etiam nihil inordinatum; ſed omnia ſuis locis, & ordinibus optimè compoſita.

9. In aere igitur, & per aerem hîc fiunt omnia. illum ita collidunt Spiritus; vt nunc delatorum aſſerum, nunc percutientis mallei nūc alios atq; alios ſonos reddat.

10. Hanc rem confirmat *obtuſior ſonus*,qui in his terrificationibus notatur. quamuis enim proximo loco excitetur, à longè nihilominus fieri videtur;nec ita, vt ille,qui malleorū ictibus fit,aures percellit.

11. Verùm enimuerò, etſi malleorum & aſſerum ſonus non ſit, qui excitatur;*verus* tamen eſt ſonus,propterea;quòd quæcūq; ad ſonum perficiendum neceſſaria ſunt, hîc reperiantur: corpus inquam percutiens,corpus percuſſum, atq; medium,in quo ſonus excipitur, & ad aures defertur.

12. *Tria tamen* hęc non reipſa ſemper ſunt diſtincta.Non aliud eſt ſēper quod percutitur corpus; aliud quod percutit; aliud mediū,in quo vtriuſq; corporis colliſione excitatus ſtrepitus recipitur. Mediū nūc cū percutiente,nūc cū percuſſo idem eſt:ſępe etiam cū vtroq, idem.

13. Poteſt dæmon vel duas inter ſe aeris partes collidere; atq, tum ex vtriuſq; colliſione exortus ſonus, in medio, quod à percutiente & percuſſo corpore non differt, excipitur. Poteſt quoq; vel alio quopiā corpore verberare aerē; vel aerē ad aliud ſolidū corpus allidere, atque tum à medio neq; percutiens corpus differt, neq; percuſſum.

14. Porrò quomodocunq; tandem ſtrepitus excitantur, dæmonum

atq;

Digitized by Google

illi *poteſtate* excitantur,qua verò illa,an quam *intellectiuam* vocamus an *voluntate*;an alia aliqua, ab vtraque diuerſa?

Sola intellectus operatio hîc non ſufficit.Eius omnis in rebus cognoſcendis occupatio eſt;in qua dum verſatur,pręter id quod in ipſo eſt,prorſus fit nihil.At Tumultus hi ſunt aliquid extra intellectum: in aere formantur;in aere conſiſtunt;in aere conſeruantur:& per aerem ad audientium aures deferuntur.

Non *ſolo etiam voluntatis* imperio fiunt.Diuinę virtutis eſt,ſolo volũtatis imperio res producere. In ſolo Deo locum habet,quod dicitur; *dixit & facta ſunt*.Ea non eſt Spirituum aut bonorum,aut malorum virtus;vt quæ velint & imperant,mox fiant. 15.

Tertia igitur vis eſt,qua hos Tumultus excitant:illa inquam,quã *Motiuã virtutem* non incongruè dixerimus.Hac quemadmodũ ſe mouent,ita orbes cæleſtes;ita quacunq; volunt corpora.Hac Tumultus hos excitant,hac quæcunq; ferè apud mortales agũnt, exequuntur. 16.

Interim quamuis hæc *ſola* ſit, quæ Tumultus exciſet;cæterarum tamen facultatum opera hîc non reijcitur.Quemadmodum homo nihil mouet aut operatur,ad quod non prius Voluntas impulit:Voluntas autẽ ad nihil impellit,quod non tanquam bonum Intellectus propoſuit,ita ad quemcunque ſtrepitum,qui à Spiritibus excitatur, accedit Voluntatis imperium, cum Rationis iudicio & dictamine. 17.

CAP. XIII.

Quibus Locis atq; Temporibus Tumultus,mortis prænuntij, excitentur.

Loca etiam atque *Tempora*,quibus ſtrepitus hi excitantur,obſeruanda ſunt,ne quid eorum,quæ cum ipſis coniuncta ſunt,prætterijſſe videamur. 1.

Loca verò *ſex* præcipuè,vbi excitantur,notantur. Primus eſt,vbi animam agit is,cuius mortem ſigna teſtantur. Secundus, vbi eiuſdẽ degunt amici,qualeſcunque tandem illi ſint. Tertius eſt, vbi poſſeſſiones habuit aut prędia. Quartus,vbi officia ſeu munia quędam obiuit. Quintus, vbi quæ ad funus neceſſaria ſunt comparantur. Sextus, vbi corpus morituri ſepelitur. 2.

De nullo dictorum locorum dubium eſt.Exempla hîc ſuppetunt quotidiana. Veruntamen in primo illo frequentius audiuntur Tumultus, vt credi poſſit,omnino dæmones deſiderare, vt in præſentium & domeſticorum notitiam mors ſubſecutura perueniat. 3.

Ratione ſecundi loci fit, vt ſtrepitus etiam in remotiſsimis orbis partibus obſeruati ſint: vbi,ſcilicet, ij, qui morituro quadam ratione 4.